ALMA COLLEGE
ALMA, CALIFORNIA

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/lectionesphiloso0000vari

A. M. D. G.

LECTIONES

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE

" *Innovari volunt* (Modernistae) *philosophiam... ita ut, amandata philosophia scholasticorum ad historiam philosophiae inter cetera quae iam obsoleverunt systemata, adolescentibus moderna tradatur philosophia.... Primo igitur volumus probeque mandamus ut Philosophia Scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur* „.

Pius P.P. X, Encyc. " *Pascendi Dominici* „ (8 Sept. 1907)

ALMA COLLEGE
ALMA, CALIFORNIA

ALMA COLLEGE
115
LIBRARY
V556
Alma, California

(MANUSCRIPTUM)

Prov. Venet.

VENETIIS
TYPIS AEMILIANIS
1908

~~269~~
270

INDEX

LOGICA MAIOR

Introductio . . . . . Pag. 1

PARS PRIMA.

De Prima Mentis Operatione.

TRACTATUS I.us — **De Universalibus.** — Prolegomena . . . „ 4
Quaestio Prima. — De Universalibus quoad essentiam . . . „ 10
Thes. I.a — *Universale recte definitur " unum aptum inesse pluribus „ aut " unum in multis „* . . . . . „ id.
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 13
Thes. II.a — *Admitti debet Universale in essendo, quod saltem aliquo modo sit tale* . . . . . „ 15
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 16
Thes. III.a — *Universale materiale est reale* . . . . . „ 17
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 21
Thes. IV.a — *Nominalismus sive purus, sive moderatior, reiiciendus est* . . . . . „ 24
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 26
Thes. V.a — *Nominalismus Positivistarum potiori iure reiicitur* „ 29
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 32
Thes. VI.a — *Multo magis est absolute reiiciendus conceptualismus Kantii* . . . . . „ 35
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 37
Thes. VII.a — *Universale materiale non ita est in rebus, ut detur natura aliqua universalis separata a singularibus* . . . „ 40
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 41
Thes. VIII.a — *Absurdissime asseritur a Guillelmo de Champeaux, Hubags et Laforet unam esse naturam in rebus, quo modo est una in intellectu* . . . . . „ 47
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 48
Thes. IX.a — *Singulare non distinguitur realiter ab universali, sed distinctione rationis ratiocinatae* . . . . . „ 51

Obiectiones solvuntur . . . . . Pag. 56
THES. X.ª — *Antecedenter ad operationem intellectus, universale materiale non distinguitur a singulari distinctione actuali seu formali ex natura rei* . . . . . „ 57
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 62
THES. XI.ª — 1º *Natura in nullo statu habet de se ut sit universalis ; 2º Sed universalitas constituitur in natura, tantum secundum quod haec existit ut conceptus obiectivus in intellectu* . . . . . „ 63
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 69
THES. XII.ª — *Radix omnium errorum, qui circa naturam universalium et consequenter circa cognitionem intellectivam prolati sunt, fuit confusio inter id, quod convenit rebus secundum quod sunt in seipsis, et secundum quod cognoscuntur* . . . . . „ 75
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 77
THES. XIII.ª — *Universale formale est accidens rationis, seu relatio rationis* . . . . . „ 79
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 80
Quaestio Secunda. — DE CAUSA EFFECTIVA UNIVERSALIUM.
THES. I.ª — *Universale materiale seu directum fit per abstractionem simplicem intellectus possibilis* . . . . . „ 81
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 83
THES. II.ª — *Universale formale seu reflexum fit per comparationem simplicem intellectus possibilis* . . . . . „ 84
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 85
Quaestio Tertia. — DE PROPRIETATIBUS UNIVERSALIUM.
Introductio . . . . . „ 88
THES. I.ª — *In nominibus universalibus concretis primae intentionis, accidentalia praedicantur tum de accidentalibus tum de substantialibus, substantialia vero tantum de substantialibus (praedicatione universali)* . . . . . „ 90
THES. II.ª — 1º *Abstracta primae intentionis in universalibus substantiae, possunt praedicari solum de abstractis inferioribus, ad quorum essentiam pertinent in quid ; 2º Non vero in quale quid ; 3º Tales vero praedicationes reductive tantum pertinent ad praedicabilia* . . . . . „ 91
THES. III.ª — 1º *Abstracta (primae intentionis) accidentium, cum veritate ac proprie praedicantur de abstractis inferioribus, ad quorum essentiam pertinent in quid ; 2º Non vero si ad eorum essentiam non pertinent ; vel 3º Pertinent in quale quid* . . . . . „ 92
THES. IV.ª — *In universalibus primae intentionis nequeunt abstracta praedicari de concretis, nec vicissim* . . . . . „ 93

Thes. V.ª — 1° *Nomina abstracta universalium secundae intentionis nequeunt praedicari de universalibus primae intentionis ;* 2° *Concreta vero generis et speciei per se et simpliciter praedicantur de concretis substantiae et de abstractis accidentis primae intentionis ;* 3° *De concretis accidentium et abstractis substantiae tantum reductive ;* 4° *Concreta denique differentiae, proprii et accidentis, stricte non praedicantur nisi de concretis tum substantiae tum accidentis.* Pag. 95

Thes. VI.ª — *Quod attinet ad praedicationem inter universalia secundae intentionis :* 1° *Quae de alterius essentia sunt, recte de hac praedicantur tam in concreto quam in abstracto ;* 2° *Nullo modo praedicantur quae inter se pugnant ;* 3° *Non pugnantium invicem, vera est praedicatio in concreto, falsa in abstracto ;* 4° *Concretum secundae intentionis praedicatur de abstracto, at non e converso* . . „ 96

Thes. VII.ª — *Ceterae universalium proprietates sunt :* 1° *aeternitas ;* 2° *ubiquitas ;* 3° *immutabilitas* . . . . . „ 97

Quaestio Quarta. — De Praedicabilibus in particulari.

Thes. I.ª — 1° *Praedicabilia sunt quinque : genus, species, differentia, proprium et accidens. Haec divisio est :* 2° *per modum generis in species ;* 3° *univoca, si sola ratio universalitatis attenditur ;* 4° *analoga, si subiectum, cui accidit universalitas, spectatur ;* 5° *infima* . . . . . „ 100

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 102

Thes. II.ª — 1° *Genus in abstracto bene definitur :* " *Universalitas naturae determinabilis* „ ; 2° *in concreto vero :* " *Unum determinabile aptum inesse pluribus* „ ; 3° *bene quoque definitur a Porphyrio :* " *Quod de pluribus specie differentibus in eo quod quid praedicatur* „ . . . . . „ 104

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 106

Thes. III.ª — 1° *Genus praedicatur de inferioribus ut est totum aliquid, non vero ut est pars ;* 2° *neque formaliter ut metaphysica pars* . . . . . „ 107

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 108

Thes. IV.ª — 1° *Species, ut universalis, bene definitur abstracte :* " *Universalitas naturae perfectae* „ ; 2° *concrete :* " *Natura perfecta universalis* „ *vel* " *Unum determinatum aptum inesse pluribus* „ ; 3° *ut praedicabilis cum Porphyrio :* " *Id quod de pluribus numero differentibus in eo quod quid est praedicatur* „ ; 4° *ut est subiicibilis :* " *Id quod subiicitur generi* „ *seu* " *Id in quo est genus* „ ; 5° *denique ratione subiicibilitatis in praedicationibus :* " *Id de quo genus in eo quod quid praedicatur* „ . . . . . „ 113

Thes. V.ª — *Natura generica, ut generica, salvari non potest,*

si non detur nisi una species; specifica autem, ut specifica, salvari potest etiam in unico individuo . . . . . Pag. 115
Obiectiones solvuntur . . . . . „ id.
Thes. VI.a — *Differentia, quae constituit tertium praedicabile, ea est quae dicitur per se et propriissima* . . . . . „ 117
Thes. VII.a — *Differentia bene et essentialiter definitur:* 1° *in abstracto:* " *Universalitas naturae determinantis* „ ; 2° *in concreto:* " *Unum determinans aptum inesse pluribus* „ ; 3° *ut praedicabilis:* " *Id quod de pluribus praedicatur in quale quid* „ . . . . . „ 118
Thes. VIII.a — *Proprium, quod constituit quartum praedicabile, illud tantum est, quod sumitur in oppositione ad commune atque absolute; seu quod convenit omni, soli et semper* . „ 120
Thes. IX.a — *Proprium definitur:* 1° *essentialiter in abstracto:* " *Universalitas, quae accidit naturae necessario* „ ; 2° *concrete:* " *Unum aptum inesse pluribus ut necessario accidens naturae* „ ; 3° *descriptive ut praedicabile:* " *Id quod praedicatur de pluribus ut necessario accidens naturae* „ ; *seu* 4° *cum Porphyrio:* " *Id quod convenit omni, soli et semper* „ . . . . . „ 123
Thes. X.a — *Accidens, quod est quintum praedicabile, non sumitur in oppositione ad substantiam, sed in oppositione ad essentiam, et ad ea quae essentiam necessario consequuntur* „ 124
Thes. XI.a — *Accidens definitur:* 1° *essentialiter in abstracto:* " *Universalitas eius, quod naturae advenit contingenter* „ ; 2° *in concreto:* " *Unum contingens aptum inesse pluribus* „ ; 3° *descriptive ut praedicabile:* " *Id quod praedicatur de pluribus in quale contingenter* „ ; 4° *cum Porphyrio:* " *Id quod potest adesse vel abesse sine subiecti corruptione* „ . „ 125
TRACTATUS II.us — **De his quae pertinent ad Praedicamenta.**
Quaestio Prima. — De Antepraedicamentis. — Introductio . . „ 127
Articulus I.us — *De Aequivoco, Univoco, Denominativo* . . . . „ 129
Thes. I.a — 1° *Aequivoca, seu Homonyma, bene definiuntur ex Aristotele:* " *Ea, quorum nomen solum commune est, secundum nomen vero, substantiae ratio diversa* „ ; 2° *Univoca vero, seu Synonyma, bene definiuntur ex Aristotele:* " *Ea quorum nomen commune est, secundum nomen eadem substantiae ratio* „ ; 3° *Denominativa denique, seu Paronyma, bene ex Aristotele definiuntur:* " *Quaecumque, ab aliquo differentia casu, secundum nomen appellationem habent* „ *seu:* " *Ea, quae ab aliqua forma nomen habent sola terminatione diversum a nomine, quo ipsa illa forma significatur* „ . . . . . „ id.
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 131

Articulus II.us — *De Analogo.* — Introductio . . . . . Pag. 132
Thes. I.a — 1o *Analogum est quod secundum proportionem aliquam dicitur de pluribus, id est secundum habitudinem ad unum ;* 2o *quod potest esse vel tertium aliquod praeter analogata, vel alterum ex ipsis ;* 3o *et hoc ultimum necessario contingit quandocunque analogia attenditur inter Deum et creaturam ;* 4o *in qua etiam necessario aliter attenditur primum secundum rem, et secundum cognitionem et nominis impositionem* . . . . . „ 135
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 142
Thes. II.a — *Analogia* 1o *nominis identitatem importat ;* 2o *rationis vero a nomine significatae, diversitatem simul cum identitate ;* 3o *diversitatem nempe simpliciter et identitatem secundum quid* . . . . . „ 147
Thes. III.a — *Analogia, ut sic, bene dividitur in analogiam " secundum intentionem tantum et non secundum esse „ seu " attributionis „ et in analogiam " secundum intentionem et secundum esse „ seu " proportionalitatis „* . . . . . „ 149
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 154
Thes. IV.a — 1o *In analogia attributionis, ratio per nomen significata invenitur intrinsece in uno tantum, in reliquis vero per extrinsecam denominationem ;* 2o *in analogia autem proportionalitatis invenitur intrinsece in omnibus* . „ 156
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 158
Thes. V.a — 1o *Divisio analogiae logicae in analogiam attributionis et proportionalitatis est adaequata ;* 2o *est divisio analogi in analogata* . . . . . „ 159
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 160
Articulus III.us — *De reliquis Antepraedicamentis* . . . . . „ 165
Quaestio Secunda. — De Praedicamentis.
Thes. I.a — *Ens reale finitum adaequate dividitur in decem suprema genera ; quae recte praedicamenta vocantur ; ad quae directe vel indirecte reducuntur omnia, quae in creatis sunt* „ 168
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 170
Thes. II.a — *Praedicamenta formaliter sumpta, scilicet secundum quod subiiciuntur secundae intentioni praedicamenti, in quo sensu sunt decem series primo diversae praedicabilium, ad logicam spectant* . . . . . „ 174
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 175
Quaestio Tertia. — De Postpraedicamentis.
Articulus I.us — *De Oppositione* . . . . . „ 177
Thes. I.a — *Oppositio definitur: "Repugnantia ad determinatum extremum „* . . . . . „ id.
Thes. II.a — 1o *Quadruplex est oppositio : scilicet contradictoria,*

privativa, contraria, relativa ; 2° *Quarum prima est contradictoria ;* 3° *maxima vero differentia est contraria* . . Pag. 177
THES. III.ª — 1° *In oppositione contradictoria nullo modo potest esse medium ;* 2° *in contraria vero, relativa et privativa dari potest medium ;* 3° *sed non de necessitate* . . . . „ 181
ARTICULUS II.us — *De reliquis Postpraedicamentis* . . . . . „ 184
THES. I.ª — *Prioritas bene describitur atque dividitur* . . . . „ id.
THES. II.ª — *Dicitur aliquid prius alio natura quàdrupliciter :* 1° *ratione causae ;* 2° *ratione comitatis et dependentiae ;* 3° *secundum ordinem substantiae et accidentis ;* 4° *secundum divisionem entis in actum et potentiam* . . . . . „ 185
THES. III.ª — *Simultas, quae prioritati ac posterioritati opponitur, duplex est, scilicet temporis et naturae* . . . . . „ 189

PARS SECUNDA.

De Secunda Mentis Operatione.

TRACTATUS I.us — **De Veritate formali eiusque opposito.**
Quaestio Prima. — DE IPSA VERITATE FORMALI. — Introductio . „ 191
Notiones generales . . . . . „ 192
THES. I.ª — *In rationem cuiuscumque veri ingreditur intellectus. Quare bene notificatur veritas per conformitatem intellectus et rei* . . . . . „ 201
THES. II.ª — *Veritas primario est in intellectu, secundario autem in rebus per ordinem ad intellectum* . . . . . „ 202
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 205
THES. III.ª — *Veritas, quae formalis dicitur, proprie non est nisi in intellectu componente et dividente* . . . . . „ 207
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 214
THES. IV.ª — *Veritas est in intellectu simpliciter apprehendente ut in quadam re vera ; veritas autem formalis non invenitur in ipso simpliciter sed tantum secundum quid* . . „ 217
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 221
THES. V.ª — *Definitio veritatis importare debet intellectum ipsum ut subiectum inhaesionis, et ideo bene veritas abstracte definitur : " Adaequatio intellectus et rei* „ . . . . . „ 225
THES. VI.ª — *In sensibus veritas formalis proprie ac perfecte non est, sed quadantenus tantum* . . . . . „ 236
Quaestio Secunda. — DE FALSITATE.
THES. I.ª — *Falsitas per prius est in intellectu ; in rebus autem esse non potest simpliciter et per se, nisi per ordinem ad intellectum a quo res ipsa pendet in esse* . . . . . „ 237

Thes. II.a — *Res artificiales falsae esse possunt simpliciter et secundum se in quantum deficiunt a forma artis. — In rebus autem naturalibus, falsitas non invenitur ullo modo per comparationem ad intellectum divinum, ideoque nulla res est falsa simpliciter; invenitur vero secundum quid, per ordinem ad intellectum humanum* . . . . . Pag. 237

Thes. III.a — *Verum et falsum opponuntur ut contraria, non ut affirmatio et negatio, ut quidam voluerunt* . . . . „ 239

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 240

TRACTATUS II.us — **De Mediis assequendae Veritatis** . . . „ 241

Quaestio Prima. — De Veracitate sensuum.

Thes. I.a — *Circa propria sensibilia, sensus non habet falsam cognitionem (h. e. falsitatem) nisi per accidens et in paucioribus, ex eo scilicet quod propter indispositionem organi non convenienter recipit formam sensibilem* . . . . . „ 242

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 246

Thes. II.a — *Non aliter sensus verus dici potest, nisi in quantum apprehendit res ut sunt "revera". Proinde a veritate aberrant omnes illi Naturales, qui contendunt nihil esse album aut nigrum, nisi quando videtur, neque sonum esse, nisi quando auditur, et similiter de aliis sensibilibus et sensibus* . . . . . „ 247

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 253

Thes. III.a — *De sensibilibus vero communibus et per accidens, potest esse falsum iudicium etiam in sensu recte disposito* „ 266

Appendix . . . . . „ 268

Quaestio Secunda. — De Veracitate Intellectus.

Thes. I.a — *Circa quod quid est, intellectus non decipitur* . . „ 273

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 275

Thes. II.a — *Intellectus in componendo et dividendo potest decipi dum attribuit rei, cuius quidditatem intelligit, aliquid quod eam non consequitur vel quod ei opponitur; unde in iudicio potest per se esse falsitas* . . . . . „ 277

Thes. III.a — *Falsitas in intellectu esse potest non solum quia cognitio intellectus falsa est, sed quia intellectus eam cognoscit sicut et veritatem* . . . . . „ 282

Thes. IV.a — *Sicut ad habendam veritatem formalem ut cognitam in intellectu non requiritur iudicium reflexum, quo iudicem meum intellectum esse verum, ita neque ad cognoscendam falsitatem hoc requiritur* . . . . . „ 283

Thes. V.a — *Per accidens etiam in operatione intellectus, qua cognoscit quod quid est, potest esse falsitas, in quantum ibi compositio intellectus admiscetur* . . . . . „ 284

Thes. VI.a — *In cognoscendo quidditates simplices non potest*

esse intellectus falsus, sed vel est verus, vel totaliter nihil intelligit . . . . . Pag. 285
Quaestio Tertia. — De Testimonio Conscientiae et Sensu Communi.
Praenotiones . . . . . „ 288
Thes. I.a — *Testimonium conscientiae ut indubium haberi debet* „ 290
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 291
Thes. II.a — *Dantur in nobis iudicia quaedam stabilia uniformia et communia, quae merito iudicia sensus naturae communis et ab omni falsitate immunia dicuntur. Errant vero manifesto qui ea ex caeco naturae instinctu proferri arbitrantur* . . . . . „ 292
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 293
TRACTATUS III.us — **De statibus mentis respectu veritatis.**
Introductio . . . . . „ 295
Quaestio Prima. — De Nescientia, Ignorantia et Errore.
Thes. I.a — *Nescientia, ignorantia et error differunt inter se; horum autem causa, partim in limitatione facultatis nostrae, partim vero in ipsa natura quorumdam obiectorum quaerenda est* . . . . . „ 296
Thes. II.a — *Nullus error est physice necessarius humano intellectui. Sed error omnis ab imperio voluntatis originem ducit* . . . . . „ 297
Thes. III.a — *Error manifesto habet rationem deordinatae actionis* . . . . . „ 298
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 300
Quaestio Secunda. — De Scepticismo.
Articulus I.us — *Expositio Scepticismi* . . . . . „ 301
Articulus II.us — *Refutatio Scepticismi.*
Thes. Unica. — *Dubium universale, quamvis ex principiis propriis refutari non possit, tamen nullo modo cogitari potest, et, dum mente vel ore profertur, seipsum destruit* . . . „ 308
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 310
Quaestio Tertia. — De Systemate Kantiano. — Introductio . „ 312
Articulus I.us — *Expositio historica* . . . . . „ id.
Articulus II.us — *Expositio systematis* . . . . . „ 314
Articulus III.us — *Confutatio systematis Kantii.*
Thes. I.a — *Crisis rationis, quae a Kantio instituitur, intrinsece absurda censenda est* . . . . . „ 324
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 325
Thes. II.a — *Systema Kantianum destruit possibilitatem cuiuscumque cognitionis, et multo magis cuiuscumque scientiae* „ 327
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 329
Thes. III.a — *Iudicia synthetica a priori, quae Kantius invexit, omnino excludenda sunt* . . . . . „ id.

Obiectiones solvuntur . . . . . Pag. 332
Thes. IV.a — *Formae sensibilitatis a Kantio invectae excludi debent* . . . . . „ 334
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 335
Thes. V.a — *Noumena sunt cognoscibilia; imo, nisi sibi contradicat, ipse Kant debet ea agnoscere ut talia* . . . . „ 336
Thes. VI.a — *Categoriae Kantianae reiiciendae sunt; item schemata et ideae reiiciuntur* . . . . . „ 338
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 339
Thes. VII.a — *Ratio practica Kantii nihil salvat* . . . . . „ 340
Quaestio Quarta. — De Systemate Immanentiae. — Introductio „ 343
Thes. I.a — *Theoria Immanentiae corrumpit cognitionem intellectivam, tollit veritatem, hoc ipso quod eam ponit relativam et mutabilem, et reddit impossibilem demonstrationem efficacem* . . . . . „ 344
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 346
Thes. II.a — *Actus rationis, quo veritatem circa aliquid apprehendimus, et actus, quo apprehensis naturaliter assentimus, non pendent directe a voluntate. Hinc ut irrationalis reiicitur Pragmatismus anti-intellectualis, seu Philosophia actionis, secundum quam ad prima principia et veritates fundamentales credenda adducimur virtutis amore, necessitate cordis et aspiratione naturae* . . . . . „ 351
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 354
Quaestio Quinta. — De Opinione et Probabilitate.
Thes. I.a — *De ratione opinionis est quod accipiatur unum cum formidine alterius* . . . . . „ 357
Thes. II.a — *Opinio est actus elicitus ab intellectu, sed imperatus a voluntate* . . . . . „ id.
Thes. III.a — 1° *Opinio alia est improbabilis, alia probabilis intrinsece vel extrinsece;* 2° *Probabilitas ipsa gradus admittit;* 3° *Potest autem quis adhaerere opinioni probabili, quamvis oppositam probabiliorem esse concedat* . . . . „ 359
Thes. IV.a — *Opinio non potest esse in eodem circa idem simul cum certitudine scientiae* . . . . . „ 361
Obiectiones solvuntur . . . . . „ id.
Quaestio Sexta. — De Certitudine.
Thes. I.a — *Certitudo, quae est perfecta determinatio ad unum, semper supponit modum aliquem necessitatis absolutae vel hypotheticae* . . . . . „ 366
Thes. II.a — *Certitudo* 1° *gradus admittit:* 2° *et recte dividitur in metaphysicam, physicam et moralem* . . . . . „ 368
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 371
TRACTATUS IV.us — **De Criteriis Certitudinis.** — Introductio „ 372

Quaestio Prima. — De Vero Criterio Certitudinis.

Articulus I.us — *De Evidentia Veritatis.*

Thes. I.a — 1° *Circa ea solum indigemus aliquo veritatis criterio, circa quae intellectus deficere potest;* 2° *de quorum veritate iudicamus per ea, circa quae deficere omnino non potest;* 3° *huiusmodi vero sunt ea omnia, circa quae intellectus ex ipsa natura sua de necessitate determinatur ad unum* . . . . . Pag. 375

Thes. II.a — 1° *In demonstrabilibus primum veritatis criterium sunt prima principia indemonstrabilia; et* 2° *praecipua quadam ratione, contradictionis principium, quod in ratione entis fundatur* . . . . . „ 376

Thes. III.a — *Si autem totius cognitionis nostrae intellectivae quaeratur prima intrinseca mensura, assignari debent prima simplicia apprehensa, quae in apprehensionem entis ultimo resolvuntur* . . . . . „ 380

Thes. IV.a — *Mensura autem extrinseca dici debent tum aliquo modo apprehensio sensuum, tum ipsae demum res, quae rursus a divino intellectu mensurantur tamquam a prima omnium mensura* . . . . . „ 381

Thes. V.a — *Cum evidentia illa dicantur, quae in se quidem perspicua sunt, sed etiam ad quae percipienda facultates nostrae ex ipsa natura sua referuntur, dici potest evidentia esse criterium veritatis* . . . . . „ 384

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 386

Articulus II.us — *De Evidentia Credibilitatis.*

Thes. I.a — *Certitudo in nobis oriri potest circa aliquid, non solum ex evidentia veritatis, sed etiam ex evidentia credibilitatis* . . . . . „ 387

Thes. II.a — *Fides definiri potest "assensus mentis, quo credimus vera esse quae dicuntur propter testantis auctoritatem"; proinde obiectum materiale fidei est ipsa res credita, obiectum vero formale est scientia et veracitas testantis* . . „ 388

Thes. III.a — *Obiecti materialis fidei conditio essentialis est, ut sit obscurum et inevidens. Unde impossibile est quod ab eodem idem sit scitum et creditum* . . . . . „ 391

Thes. IV.a — *Credere est actus intellectus secundum quod movetur a voluntate; scilicet assensus credentis rei creditae est actus intellectus secundum quod a voluntate determinatur ad unum* . . . . . „ 394

Thes. V.a — 1° *Quamvis evidentia credibilitatis numquam sit motivum formale fidei; tamen* 2° *semper praerequiritur ad assensum fidei;* 3° *et optime stare potest cum perfecta obscuritate illius quod creditur* . . . . . „ 396

Obiectiones solvuntur . . . . . Pag. 405
THES. VI.a — *Numquam testificatio qua talis accipi debet tamquam signum demonstrativum rei attestatae secundum se* „ 412
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 417
THES. VII.a — *Certitudo fidei supernaturalis superat omnem aliam certitudinem, ipsamque certitudinem metaphysicam* . „ 422
THES. VIII.a — *In quibusdam adiunctis, hominum testimonium parere potest omnimodam certitudinem* . . . . . „ 425
THES. IX.a — *Ad humanum consortium et ad cognitionum patrimonium amplificandum, nedum utile, sed necessarium dici debet aliorum testimonium* . . . . . „ 427
Quaestio Secunda. — DE FALSIS CRITERIIS VERITATIS . . . . „ 428
THES. I.a — *Cartesius in stabiliendo supremum veritatis et certitudinis criterio;* 1° *innititur falso supposito;* 2° *illogice procedit, et* 3° *sibi contradicit;* 4° *circulum vitiosum committit;* 5° *quaestioni non satisfacit, imo* 6° *logice adduceret ad scepticismum etiam circa res fidei* . . . . . „ 429
THES. II.a — *Qui dicunt supremum veritatis criterium reponendum esse in Essentia divina et in necessitate absoluta relationum inter ideas exemplares ab Intellectu divino conceptas;* 1° *falsum supponunt;* 2° *contra experientiam et* 3° *gratis id asserunt, et* 4° *vel Ontologismum profitentur, vel cadunt in circulum vitiosum* . . . . . „ 436
THES. III.a — *Supremum veritatis criterium non est reponendum in revelatione divina, neque in consensu generis humani* . . . . . „ 437
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 442
THES. IV.a — *Subiectivistarum criterium et secundum id, quod commune est omnibus, et secundum ea, quae singulis sunt propria, merito ut irrationale reiicitur* . . . . . „ 443

PARS TERTIA.

De Tertia Mentis Operatione.

Introductio . . . . . „ 452
TRACTATUS I.us — **De Demonstratione.**
Quaestio Prima. — DE PRAECOGNOSCENDIS IN GENERE.
THES. I.a — *Omnis doctrina et omnis disciplina intellectiva — nempe ratione percipienda — fit ex praeexistenti cognitione* . . . . . „ 453
THES. II.a — 1° *Tria sunt praecognoscenda — non quidem per-*

fecte, sed aliquo modo — scilicet subiectum, passio, principium; 2° de subiecto, quia est et quid est; 3° de principio quia est, scilicet quia verum est; 4° de passione, saltem quid nominis . . . . . Pag. 455

Thes. III.ª — *Quantum ad ordinem praecognitionis: Maior propositio praecognoscitur conclusioni non solum natura, sed tempore; Minor, si non manifeste contineatur sub universali maiore (dictum de omni), praecognoscitur pariter tempore prius ipsa conclusione; si manifeste terminus, qui assumitur, continetur in universali maiore, statim cognita minore habetur conclusionis cognitio* . . . . . „ 457

Thes. IV.ª — *Ipsa conclusio ante demonstrationem praecognosci debet secundum quid, non vero simpliciter* . . . . . „ 459

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 463

Thes. V.ª — *Quantum ad virtutem illativam, praemissae habent rationem causae efficientis* . . . . . „ 464

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 466

Thes. VI.ª — *Praemissae necessariae reduplicative ut cognitae necessitant intellectum ad assensum tum quoad specificationem actus, tum quoad exercitium* . . . . . „ id.

Quaestio Secunda. — De Principiis.

Thes. I.ª — *Admittenda sunt quaedam principia indemonstrabilia, hoc est per se nota* . . . . . „ 467

Thes. II.ª — 1° *Principia non solum sunt priora sed notiora conclusione; 2° primum vero et certissimum principium est: " Idem non potest simul esse et non esse "* . . . . . „ 468

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 469

Thes. III.ª — 1° *Omnia principia haberi debent inductione: sed 2° principia analytica habentur inductione late dicta: 3° principia vero synthetica, inductione stricte dicta* . . „ 470

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 474

Quaestio Tertia. — De Inductione. — Introductio . . . . . „ 476

Thes. I.ª — 1° *Inductio est vera argumentatio; 2° quae cum syllogismo convenit in genere; 3° sed differt specie* . . . „ 478

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 480

Thes. II.ª — *Tum inductio completa, tum incompleta perfecta veram causat certitudinem* . . . . . „ 482

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 484

Thes. III.ª — *Inductio materialiter accepta potest reduci ad syllogismum, sed inductio formaliter accepta, sive completa sive incompleta, nullo modo reducitur ad syllogismum* „ 486

Thes. IV.ª — *Etsi recentiores emineant supra antiquos quantum ad hoc, quod est materiam praeparare ad inductionem; falso tamen de inductione formaliter accepta ut de sua*

inventione gloriantur, et falso affirmant Aristotelem et alios logicos ante Baconem solo syllogismo usos esse . . Pag. 488

THES. V.ª — *Ad incrementum scientiae physicae plurimum inservit hypothesis, dummodo debitis conditionibus sit instructa* „ 490

THES. VI.ª — 1º *Quamvis numquam veritas hypothesis probari certe possit per verificationem conditionati, qua talis:* 2º *tamen certissime veritas ipsius hypothesis probari potest per conditionatum, quod appareat connexum cum conditione tamquam proprium cum essentia;* 3º *errant ideo Naturales, qui antequam conditionatum esse proprium demonstraverint, hypothesim ut certo veram statuunt* . . . . „ 494

Quaestio Quarta. — DE IPSA DEMONSTRATIONE.

THES. I.ª — *Demonstratio bene definitur definitione descriptiva: "Syllogismus scientialis, idest faciens scire „* . . . . . „ 500

THES. II.ª — *Demonstratio definitione essentiali bene definitur: "Syllogismus procedens ex veris, primis et immediatis, notioribus, prioribus et causis conclusionis* . . . . . „ 503

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 505

THES. III.ª — *Demonstratio adaequate dividitur in demonstrationem quia et in demonstrationem propter quid* . . . „ 508

THES. IV.ª — *Praemissae demonstrationis propter quid debent esse ex necessariis, ex iis quae per se dicuntur, ex propriis et ex universalibus* . . . . . „ id.

THES. V.ª — *Demonstratio quia, ut est species sciendi opposita τῷ scire propter quid, procedere debet vel ex effectibus, vel ex causis mediatis seu remotis* . . . . . „ 518

THES. VI.ª — *Demonstratio a posteriori, demonstratio a priori, demonstratio per signum, demonstratio deducens ad impossibile, et si quae sunt aliae, commode reducuntur vel ad demonstrationem quia, vel ad demonstrationem propter quid* „ 521

THES. VII.ª — *Demonstratio circularis ex circulo materiali potest vitio carere, non autem ex circulo formali* . . . . „ 522

Quaestio Quinta. — DE MEDIO DEMONSTRATIONIS.

THES. I.ª — *Medium demonstrationis propter quid debet esse definitio subiecti, vel definitio passionis perfecta per definitionem subiecti* . . . . . „ 523

THES. II.ª — *Medium demonstrationis, et quidem propter quid, possunt esse omnia genera causarum* . . . . . „ 525

TRACTATUS II.us — **De Scientia.**

Quaestio Prima. — DE NOTIONE SCIENTIAE.

THES. I.ª — *Scientia bene definitur: "Habitus intellectus indicativus veritatis rei per propriam causam „* . . . . . „ 526

Obiectiones solvuntur . . . . . „ 527

Thes. II.ª — *Scientia bene distinguitur a reliquis intellectualibus habitibus* . . . . . Pag. 528
Thes. III.ª — *Scientiae recte dividuntur:* 1° *in subalternatas et subalternantes;* 2° *in speculativas et practicas* . . . . „ 531
Thes. IV.ª — 1° *Unitas vel multiplicitas generica in scientiis desumitur ex abstractione a materia;* 2° *unde scientiae speculativae sunt tres, nempe Physica, Mathematica et Metaphysica* . . . . . „ 533
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 537
Thes. V.ª — 1° *Unitas vel distinctio specifica scientiarum sumitur ex unitate vel distinctione specifica principiorum intra idem genus scibilis, nempe ex unitate obiecti formalis;* 2° *non autem ex subiecto neque ex obiecto materiali* . . „ 539
Obiectiones solvuntur . . . . . „ 542
Appendix A — *De Analogia principiorum* . . . . . „ 545
„ **B** — *De Veritate Relativa* . . . . . „ 549
„ **C** — *Confirmatio doctrinae de Veracitate sensuum* . . „ 551
„ **D** — *De ratione Erroris* . . . . . „ 553
„ **E** — *De Modo quo intellectus et voluntas influant in actum fidei* . . . . . „ 555
„ **F** — *De valore Hypothesis apud rerum physicarum cultores* . . . . . „ 560
Index rerum in utraque Logica contentarum. . . . . „ 563
„ auctorum qui in utraque Logica citantur . . . . . „ 587

Virgini Deiparae.

Hos tenues, Lux alma sophûm, primosque labores
Accipe; si obscuri, lumine cerne tuo.

LOGICA MAIOR

INTRODUCTIO.

456. Post ea quae primoribus veluti labiis delibavimus circa secundas intentiones directivas ipsius actus rationis, nunc ulterius procedendo, illae quaestiones exagitandae sunt, quae circa ordinem in triplici operatione intellectus per ipsas intentiones secundas statuendum, versantur. Non secus ergo ac praecedens, tractatio nostra adhuc erit tripartita: in prima parte agemus de illis quaestionibus, quae versantur circa primam operationem intellectus recte ordinandam: in secunda parte de illis, quae respiciunt ordinem assequendum in secunda operatione intellectus: in tertia denique de illis secundis intentionibus, per quas tertia operatio intellectus recte ordinatur. Et hoc modo finem Logicae assequemur " ordinem nempe, quem ratio considerando facit in proprio actu „ [1]).

Ut autem videre possimus quomodo hunc finem suum assequatur Logica, iterum considerandum est quodnam sit ipsius *subiectum*. Porro subiectum Logicae, ut vidimus [n. 14], est ens rationis. Sicut autem Metaphysicae subiectum est ipsum *ens ut ens,* nempe *ens formaliter consideratum in sua quidditate reali et in suis passionibus seu proprietatibus realibus,* ita subiectum Logicae est *ipsum ens secundum ea praedicata seu secundum passiones illas quas induit dum est obiectum cognitionis nostrae.* Manifestum enim est quod quidquid habet rationem entis, est intelligibile. Ens autem secundum quod est obiectum cognitionis,

[1]) I. *Post. Anal.* lect. I[a].

induit quaedam attributa seu passiones, quae ei non competunt secundum quod invenitur extra animam. Id enim, quod concrete et singulariter existit a parte rei, abstracte existit in intellectu nostro et fit universale. Inter obiecta autem abstracta et universalia iam exsurgunt quaedam relationes, quae ipsis competere non poterant dum inveniebantur in statu concretionis et singularitatis. Relationes istae per consequens non sunt relationes *ontologicae,* quas mens immediate percipit in rebus — " *primae intentiones* „ — (quae sunt obiectum primae abstractionis) sed sunt relationes *logicae,* quas mens invenit seu potius constituit in rebus, secundum quod sunt obiectum cognitionis ipsius — " *secundae intentiones* „ — quae ideo opus sunt rationis reflectentis [1]). Sic igitur eandem extensionem habet subiectum Metaphysicae et Logicae, nempe ipsum ens: sed Metaphysica ipsum ens considerat secundum ipsius attributa realia, Logica secundum ea attributa, quae ei competunt in quantum est obiectum cognitionis nostrae. " Sciendum est, ait S. Thomas (I. *Post. Anal.* l. 2) quod alia ratione est de communibus, Logica et Philosophia Prima. Philosophia enim Prima est de communibus, quia eius consideratio est circa ipsas *res* communes, scilicet circa ens et partes et passiones entis. Sed quia circa omnia, quae in rebus sunt, habet negotiari ratio, Logica autem est de operationibus rationis, Logica etiam erit de his quae communia sunt omnibus, idest de *intentionibus* rationis, quae ad omnes res se habent „.

Et ex his, quae hucusque dicta sunt, iam erui potest, quam maximi ponderis ac momenti habenda est scientia Logica, nostris praesertim hisce diebus. Ex hoc enim, quod Logica considerat ens non secundum se, sed per comparationem ad intellectum nostrum, ad ipsam pertinet determinare proportionem et respon-

---

[1]) " Comme rien ne peut fournir matière à une connaissance vraie sans passer par le laboratoire de la pensée, la *Logique* aussi bien que la Métaphysique, étend son empire sur tout le réel. La Métaphysique est la science universelle du réel. La Logique est la science de la science du réel. L'initiation parfaite à la vérité demande donc, outre l'étude spéciale des sciences particulières, l'étude générale de la Métaphysique et celle de la Logique. Les unes et les autres préparent, de façons diverses, l'esprit à la connaissance de la vérité „. Mercier, *Logique* n. 17.

dentiam, quae viget inter res secundum quod sunt in seipsis, et secundum quod habent esse quoddam intentionale in mente nostra; ad ipsam consequenter pertinet vindicare obiectivitatem nostrarum cognitionum. Porro in his quaestionibus, ut constat, tota, fere dixerim, versatur controversia et inter antiquos et potissime inter hodiernos philosophos: ex perversa autem harum quaestionum solutione omnes fere errores oriuntur quos, sub nomine **Modernismi**, in dies serpere videmus [1]).

Per ordinem igitur considerandum nobis erit, in primis quomodo se habeat mens nostra circa incomplexa seu simplicia: ubi quaestiones omnes, quae sub nomine **Noëticae** seu **Idealogiae** et partim etiam sub nomine **Criticae** seu **Criteriologiae** [2]) a modernis philosophis exagitantur, nos quoque pertractabimus. In secunda vero parte videbimus quomodo se habeat mens nostra in assecutione veritatis, ubi reliquas quaestiones, quae sub nomine Criteriologiae pertractari solent, persequemur. Tertia denique et ultima pars circa **Demonstrationem** et **Scientiam** versabitur.

---

[1]) Cf. Encycl. **"Pascendi Dominici"** (8. Sept. 1907).

[2]) Ab his tamen denominationibus omnino abstinemus, tum quia apud Scholasticos inusitatae, tum quia non ad unguem exactae nobis videntur.

PARS PRIMA

De prima mentis Operatione.

Tractatus I^us

De Universalibus.

457. Prolegomena. — Inter quaestiones, quae a philosophis agitari solent, praecipuum sibi vindicat locum quaestio *de Universalibus*. Verum equidem est plures nostris hisce temporibus, Universalium nomine audito, deridere ex corde Medii Aevi Doctores, qui tantum tempus in abstrusis cavillationibus insumpserint: sed quam immerito, ne dicam insipienter, id faciant, vel ex eo apparet, quod ex non recta huius quaestionis solutione omnes errores, qui circa intellectus humani cognitiones tam late divulgantur, tanquam ex venenoso fonte fluxerunt. Agitur enim de valore conceptuum nostrorum, sl. de valore earum rationum, quae sunt veluti materia praedicationum intellectus. Quando v. gr. praedico: *Petrus est homo, leo est animal,* termini *homo, animal* importantne aliquid *reale*, an sunt mera humani intellectus figmenta, an solae *voces?* Humana mens extrahitne a se ipsa ea, quae tribuit rebus corporalibus, ut posuit Cartesius? Cognoscitne solum ideas simplices, et collectiones earumdem, ut vult Lockius? an forte omnes animae cognitiones et anima ipsa non sunt, ut posuit Hume, nisi elementorum subiectivorum associationes? an cum Kantio dicendum quidquid excedit phoenomenon esse nobis impervium, phoenomenon autem non esse nisi fictionem quandam et *fabricamentum mentis?* [1]) Brevius quaeritur:

[1]) Cfr. Mercier, *Les Origines de la Psychologie contemporaine* ch. II et ch. III.
„ „ *Critériologie Générale* N. 133.

obiectum intelligibile estne *reale* an *irreale?* potestne existere in rerum natura, annon? Et cum humana scientia sit universalium, de quo tandem erit scientia nostra? quomodo componi potest varietas et mutatio obiectorum, quae sensibus percipimus, cum stabili unitate conceptuum, quos efformamus? res *in seipsis* sunt determinatae, individuae, excludentes multiplicitatem: conceptus vero nostri universales et important multiplicitatem: quomodo possumus affirmare obiectum conceptus esse aliquid a parte rei?

Difficilis sane quaestio, quam ut solverent, aliqui negarunt sive in rebus, sive in rationibus cognitis, et in conceptibus esse aliquid immutabile.

Ita Heraclitus (saec. v. ante C.) et Cratylus, de quibus loquitur Aristoteles (IV Met.) [1]: hi dixerunt, et quidem recte, de sensibilibus scientiam haberi non posse, quippe sunt in continuo fluxu; unde Cratylus, male deducens, statuit nil verbo dicere oportere eo quod veritas rei pertransit priusquam finiatur oratio. Post ipsos Leucippus et Democritus [2] et Epicuraei negarunt universalitatem conceptuum confundentes intellectum cum sensu, et omnia cum materia [3].

Saec. II. post C., Porphyrius (233-304) et ipse quaestionem de universalibus proposuit, sed anceps cum esset, quod proposuerat non solvit. Dicit enim in sua *Isagoge:* " De generibus et speciebus, sive subsistant sive in nudis intellectibus posita sint, sive subsistentia corporalia sint an incorporalia, et utrum separata a sensibilibus an in sensibilibus posita et circa haec consistentia, dicere recusabo „.

Haec verba Porphyrii, cuius *Isagoge* usque ad saeculum XIII adhibebatur ut textus logicae in scholis [4], vividius excitavit quaestionem de *Universalibus.*

458. Nominales. — Omissis antiquioribus Roscellinus de

---

[1]) Cf. S. Th. 1ª p. q. 84. a. 1° c.

[2]) Democritus natus est circiter a. 460 a. C.: de eo loquitur Zeller *Philosophie des Grecs* V. II. Cfr. etiam Mullach " *Democriti Abderitae operum fragmenta* „ etc.

[3]) Cfr. S. Th. 1. p. q. 84 a. 6.

[4]) Cfr. Turner, *Storia della Filosofia* (traduz. ital. p. 240).

Compendio (de Compiègne 1100) occasionem forte nactus ex eo quod Philosophus, Platonem deridens, dixerit — *Valeant genera et species, monstra enim sunt!* — negat genera et species esse realitates subsistentes in natura. An vero eo usque devenerit, ut poneret universalia esse *flatus vocis,* an potius eius doctrina sit solum *negativa,* seu *antirealista,* docti viri adhuc certant [1]). Hoc ex S. Anselmo certo eruitur Roscellinum voluisse applicare *nominalismum* doctrinae de SS. Trinitate, sic arguendo : Una natura in tribus personis est *universale* quoddam : sed universale non habet existentiam realem : ergo non est realis unitas divinae naturae. — Hac de causa in concilio Suessonensi (1092) debuit suas circa Trinitatem doctrinas abiurare, et iterum ut videtur, in concilio Rhemensi (1096) " quia a populo interfici timebat „ ait S. Anselmus (*De Fide Trinit.* I. 1). [2]).

Guillelmus Ockam (1280-1349) *nominalismum* mitiorem professus est seu *conceptualismum.* Nam in *Tractatu Logices* ait " Nullum universale est substantia, quomodocumque consideretur, sed quodlibet universale est *intentio animae* quae secundum unam opinionem ab actu intelligendi non distinguitur „ Tamen propius videtur accedere ad *nominales* ubi dicit: " Scientia quaelibet, sive sit realis, sive rationalis est tantum de propositionibus tamquam de illis quae sciuntur, quod solae propositiones sciuntur „ [3]). Eum secuti sunt Robertus Olcot († 1349); Gregorius Ariminensis († 1358); Ioannes Buridanus († 1360?) Petrus Alliacensis († 1425), tandem Gabriel Biel (1430-1495) qui in suo *Collectorium in Libros Sententiarum* exponit ac tuetur opiniones Ockami [4]).

---

[1]) *Primum* colligi potest ex S. Anselmo (Cfr. Migne, *Patrolog. lat.* Vol. CLXXVIII coll. 358 ss.), ex Io. Salisb. (*Metalogicus* lib. II cap. 13, etc.); *secundum* tenet inter alios Mercier (*Critériologie* N. 134); De Wulf, *La Philosophie Médiévale* n. 195 etc.

[2]) Picavet (*Roscelin d' après la legende et d' après l' histoire,* Paris 1896) sustinuit eum secundo non fuisse damnatum: certo eum damnavit opinio publica. Cfr. Turner *l. c.* p. 246.

[3]) In I. *Sent.* D. II. q. IV. O.

[4]) Non desunt qui ipsum Abaelardum (1079-1142) discipulum prius, deinde adversarium Roscellini, inter nominales ponant: sed quid in hac quaestione ipse senserit difficile est indicare. Cfr. Turner, *op. cit.* p. 260. —

Ultimis hisce temporibus plures habentur qui inter nominales recenseri debent: Hume, Mill, Taine, Ribot et generatim **positivistae**: nam secundum ipsos, nullus haberi potest conceptus proprie universalis, notiones autem illae quibus nos tribuimus universalitatem non sunt nisi perceptiones singulares in unum collectae: idea universalis est purum *nomen,* designatio verbalis qua collectio indicatur [1]). Tandem adversarii *realitatis* universalium sunt Kant eiusque sectatores bene multi qui, Kantiano veneno infecti, scientiam omnem susdeque vertunt: contra quos plura in sequentibus erunt dicenda.

459. Ultrarealistae. — Plato (n. circa a. 427 a. C.) contra Heraclitum et Cratylum " ut posset salvare certam cognitionem veritatis a nobis per intellectum haberi, posuit, praeter ista corporalia, aliud genus entium a materia et motu separatum, quod nominabat *species,* sive ideas; per quarum participationem unumquodque istorum singularium et sensibilium dicitur vel homo, vel equus vel aliquid huiusmodi „ [2]); et de his proprie tamquam de immobilibus et necessariis esse scientias affirmavit [3]). *Neoplatonici* varie magistrum sunt interpretati. Plotinus v. gr. (205-

---

Ut de Roscellino dictum est, ita de Ockamo et asseclis quid proprie tenuerint, lis est. Suarez scribit: " Merito reprehendendi sunt Nominales quoad aliquos loquendi modos, nam in re fortasse non dissident a vera sententia: nam eorum rationes huc solum tendunt, ut probent universalitatem non esse in rebus, sed convenire illis prout sunt obiective in intellectu, seu per denominationem ab aliquo opere intellectus: quod verum est „. (*Metaph.* D. 6. sect. 2. n. 1). Mercier in *Criteriologie gén.* n. 137, post expositas aliorum circa hanc rem explicationes, ait: " La discussion du nominalisme ancien se concentre, on le voit, autour de cette question: Est-il vrai qu'il ne peut y avoir plusieur concepts, objectivement différents, d'un même chose? Est-il vrai qu' une distinction *logique,* pour n' être pars trompeuse doit correspondre à une diversitè *réelle?* „.

[1]) Cfr. Mercier, *Op. cit.* n. 134; Pesch., *Inst. log.* II. 2; De Wulf, *Histoire* etc.

[2]) S. Th. 1 p. q. 84. a. 1. c. Cfr. etiam 1 *Metaph.* l. 10; *De Ente et Essent.* cap. IV; et 1 p. q. 15. a. 1.

[3]) *Ideae* Platonis manerent unae (ἑναδες seu μόναδες) quarum unaquaeque sit ἓν ἐπὶ πολλῶν — Quidam post S. Aug. benignius Platonem interpretantur, sed non videtur recedendum sine gravi indicio ab interpretatione Aristotelis qui viginti annos Platonem audivit.

270) dixit omnes ideas, sive substantias remanere subsistentes in divina mente, et inde per quamdam *emanationem* prodire [1]) Ad Platonicam sententiam accessit quoque Avicenna, de quo vide S. Th I. p. q. 84. a. 4. Aliis omissis, Io. Scotus Eriugena (saec. IX) censuit cum Neo-Platonicis obiecta conceptuum universalium realiter existere *formaliter* ut universalia ; imo eo usque progressus est ut diceret : " Cum ergo audimus Deum omnia facere, nil aliud debemus intelligere quam Deum in omnibus esse, hoc est essentiam omnium subsistere. Ipse enim solus per se vere est, et omne quod in his quae sunt dicitur esse, ipse solus est „ [2]) Eum secuti sunt Almaricus de Chartres et David de Dinando saec. XII a concilio Lateranensi (1215) reprobati [3]) — Ultra-realistae sunt etiam Guilelmus Campellensis (de Champeaux 1070-1120) cui visum est naturam formaliter unam nullo modo posse esse multiplicem, et ita debere esse unam in rerum natura, sicut una est in intellectu. Et sic posuit naturam humanam unam reapse esse in sua substantia, eamdem tamen posse recipere varia accidentia sub quibus in diversis individuis videtur quidem multiplicata, sed multiplicata non est : Adhelardus de Bath, Gualterus de Mortagne († 1140) ; Gilbertus Porretanus (1070-1154), cuius doctrinae metaphysicae generatim sunt ex Platone desumptae : quare cum ultra-realistis numeratur ab auctoribus. Eius tamen sunt haec verba " Non solum enim rationalium, sed etiam non rationalium substantiarum individuarum universalia quaedam sunt quae ab ipsis individuis humana ratio quodam modo abstrahit, ut earum naturam perspicere.... possit „ [4]) quae *realismum moderatum* sapiunt [5]).

---

[1]) Cfr. Turner, *op. cit.* p. 185.

[2]) Cfr. Turner, *op. cit.* p. 227 ; Mercier, *op. cit.* n. 134 in nota ; Willems, *Instit. Phil.* vol. I. *Critica* Parte II[a] lib. II. cap. II.

[3]) Willems ibid. S. Th. Summa Theol. 1. p. q. 3. a. 8. ait " Tertius error fuit Davidis de Dinando qui stultissime posuit Deum esse materiam primam.

[4]) Migne, *Patr. lat.* Vol. LXIV col. 1374.

[5]) Etiam sequentibus temporibus Ubaghs, Laforèt aliique " voient dans tous les membres de l'espèce humaine la même nature, qui demeure numériquement une, malgré la multiplication des personnes „ Laforèt, *Les Dogmes catholiques* 2[a] edit. I. p. 148-150.

Ad ultra-realistas accedit etiam Duns Scotus (1266-1308) " *doctor subtilis* „ cum suis, quando statuit distinctionem *formalem* mediam inter realem et rationis; unde putat naturam, licet realiter sit identificata cum individuo, formaliter tamen ex natura rei distingui ab individuatione [1]).

460. Realistae moderati. — Omisso Abaelardo, quem plures dicunt veritatem in hac re, licet minus distinte, introspexisse; Alexander Halensis († 1245), Albertus Magnus (1193-1280), S. Thomas (1225-1274) una cum aliis praecipuis aevi medii doctoribus defenderunt cum Aristotele haberi quidem repraesentationes universales quibus respondet aliquid in re, minime vero realitates universales formaliter ut tales; i. e. res in natura esse particulares (existere enim est singularium), tamen in nobis posse repraesentari ut abstractas: porro natura abstracta cum per intellectus reflexionem consideratur cum relatione ad subiecta particularia in quibus potest inveniri, potest indifferenter iis singulis tribui, est unum respiciens plura ut aptum iis inesse et de iis praedicari, *est universale* in *essendo et consequenter in praedicando* [2]).

Sed de historia iam satis superque. Tempus est ut intimius quaestionem considerantes, veram doctrina statuamus, contrarias vero opiniones refutemus [3]).

Praesuppositis ergo notionibus illis quas in Logica Minori [nn. 135-139] circa Universalia tradidimus, ipsam *essentiam* Universalium in primis perscrutabimus: deinde ipsorum *causam effectivam* perquiremus: tertio de *proprietatibus* et quarto denique de ipsorum *praedicabilitate* speciatim agemus [4]).

---

[1]) Scotus in 2 S. D. 3. q. 1.; 7 *Metaph.* q. 10 et seq. Cfr. Suarez, *Metaph.* Disp. VI.; Kleutgen, *Die Phil. der Vorz.* 2te Abh. 172-180; Mercier, *Criter.* n. 134; Turner, *op. cit.* p. 350 vers. it.; Willems, l. c.

[2]) Cfr. e. g. S. Th. *Opusc.* 44 de *totius logicae summa* tract. 1. c. 1.

[3]) Pro ampliori cognitione de controversia circa universalia in medio aevo, possunt videri De Wulf op. saepius citato; Bruck, *Lehrbuch der Kirchengeschicte* 139; Mercier, *l. c.*; Pesch. *Instit. log.* 177 sq.; Frick, *Logica* etc.

[4]) Notandum quod ex quaestionibus quae hic solvendae proponuntur, plures respiciunt non ipsam *formam* universalitatis, sed eiusdem *subie-*

QUAESTIO PRIMA.

De Universalibus quoad essentiam.

461. Praenotiones. — Ordo quaestionum, iuxta Philosophum est, ut prius de aliquo quaeratur *an est,* deinde *quid est.* Antequam autem respondeatur ad quaestionem *an est,* oportet praecognoscere et praedeterminare *quid significetur per nomen.* Sic ergo prius assignanda est definitio *quid nominis,* tum procedendum ad determinandum *an est,* tum demum *quid est,* hoc est ad ipsam definitionem quae dicitur *quid rei* deveniendum ; ex definitione autem, omnia reliqua de re demonstrantur. — Cum ergo de Universalibus hic agamus, determinandum est in primis, seu potius in mentem revocandum, quid veniat nomine *universalis* generatim, et quandoquidem hic inquirimus solum de *universali* quod dicitur *in essendo,* speciatim est considerandum quid hoc nomine significetur.

THESIS I[a] — Universale recte definitur " unum aptum inesse pluribus „ aut " unum in multis „.

462. *Declaratur* — (Agitur enim de definitione). Ex communi usu loquendi illud omne dicitur aliquo modo — *universale* — quod in sua unitate aliquo modo *se habet ad universa,* sive demum ad universa simpliciter, sive ad universa alicuius determinati generis vel speciei, h. e. quod in sua unitate quomodocumque se habet ad plura. Sic dicimus legem universalem, axioma universale, principia universalia, errorem universalem, causam universalem, dominium universale etc. Atque ita secundum diversos modos quo unum respicit plura distinguunt philosophi *universale in causando, in repraesentando, in significando* etc. cf. [n. 136].

Porro universale illud de quo logica requirit et cuius hic

---

ctum. Sed *Logicus* qua logicus agit de ipsa intentione universalitatis, de subiecto autem eius praesuppositive et quasi per accidens : Metaphysicus vero de naturis quae sunt universalitatis subiectum, *directe* et *principaliter.*

quaerimus definitionem, est unice *universale in essendo* cuius proprietas est quod sit etiam universale *in praedicando* [1]).

Iamvero sicut universale in causando est unum aptum *causare* plura, et universale in repraesentando unum aptum *repraesentare* plura, et universale in significando unum aptum *significare* plura, ita universale *in essendo* est unum aptum *esse* plura, seu unum aptum *inesse* pluribus. Ergo universale de quo agit logica bene definitur — *unum aptum inesse pluribus.* — Et *est* simul unum et *est* plura [2]). Unde etiam bene dicitur *unum in multis* scil. existens in multis, hoc enim pertinet ad rationem propriam universalis in essendo. Sic v. gr. id quod significatur hoc nomine: *animal, homo, triangulus,* unum quoddam est, quod tamen universis inest sive animalibus, sive hominibus, sive triangulis individuis: et ita ipsis inest ut unumquodque ex illis, *sit illud ipsum* quod dicitur universale; ita scilicet ut v. gr. hoc quod indico, sit animal, et illud aliud etiam sit animal etc. [3]).

463. Quaeres; quo sensu accipitur illud — " *unum* „ — et illud — " *plura* „ — et quomodo potest idem esse unum et plura?

Respondeo: *Ad* Im Universale debet esse unum *unitate formali* quae nempe excludat omnem formalem multiplicitatem, *plura* vero *numerice* et ita quidem ut illa quae sic dicuntur plura, plura sint ut denominantur formaliter ab illa una ratione quae de iis dicitur universaliter. V. gr. *homo* exhibet rationem

---

[1]) Patet ergo quod universale de quo nunc loquimur, est universale *incomplexum* seu simplex, non vero universale complexum.

[2]) S. Th. op. 56 *de Univ.*

[3]) Nota statim quod iuxta dicta de definitione accidentium (quae fieri nequit sine additamento subiecti) illud quod proprie definitur, licet concrete, in data definitione non est subiectum universalitatis seu id cui accidit esse universale, puta homo vel lapis, sed est ipsa ratio universalitatis quae abstracte diceretur: *Aptitudo unius ad existendum in pluribus;* seu (ut videbimus) *Relatio rationis naturae unius ad existendum in pluribus.*

Nota etiam quod universale hic dicitur — *aptum inesse* — non vero *existens in pluribus* quia non exigitur ad rationem universalis ut aliquid sit actu in multis, seu actu sit multiplicatum, sed sufficit quod *possit* in pluribus esse, seu quod sit multiplicabile. Idem dic de universali *in praedicando.*

formaliter unam, scil. humanitatem in concreto, haec autem ratio una formaliter, invenitur multiplicata numerice in pluribus hominibus ita ut illi sint *plures homines.* Contra, essentia divina quae concrete exprimitur per hoc nomen *Deus,* non ita est in pluribus Personis ut multiplicetur numerice in ipsis, ita quod dici possint plures *dii,* unde nullo modo dici potest nomen Deus significare aliquid universale in essendo relate ad tres divinas Personas realiter inter se distinctas, quae tres quidem sunt, sed non ut denominantur a Deitate, ita ut dici debeant tres dii.

Ad II^m *Quomodo nempe possit aliquid esse unum et plura,* cum videatur hoc contradictionem involvere, respondendum est quod repugnaret quidem unum idemque esse *formaliter unum* et *formaliter plura,* vel *numerice unum* et simul *numerice plura,* cum haec involvant unum et non unum ; sed nullo modo repugnat quod aliquid sit formaliter unum, seu una quaedam ratio formalis et tamen numerice sit plura h. e. inveniatur in pluribus numerice multiplicatum. Et sic v. gr. natura humana quae formaliter una est, invenitur in pluribus multiplicata numerice : non enim eadem est numerice natura humana in Petro et Paulo quamvis formaliter, h. e. secundum perfectionem specificam omnino eadem sit.

464. Instabis. Si unusquisque homo individuus habet suam naturam humanam numerice distinctam ab humanitate alterius, ita ut unitas ipsa illa formalis seu una illa ratio specifica in singulis et pro singulis multiplicetur; nihil *commune* habetur, nihil quod unum in se respiciat plura, h. e. non habetur proprie unum quod insit pluribus.

Respondeo : — Ut magis declarabitur infra, ad universale habendum non sufficit quod habeatur natura formaliter una existens in pluribus sed requiritur insuper quod intellectus naturam illam ab individuis abstractam *referat* ad ipsa individua ut naturam ipsis communem. Unde iam videre potes *aliquid* esse in universali quod dependet ab humana ratione ; cui tamen res ipsa praebet fundamentum, ut declarabitur. Dixi - *aliquid* - : universale enim materiale, ut videbimus, dici debet esse reale, quamvis actu in esse universalis constituatur per relationem quandam rationis unius ad plura. Id quod pendet a ratione,

vocatur universale *formale, reflexum, logicum :* natura quae recipit talem intentionem universalitatis, vocatur universale *materiale, directum, metaphysicum.* Cf. [n. 138].

465. Obiectiones [1]) — **Ob. 1ª.** Omnis bona definitio debet competere omni et soli definito.

Atqui data definitio universalis non convenit omni et soli quod haberi debet ut universale. Ergo data definitio non est bona.

Resp. : Nego min.

Ob. 2ª. Probo minorem — Definitio data importat quod omne id quod est unum in pluribus sit universale. Atqui aliquid datur quod est unum in pluribus, nec tamen habetur ut universale: e. g. Corpus Christi Domini in pluribus speciebus. Ergo definitio data non convenit *soli* definito.

Resp. *D. M.* Data definitio importat quod omne id quod identice in pluribus *multiplicatum* invenitur, sit universale *C. M.* — quod omne quod quomodocumque invenitur in pluribus sit universale *N. M.* — *Contrad. m.* Aliquid datur quod est unum in pluribus *immultiplicatum* in ipsis, (ut Venerabile Corpus Christi in speciebus [2]) et non est universale *C.m. :* aliquid datur in pluribus identice *multiplicatum* existens, quod non sit universale *N.m.* — *N. Consequentiam.*

Ob. 3ª. *Subsumes* — Atqui aliquid datur in pluribus identice multiplicatum existens, quod tamen non est universale. Ergo definitio data non convenit soli definito. Et *probo min. subsumpt.*

Identice multiplicatur in pluribus quod in ipsis multiplicat suam unitatem formalem. Atqui aliquid datur quod in pluribus multiplicat suam unitatem formalem, quin sit universale, e. g. *ens.* Ergo aliquid datur identice multiplicatum in pluribus quin sit universale.

---

[1]) Difficultates huius thesis coordinatae sunt sub forma disputationis scholasticae, ut specimen talis disputationis exhibeatur.

[2]) Adorabile Corpus Christi in speciebus Sacramenti nullo modo multiplicatur (cum hoc sit intrinsece absurdum, utpote repugnans ipsi rationi *individui*) sed multiplicantur seu plures sunt species realiter continentes idem atque immultiplicatum Corpus Christi Domini (cf. Billot, *de Euch.* q. 75 § 2.ª n. 2. 3.)

Resp. *D. M.* Identice multiplicatur in pluribus (identitate requisita ad rationem universalis) quod in ipsis multiplicat suam unitatem *perfectam* nempe univocam *C. M.* — quod in ipsis multiplicat suam unitatem *imperfectam* seu analogam *N. M.* — *Contrad. min.* Aliquid datur quod in pluribus multiplicat suam unitatem *imperfectam* nempe analogam (ut. e. g. *ens* [1])) et non est universale *C. m.:* quod multiplicet suam unitatem *perfectam* nempe univocam, et non sit universale *N.m.* — *N. C.*

Ob. 4ª. *Subsumes* — Atqui impossibile est quod aliquid multiplicet in pluribus suam unitatem perfectam nempe univocam. Ergo vel nullum datur universale, vel aliquid identice multiplicatum in pluribus non est universale. *E. p. m. s.*

Ratio quae multiplicatur in pluribus, diversificatur secundum differentias singulorum. Atqui quod diversificatur secundum differentias singulorum, non potest esse univocum. Ergo impossibile est quod ratio multiplicata in pluribus, una sit unitate perfecta nempe univoca.

Resp. *D. M.* Ratio quae multiplicatur in pluribus, diversificatur *numerice* secundum differentias singulorum *C.M;* diversificatur *formaliter* semper, secundum differentias singulorum *N. M.* — *Ct. m:* Quod diversificatur *formaliter* secundum differentias singulorum, non potest esse univocum *C.m:* quod diversificatur *numerice* secundum differentias singulorum, non potest esse univocum *N.m.* — *N.C.*

Ob. 5ª. *Subsumes* — Atqui nihil diversificatur numerice in singulis, quin hoc ipso diversificetur etiam formaliter. Ergo impossibile est quod ratio multiplicata in pluribus, una sit unitate perfecta nempe univoca. *E. p. m. s.*

Quod diversificatur numerice in singulis, intrinsece includit

---

[1]) Ens quod dicitur de omnibus, non habet unitatem perfectam sed solum analogicam: ratio enim quae per ipsum importatur est secundum quid eadem sed simpliciter diversa. Unde non est unum sicut oportet esse universale. Idem dicatur de omnibus aliis transcendentibus: nonnumquam tamen transcendentia vocantur etiam universalia, imo *maxime universalia* et *universalissima,* sed haec est impropria locutio fundata solum in quadam similitudine quam transcendentia habent ad universalia proprie dicta.

differentias singulorum. Atqui quod intrinsece includit differentias plurium non potest esse *unum* formaliter. Ergo quod diversificatur numerice in singulis, hoc ipso diversificatur quoque formaliter.

Resp. *D.M.* Quod diversificatur numerice in singulis, intrinsece includit differentias singulorum secundum quod *realiter invenitur in ipsis. C. M:* secundum quod per intellectum accipitur *in praecisione a notis* individuantibus singulorum *N.M. — C t.m.* Quod intrinsece includit differentias singulorum, non est unum formaliter secundum quod accipitur in statu concretionis et singularitatis *C.m.* secundum quod per intellectum accipitur in praecisione a notis individuantibus *N.m. — N.C.*

THESIS II[a] — Admitti debet Universale in essendo, quod saltem aliquo modo sit tale.

466. Praenotandum. — Post quaestionem *quid nominis,* antequam ulterius procedendo, intimius investigemus *quid sit* universale et quaenam sint passiones ipsius, rationabiliter quaestio *an est* statuitur.

467. Probatur. — Probare quod dentur universalia, et quidem quae aliquo modo sint *universalia in essendo,* nullius negotii res est. — Profecto enim cum dico: *Petrus est homo, Paulus est homo, Joannes est homo* etc. hoc quod dico — *homo* — respicit omnes illos individuos homines de quibus dicitur, et est una quaedam ratio aliquo modo se habens ad illa plura.

Pariter manifestum est quod in scientiis determinamus v. gr. de syllogismo *ut sic,* et non de hoc, de triangulo *ut sic* et non de hoc, de anima *ut sic* et non de hac etc. Ergo datur aliquid unum praeter multa, quod communiter se habet ad illa plura (sive illud unum sit aliquid reale, sive sit aliquid mere fictum a ratione, sive existat separatim a singularibus, sive cum iis identificatum, sive nihil aliud sit quam merum nomen commune aut merus conceptus communis, quae omnia inferius erunt quaerenda, et a quibus nunc praescindimus). Ergo datur universale, de quo debeat fieri determinatio.

Insuper ex allatis exemplis patet quod illud quod dixi — *homo* — est aliquid non quomodocumque universale, sed *universale* aliquo modo *in essendo,* ita enim homo de pluribus illis di-

citur, ut unumquodque *sit* homo. Ergo admitti debet universale in essendo, quod saltem aliquo modo sit tale. An autem realiter existat, an solum in intellectu, inferius erit determinandum.

468. Obiectiones — Ob. 1ª. Ratio ipsa *universalis* est intrinsece absurda: nam importat unitatem simul et pluralitatem in eadem ratione. Atqui intrinsece absurdum est quod idem possit simul esse unum et plura. Ergo ratio ipsa universalis est intrinsece absurda. (Cf. [n. 463] ad IIm).

Resp. *Nego assertum* — Ad *prob. D. M.* universale importat quod *eadem ratio* sit una et plures secundum diversa *C.M:* quod eadem ratio sit *secundum idem* una et plures *N. M. C.t. m:* repugnat quod idem *secundum idem* sit unum et plura *C.m:* quod idem *secundum diversa N. m.* — *N. C.*

Ob. 2ª. Si quid esset unum et plura, singula ex his deberent esse et ipsa unum et plura, secus non essent illud unum. Atqui si singula ex his sunt unum et plura, iterum singula ex istis pluribus, deberent esse unum et plura, et sic in infinitum, quod est absurdum. Unde ipsa ratio universalis, nempe unius in pluribus, est intrinsece absurda.

Resp. *D. M.* Si quid est unum et plura, *multiplicans in pluribus suam ipsam rationem universalis,* singula ex his deberent item esse unum et plura *C. seq. M:* si quid est unum et plura non multiplicans in ipsis suam rationem *universalis N. seq. M.* — *C. seq. min.* — *D. C.* Esset intrinsece absurda ratio universalis si importaret multiplicationem ipsius rationis *universalis* in singulis per ordinem ad quae dicitur universalis *C.C.:* si importat multiplicationem numericam *unitatis formalis N.C.* Non dicimus quod multiplicetur in pluribus ipsa ratio *universalitatis*, sed dicimus quod multiplicatur in pluribus eadem ratio formalis, quae ideo accipitur ab intellectu ut communis et universalis. Considera ergo differentiam inter ista tria: in *Trinitatis Mysterio* ratio Divinitatis licet *identice* inveniatur in singulis Personis, *nullo modo multiplicatur* in ipsis: in nominibus collectivis, ratio per nomen importata, non solum *non multiplicatur* in singulis, *sed neque identice* in ipsis invenitur (puta ratio exercitus in militibus): in universalibus denique ratio importata invenitur *identice* in pluribus et quidem *multiplicata* in ipsis. Tamen sicut ratio ipsa *Trinitatis,*

et generatim ratio ipsa *collectivitatis* [1]) *nullo modo invenitur* in singulis per respectum ad quae dicitur, ita *nec ratio universalitatis.*

Ob. 3ª. Nomina quae dicuntur universalia, si bene inspiciantur, proprie non sunt nisi *collectiva,* ita ut cum dicimus: *homo est animal, τὸ homo* idem dicat ac *omnes homines.* Atqui collectivum, improprie est universale. Ergo ratio proprie universalis non datur.

Resp. *D. M.* habent aliquid de collectivo, nempe multiplicitatem subiectorum *C. M.:* habent solum unitatem quae invenitur in collectivis, nempe unitatem *ordinis* tantum *N. M.* — *Ct. m.* collectivum simpliciter dictum, improprie est universale *C. M.* quod participat aliquid de collectivo, sed aliquid addit, nempe *unitatem essentiae* in pluribus, non potest esse proprie universale, *N. m.* — *N. C.* — Adverte tamen quod collectiva ipsa, accipi possunt ut vere universalia, relate ad plura participantia illam rationem: (hinc plures exercitus, plures populi etc.).

THESIS IIIª — Universale materiale est reale.

469. Praenotiones. — 1º Ex his quae hucusque pertractata sunt, iam possumus penitiorem conceptum nobis efformare de eo quod diximus *universale in essendo.* Ad hoc enim ut aliquid sit universale in essendo, tres conditiones omnino requiruntur: 1º debet esse aliquid *unum* non quidem *numerice* sed *formaliter* et quidem unum unitate perfecta, excludente prorsus omnem diversitatem: debet namque esse *una natura* idest quae in plures essentias non dividatur. 2º debet multiplicari non *formaliter* sed *numerice* in pluribus etiam secundum suam formalem unitatem,

---

[1] Nota tamen quod nomen *Trinitatis* non est simpliciter *collectivum.* Nam nomen collectivum duo importat, scilicet *pluralitatem* suppositorum, et *unitatem* quamdam, scilicet ordinis alicuius. Populus enim est multitudo hominum sub aliquo ordine comprehensorum. Quantum ergo ad primum, hoc nomen *Trinitas* convenit cum nominibus collectivis: sed quantum ad secundum differt, quia in divina Trinitate non solum est unitas ordinis, sed cum hac, est etiam unitas essentiae, absque ulla multiplicatione: et per hoc ultimum, nomen *Trinitatis* differt quoque a nominibus universalibus. (Cf. S. Th. I. p. q. XXXI a. 1 ad 2).

seu debet esse in pluribus quae *plura sint* etiam secundum quod sunt ipsum. 3° debet habere unitatem quamdam *communitatis,* unitatem nempe quae ne numerice quidem multiplicetur. Nihil enim quod numerice multiplicatur in pluribus, dicitur proprie commune in quantum multiplicatur. Sic ager dici poterit pluribus communis, si idem existens immultiplicatus, ad plures pertineat. — Et sic patet quod defectu *primae* conditionis excluduntur ab universali omnia complexa, aequivoca a casu et analoga utpote quae ab unitate perfecta deficiunt: — defectu *secundae* conditionis, multa quae dici possunt aliquo modo unum in pluribus, non sunt tamen universalia in essendo. Sic Essentia Divina est una in pluribus, sed prorsus immultiplicata: domus est una in pluribus suis partibus, exercitus in pluribus militibus, Deus in pluribus locis, Corpus Christi Domini in pluribus speciebus, sed nullum horum, numerice multiplicatur in his quibus inest. Sic etiam universale in significando et causando et in repraesentando referuntur ad plura sine ulla sui multiplicatione: — defectu *tertiae* conditionis, quae se habet ut formale in universali, natura quae est in intellectu ut conceptus obiectivus, abstracta a notis individuantibus, non est de se formaliter universalis. Gaudet enim unitate formali, sed non unitate *communitatis.* Nam talis natura, eo ipso quod abstrahit ab individuis, praescindit ab uno (secus esset adhuc alicui individuo concreta) et a pluribus (quia praescindit a singulis) et ideo non est de *se communis.*

2° De hoc ergo universali in essendo nunc inquirimus utrum sit ens *reale* aut ens *rationis* tantum, quod nempe ideo est quia cogitatur. — Ad hanc autem questionem solvendam, plurimum confert animadvertere eam specie tenus unam, re autem vera duplicem esse. Universale enim, seu unum aptum inesse pluribus, non est ratio necessario exhibens aliquid unum per se, sed aliquid unum per accidens, scilicet *naturam* quae dicitur universalis, et ipsam *rationem* communitatis seu universalitatis *qua* illa est universalis: aliis verbis considerare oportet universale *materiale* et universale *formale.* Dicimus autem quod universale *materiale* est *reale,* et per hoc significamus quod naturae illae quae per operationem intellectus evadunt formaliter universales, sunt reales

et non aliquid oratione confictum, neque per hoc quod ab intellectu attinguntur, praecisione facta ab iis quibus individuantur, cessant esse reales.

3° Manifeste thesis ista est contra positionem quae communiter tribuitur Nominalibus et Conceptualibus seu contra positionem illam quae statueret *tantum* voces, vel *tantum* conceptus esse universales. Convenimus enim cum Conceptualibus quantum ad hoc quod dicunt dari conceptus universales, sicut convenimus cum ipsis Nominalibus quantum ad hoc quod dicunt dari nomina universalia (convenimus, inquam, quantum ad substantiam rei, omisso modo quo id ipsum singuli affirmant et errores alios quos intermiscent). Tota autem quaestio reducitur ad hoc quod demonstretur dari revera naturas communes seu universales: si enim res ipsae, quas concipimus, sunt aliquo modo universales, conceptus ipsi quibus eae repraesentantur, erunt aliquo modo universales, saltem si illae repraesententur secundum id secundum quod habent illam quamcumque universalitatem (hoc est cum praecisione ab individuantibus, ut videbimus). Idem autem dicatur de nominibus.

470. Probatur thesis. — 1. Quidquid intellectus attingit *directe* per simplicem apprehensionem in rebus, est aliquid reale. Atqui universale materiale de quo nunc loquimur est aliquid quod *intellectus directe per simplicem apprehensionem attingit* in rebus (unde etiam universale directum solet vocari). Ergo universale materiale est aliquid reale.

Declaratur Maior. — Quamvis intellectus res considerando possit quasdam intentiones efformare, quae sunt entia rationis, de quibus in Logica Minori locuti sumus, non tamen potest talia entia seu tales intentiones secundas efformare per primam simplicem apprehensionem directam, sed solum per quamdam reflexionem, ut ibi declaratum est: Cfr. [nn. 6, 7, 48]. Ergo quod attingit directe per primam simplicem apprehensionem *in rebus,* nequit esse figmentum rationis. — Insuper in prima simplici apprehensione, cui nulla admiscetur intellectus compositio, intellectus ipse omnino deficere non potest, ut inferius declarabitur in quaestione de veritate. Ergo quidquid intellectus attingit di-

recte per simplicem apprehensionem in rebus, est aliquid reale, cum a rebus difformis esse non possit [1]).

II. Quando invenis bubulcum per viam, interroga ipsum, utrum ferrum v. gr. sit durius quam lignum. Affirmabit. Quaere an hoc solum, quod est in aratro, ferrum, an omne ferrum. Et quaeras utrum dicat *vocem* esse duram aut durum *conceptum*, an rem aliquam duram. Putabit te desipere. Dic ergo in forma: *Homo, leo, lapis sunt aliquid reale.* Atqui haec sunt universalia materialia. Ergo universale materiale est aliquid reale.

Item quando physicus demonstrat aliquid de proprietatibus v. gr. hydrogenii, oxygenii, magnetis, vel de natura plantarum; vel astronomus de sole aut luna, petas ab iis utrum id demonstrent de voce vel de conceptu, an de re. — Tum dic: *Omnes scientiae sunt de universalibus.* Sed scientiae communiter sunt de realibus. Ergo universalia plura sunt realia. — Dixi — omnes scientiae — communiter — sunt de realibus quia Logica est de intentionibus, sed aliae de talibus non sunt. Et tamen profecto sunt de universalibus. Cum enim demonstro aliquid de parallelis vel de triangulo etc., universaliter de omni tali demonstro et non de hoc. Ergo. [1]).

III. Tota ratio negandi realitatem universalium aut esset eorum *abstractio*, aut eorum *communitas.* Atqui neutrum est ratio realitatem universalium negandi. Ergo nulla ratio est negandi universalia materialia esse realia.

Probatur Minor per partes: 1° *quantum ad abstractionem;*

---

[1]) Hinc etiam vides cum dicimus universale materiale esse reale, hoc dici debere de iis rationibus universalibus, quas intellectus *in rebus ipsis directe* attingit; non enim contendimus quod omne universale sit reale. Nam, cum intellectus noster non sit cognoscitivus directe nisi universalium, etiam ipsa entia rationis et secundas intentiones, quae sunt quaedam entia rationis, intelligit formando universale; et sic *genus, species, terminus* sunt universalia quaedam, nec tamen sunt realia. Quod eo vel magis valet de nominibus exprimentibus ipsam formalem universalitatem, ut sunt nomina quinque praedicabilium, quia ut dicemus, ipsa ratio universalitatis seu ipsa communitas non reale aliquid, sed omnino aliquid rationis est.

[2]) Ars medica non quaerit quid profuit Calliae, proprio ac peculiari morbo laboranti, sed quid Calliae aliisque eadem communi aegritudine affectis „ I. (Aristoteles, *Met.* c. 1.).

ex eo enim quod in re non est ipsa abstractio non sequitur quod id quod abstracte et inadaequate per intellectum attingitur in re, non sit in re, et proinde non sit reale. Aliquid reale attingit gustus cum sentit saccarum esse dulce, licet nihil sentiat quod sit simul album et rotundum. Separatim sentis quae separata non sunt, ergo non sentis aliquid reale?

2° *quantum ad communitatem.* Nam ex eo, quod realis non est ipsa communitas, non sequitur quod non sit reale illud, quod per rationem evadit commune. Ex hoc solum sequetur quod universale formale, seu clarius forma universalitatis et id *quo* universale habet quod sit actu universale, non est aliquid reale, quod concedimus, imo contendimus et inferius probabimus. Sed nulla prorsus ratio est negandi realitatem universalis materialis seu ipsius subiecti universalitatis, de quo hic quaerimus.

IV. Universale est unum in multis. Atqui essentia illa, quae hoc nomine " *animal, homo, leo* „ significatur est una in multis realiter. Ergo universale materiale est reale.

Maior patet ex dictis de definitione universalis.

Minor probatur. Quod vere affirmatur de multis, vere inest multis. Atqui essentia seu natura illa, quae exhibetur hoc nomine " *animal, homo, leo* „ vere affirmatur de multis (non enim affirmo hoc, quod video et indico, esse hanc vocem, aut hanc conceptionem meae mentis, sed talem essentiam vel naturam ipsum habere realiter). Ergo ipsa illa natura, quae his nominibus exhibetur, vere et realiter inest multis.

471. Obiectiones — Ob. 1ª Quod existit est singulare. Atqui universale non est singulare. Ergo nullum existit universale.

Resp. *D. M.* Quod existit est singulare secundum *esse existentiae C. M.*; secundum esse *essentiae, sd.* scilicet est realiter identificatum cum singulari *C. M.* est formaliter singulare *N.M. D. m.* Universale formale non est singulare *Tr.* Universale materiale *sd.* non est formaliter singulare *C. m.* non est realiter identificatum cum singulari *N. m.*

Adverte quod distinctio Maioris non ita est intelligenda ac si existentia tantum, sit ratio singularitatis, neque quod essentia non abstracta a singularibus notis sit universalis. Nam abstrahere a sola existentia non sufficit ad habendum universale neque

materiale. Tamen quia ea quae existunt habent etiam singularitatis notas, ideo dicimus existens esse singulare secundum esse existentiae nempe habere *esse singulare.*

Ob. 2ª. Si natura esset una in pluribus posset suscipere praedicata contradictoria. Sed repugnat aliquid suscipere praedicata contradictoria. Ergo non datur in rebus universale.

Resp. *D. M.* — Si a parte rei daretur natura realiter una in pluribus immultiplicata numerice, susciperet praedicata contradictoria *C. M*: si datur natura una formaliter sed multiplicata numerice in singulis *N. M.* — *D. m*: repugnat quod aliquid recipiat praedicata contradictoria *secundum idem C.m: secundum diversa N. m. D. C.* Non datur in rebus universale formale *C. c*: non datur in rebus id quod per abstractionem intellectus fit aptum subiectum formae universalitatis *N. c.*

Notandum est aliquid posse accipere praedicata opposita secundum diversa. Ita aliquis potest esse pater et filius, et punctum potest simul esse principium et finis lineae. Sic ergo quamvis natura Pauli et natura Petri non distinguantur secundum quod accipiuntur praecisive in intellectu, tamen cum distinctae sint in re secundum multiplicationem numericam, iam possunt recipere etiam praedicata contradictoria.

Ob. 3ª. Si universale est a parte rei (v. g. species humana) vel talis species est humanitas Petri, vel humanitas Pauli vel utraque. Sed nullum horum dici potest: nam quaelibet humanitas est una numero, et ambae sunt duae numero. Ergo universale non est a parte rei sed tantum in intellectu.

Resp. *D. M.* Si universale est a parte rei secundum ipsam formam universalitatis *C. disiunct.m M.* si est a parte rei secundum materiam quae suscipit rationem universalitatis et non secundum formam *N. disiunct.m M. et assigno membrum:* — vel est humanitas ipsa quae est in Petro vel Paulo considerata tamen sine his vel illis individuationibus. — *C. m.* — *D. C.* Nullum universale formale est a parte rei *C. c.* Nullum universale materiale *sd.* idest nulla natura *secundum quod* invenitur a parte rei, est universale materiale *C. c.*: nulla natura *quae* invenitur a parte rei est universale materiale *N. c.*

Praeclare Angelicus: " Universalia *secundum quod sunt uni-*

versalia (reduplicative) non sunt nisi in anima. *Ipsae autem naturae* quibus accidit *intentio* universalitatis (seu subiectum universalitatis seu universale) sunt in rebus. *Et propter hoc* nomina communia praedicantur de individuis „. (II[m] *de Anima* l. 12).

Ob. 4.[a] Intellectus intelligens rem aliter quam ipsa sit est falsus. Atqui intellectus intelligens universaliter ea quae a parte rei non sunt nisi singularia, intelligit rem aliter quam ipsa sit. Ergo est falsus.

D. M. si *τὸ aliter* se tenet ex *parte rei intellectae*, seu si intelligit rem esse aliter quam ipsa sit *C. M.;* si *τὸ aliter* se tenet ex *parte ipsius intelligentis* seu ex parte modi intelligendi *N. M.* — *Ct. m.* intelligit rem *aliter* ex parte ipsius intelligentis *C. m; aliter* ex parte ipsius rei intellectae *N. m.* — *N. c.*

Audiatur S. Thomas: " Abstrahere contingit dupliciter: uno modo *per modum compositionis et divisionis* (iudicii) sicut cum intelligimus aliquid non esse in alio vel esse separatum ab eo. Alio modo *per modum simplicitatis;* sicut cum intelligimus unum nihil considerando de alio. Abstrahere igitur per intellectum ea quae secundum rem non sunt abstracta *secundum primum modum abstrahendi* (dicendo v. gr. universale est seu existit abstractum a singulari), non est absque falsitate. Sed secundo modo abstrahere per intellectum quae non sunt abstracta secundum rem, non habet falsitatem, ut in sensibus manifeste apparet. Si enim *intelligamus vel dicamus colorem non inesse corpori* colorato vel esse separatum ab eo, erit falsitas in opinione vel in oratione. Si vero consideremus colorem et proprietatem eius, *nihil considerantes de pomo* colorato, vel si quod intelligimus voce exprimamus, erit absque falsitate opinionis et orationis; *pomum enim non est de ratione coloris,* et ideo nihil prohibet colorem intelligi, nihil intelligendo de pomo. Similiter dico quod ea quae pertinent ad rationem speciei cuiuslibet rei materialis, puta lapidis, aut hominis, aut equi, possunt considerari sine principiis individualibus quae non sunt de ratione speciei. *Et hoc est abstrahere universale a particulari,* vel speciem intelligibilem a phantasmatibus, *considerare scilicet naturam speciei absque consideratione* individualium principiorum, quae per phantasmata repraesentantur. Cum ergo dicitur quod intellectus est falsus qui

intelligit rem *aliter* quam sit, verum est si ly *aliter* referatur ad *rem intellectam,* tunc enim intellectus est falsus, quando intelligit rem esse aliter quam sit : unde falsus esset intellectus si sic abstraheret speciem lapidis a materia ut intelligeret eam non esse in materia ut Plato posuit. Non est autem verum quod proponitur si ly *aliter accipitur ex parte intelligentis ;* est enim absque falsitate ut alius sit modus intelligentis in intelligendo quam modus rei in essendo, quia intellectum est in intelligente immaterialiter per modum intellectus, non autem materialiter per modum rei materialis (S. Th. I p. q. 85 a. 1 ad 1.[m]) [1]).

THESIS IV[a] — Nominalismus sive purus sive moderatior reiiciendus est.

472. Praenotandum — Ut innuimus [n. 458] non omnes auctores critici conveniunt in assignanda vera doctrina Nominalium : sub duplici tamen forma communiter exhiberi solet : nempe Nominalismus purus docet universale non inesse nisi in sola voce sive vocabulo ; Conceptuales (seu Nominalistae moderati) non tantum nomina sed etiam conceptus universales esse docent, sed dicunt tales conceptus mere esse *subiectivos* et figmentis mentis contineri. Asserunt igitur his conceptibus exhiberi quidem convenientiam rerum secundum idem, sed hanc *convenientiam* et hoc *idem* nulla prorsus ratione reperiri in rebus nec in rebus fundari, sed sola mentis consideratione constitui : omnem autem convenientiam quae rebus ipsis inesse videatur, vanam esse et ex solis subiectivis formis mentis nostrae exortam.

Ex recentioribus, ad Nominalismi (saltem moderatioris) errorem accesserunt ii qui ideas nobis innatas esse voluerunt, inter quos praecipue Cartesius : " Fiunt haec universalia, inquit, ex eo tantum quod una et eadem idea utamur ad omnia individua, quae inter se sunt similia cogitanda „ (*Princip.* p. 1. § 59).

Quamvis autem in thesi praecedenti iam isti errores refutati sint, tamen utile erit directe et distinctis probationibus contra illos agere.

473. Probatur 1[a] pars — *Nominalismus purus reiiciendus est.*

1° *Ex testimonio conscientiae :* nam dum nos concipimus

---

[1]) Cf. S. Th. I. p. q. 13. a 12. ad 3.

animal, homo, viride, non solum vocamus, sed revera concipimus aliquid universale. (Cf. quae dicta sunt in thesi praecedenti).

2° *Ex natura vocabulorum:* nam vocabula sunt natura sua signa conceptuum: si ergo dantur vocabula universalia, ut adversarii fatentur, dari quoque debent conceptus universales.

3° *Ex absurdis sequelis:* patet enim quod nulla esset scientia nisi de flatibus vocis: differentia omnis essentialis inter intellectum et sensum, et consequenter inter hominem et brutum esset neganda: unde a Nominalismo puro ad Materialismum et Positivismum (de quibus in thesi subsequenti) immediatus est transitus [1]). Recte igitur cum Fonseca dicimus quod nominales dum omnem rerum inter se communionem de medio tollunt, a ratione et dignitate philosophorum prorsus recedunt: nam, ut Plato ait in Sophista: " *Omnia ab omnibus secernere, et incontinuum est, et hominis musicae imperiti, philosophiaeque prorsus expertis* „ : *incontinuum* quia nisi particularia reddantur ad unitatem, incongrua et tumultuaria erit omnis rerum tractatio: *hominis musicae imperiti,* quia tota ratio artis musicae sistit in apta convenientia: *philosophiae prorsus expertis,* quia philosophia et omnis scientia est de universalibus.

474. Probatur 2ª pars. — *Nominalismus quoque moderatus est reiiciendus.*

I. Si conceptus universales nullum haberent fundamentum in rebus, manifeste falsa esset eorum significatio. Conceptus enim universalis quatenus exhibet naturam communem, exhibet aliquid quod aptum est referri ad multas res extra intellectum existentes, quodque in rebus multis vere inest vel inesse potest:

---

[1]) Tam absurda est haec sententia ut impossibile videatur quod homines sensati potuerint illam quomodocumque sustinere: loquela enim humana vere reduceretur ad *psittacismum* quemdam. Cf. Dugas, *Le psittacisme et la pensée symbolique psycologie du nominalisme.* 1896. — Et M. Ribot in " *Revue philosophique* a. 1891: " Il est possible que quelques-uns aient poussè jusque-là leur reaction contre les extravagances du rèalisme; mais c' est une thèse totalement insoutenable „ — Vix necesse est observare, hac thesi, erroris convinci etiam Darwinistas et alios qui in rebus, certas classes esse negant, vel ignorari volunt.

haec autem aptitudo vana esset ac fictitia si nullum haberet fundamentum in re. Ergo [1]).

II. Falsum est diversitatem conceptuum, esse non posse nisi mere *subiectivam,* ideoque non dari unius eiusdemque rei plures conceptus obiectivos: (quod quidem plures Conceptuales asserunt ut negent aliquid respondere conceptibus nostris universalibus). Negatur enim suppositum cui talis opinio innititur. Supponitur enim intellectum humanum uno actu posse concipere quidquid in unaquaque re continetur, ita ut quodammodo exhauriat ipsam. Sed hoc est evidenter falsum. Intellectus enim noster, cum sit infimus in ordine intellectuum et exeat de potentia ad actum, non statim penetrat in intimam rerum naturam, sed primo in eis apprehendit rationes universaliores et magis confusas, et deinceps alias et alias in quas unicam rem quasi dearticulat, donec tandem post longas analyses, in quadam synthesi, rei totalitatem percipit. — Falsum igitur est scientiam nostram importare solum relationes extrinsecas unius conceptus ad res singulares; neque obiectum nostrae scientiae sunt plures conceptus mere subiectivi, sed nostra cognitio repraesentat plures rationes obiectivas abstractas ex quibus per iudicium (compositionem et divisionem) adunatis, intellectus res naturae fideliter percipit.

475. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Ut universalis conceptus habeatur, oportet prius comparare omnia individua. Atqui hoc est impossibile. Ergo conceptus universalis est absurdus. (Nominalistae puri).

Resp. *N. M.* Ad constituendum enim universale directum sufficit consideratio unius individui. Si enim concipitur natura, omissa singularitate, iam est abstracta et indifferens ad omnia et apta quae insit in pluribus.

Ob. 2ª. Notio universalis nihil aliud est quam notio rei singularis, abstracta ab existentia actuali. Atqui res singularis abstracta ab existentia, est ipsa res singularis concepta ut possibilis. Ergo notio universalis nihil aliud est quam notio possibilitatis rei singularis, quae hoc modo accipitur ut typus omnium rerum existentium eiusdem naturae. (Ita Leibnitz obscure, clarius

[1]) Kleutgen, *Phil. Ant.* n. 158.

Rosmini) [1]). Unde recte ab Occamo universale est definitum: — *Conceptus vel vox plura significans.*

Resp. *N. M.* Falsum omnino est notionem universalis haberi per abstractionem ab actuali existentia, (ut inferius latius demonstrabimus). Universale enim, ut observat S. Bonaventura, quantum est de se, indifferenter se habet ad actum sive existentiam, et ad potentiam sive possibilitatem (1. D. 5. a. 11. q. 2.). Errant igitur qui singularitatem possibilitati, et universalitatem existentiae actuali relative opponi existimant. Nam actuali existentiae possibilitas, et singularitati opponitur universalitas.

Ob. 3ª. Si de una eademque re possent haberi plures conceptus obiectivi diversi, res a nobis non possent cognosci quales sunt. Sed hoc non potest admitti quin labamur in *agnosticismum.* Ergo de una eademque re non possunt haberi plures conceptus obiectivi diversi.

Resp. *D.M.* Non possent a nobis statim initio res cognosci perfecte quantum ad omnia quae eis conveniunt *C.M;* non possent a nobis cognosci *simpliciter,* ita ut nihil de re attingamus cum veritate, quia aliquid eius non apprehendamus *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* — Quod non cognoscamus uno actu quidquid in re est, contingit nobis ex debilitate intellectus nostri qui paullatim acquirit suam perfectionem, sicut accidit in iis quae generantur, et procedunt de potentia ad actum imperfectum et de hoc ad actum perfectum et completum.

Ob. 4ª. Si unius rei dari possent conceptus obiectivi distincti, posset accidere ut eamdem rem unus uno modo, alius alio modo apprehenderet: imo idem nunc sic, postea aliter posset aliquid concipere. Sed hoc non potest concedi — actum enim esset de absoluta rerum veritate. — Ergo unius rei non possunt esse conceptus obiectivi distincti.

Resp. *D. M.* Potest accidere ut aliquis notam quamdam in re existentem apprehendat, alius vero aliam distinctam quidem, sed non oppositam; et similiter idem potest in eadem re modo hanc, modo illam rationem percipere (v. gr. hic colorem, ille saporem, modo rationem plantae, postea rationem magis deter-

---

[1]) Nuovo saggio sull'origine delle idee. Sez. 3. c. 2. a. 10.

minatam piri aut cerasi . . . .) *C. M.* potest accidere ut aut unus idemque diversis vicibus, aut unus et alter simul de una re apprehendant rationes oppositas *sbd. per accidens* aliquando ut contingit intellectui errare per accidens *C. M. per se* et ut in pluribus *N. M.* — *Cdm.* — *N. C.*

Ob. 5ª. Pluribus conceptibus aut respondet aliquid, aut nihil. Si aliquid, erit res quaedam aut ens: si nihil, plures conceptus non erunt nisi *fabricamentum mentis,* seu entia rationis quae sunt tantum obiective in intellectu. Ergo de una re non potest haberi nisi unus conceptus.

Resp. *Conc. disiunct. M. et eligo I.*ᵐ *membrum cum distinctione:* scil. pluribus conceptibus obiectivis respondet in re aliquid, quod in ea est virtute, ideoque praebet fundamentum ad hoc ut ratio formet distinctionem *rationis ratiocinatae C. M.* pluribus conceptibus semper respondent aliae et aliae res realiter inter se distinctae *N. M.* — *Dis. min.* erit res quaedam i. e. non erit nihil *C. m.* erit aliquid realiter et non sola virtute distinctum ab alia re *N. m.* — Ut partes in toto ante signationem sunt *virtute,* ita *virtute* sunt in una eademque re plures gradus perfectionis qui licet non sint realiter distincti, dant tamen intellectui fundamentum formandi distinctionem non vanam.

Ob. 6ª. Conceptus qui universalis dicitur, nihil exhibet nisi congeriem singularum rerum. Quemadmodum enim, cum scriptum lego, videor mihi litteras singulas unica perceptione percipere et nihilominus litteris singulis singulae perceptiones respondent, ita similiter cum " hominem in communi „ concipio, videor mihi unum aliquod percipere, revera tamen plurimae celerrimae existunt perceptiones, quibus plurimos homines individuos cognosco. (Ita Chr. Wolfius).

Resp. *Nego Assertum — Et ad prob. dico* quod singulis litteris singulares perceptiones respondent si mentis attentio figitur in ipsas litteras ut sunt vocabuli materia: si vero mens attendit significationem totius vocabuli, ad quam efficiendam singulae litterae ordinatae sunt, adest perceptio unica, quae tamen toto caelo differt a perceptione universalis, cum talis perceptio non insit singulis litteris nec apta sit ut de singulis separatim litteris praedicari possit. — Praeterea, ut dictum est, ratio universalis

materialis perfectissime haberi potest per abstractionem vel ab uno individuo: nullo modo vero ratio vocabuli ab una littera. Unde *negatur omnino paritas.*

Ob. 7ª. Saepissime accidit quod conceptus, qui videtur esse unus, sola apprehensione confusa multorum constituatur, ideoque nullo modo vere unus sit: e. g. conceptus *patris, regis* etc. Ergo a pari cum concipio *hominem in communi,* apprehensione confusa multos singulares homines concipio.

Resp. *D. A.* Fieri potest quod conceptus qui videtur unus, habeat ordinem ad plura diversimode *C. A.* quod sit mera aggregatio plurium *N. A.* — *N.C.* — De hoc fusius in Psyicologia: interim nota quod termini qui ad exemplum afferuntur sunt relativi: porro correlativa sunt simul intellectu. Et praeterea adverte quod maxima est distantia inter conceptum collectivum et universalem. Collectio enim a multis incipit et ad unum terminatur: universale ab uno incipit et terminatur ad multa. In notione universalis, unitas est eo modo principium multitudinis, quo in notione collectiva multitudo est principium unitatis.

THESIS Vª — Nominalismus Positivistarum potiori iure reiicitur.

476. Praenotiones — I. Dogma fundamentale Positivistarum est: sensibile solum esse obiectum cognitionis [1]). Notiones ergo " ideales „ seu abstractae et universales non sunt nisi notiones *collectivae.* Iudicia, consequenter non sunt nisi coniunctiones empiricae factorum. Scientia definitur ab Aristotele " cognitio rei per causas „. Porro causa *formalis* et *materialis* sunt nobis

---

[1]) Stuart Mill hoc exprimit dicens: " l'esprit humain n' a qu'un seul mode de penser, *le mode de penser positif* „ — Et Ardigò (apud Marchesini. — *Elementi di Logica* — C. III. appen.) sic ait: " Anche Kant sottostà al pregiudizio della filosofia tradizionale delle due facoltà opposte, del senso che non possa dare che il singolo e dell' intelletto che solo possa dare l'universale ... La scienza positiva ha distrutto il pregiudizio delle due facoltà opposte del senso e dell' intelletto ... dimostrando che nella cogitazione entrano soltanto ed essenzialmente le sensazioni, e che anche la sensazione è in senso largo una cogitazione .... I campi dello spazio, del tempo, degli Universali, in cui si proietta ogni possibile pensato, non sono *a priori,* ma *a posteriori,* ossia sono formazioni che si hanno per as-

prorsus ignotae, causae *finales* non sunt nisi fictiones: causae *efficientes* non sunt nisi facta quaedam invariabilia. Scientia ergo non est universalium sed tota consistit in colligatione seu ordinatione factorum invariabilium, quae memoriam iuvandi gratia, perstringuntur sub formulis quibusdam abstractis.

II. Confutatio systematis Positivistarum, manifeste non est huius loci: hic tamen intendimus ostendere tantum, errorem ipsorum secundum quod negant universalitatem proprie dictam conceptuum nostrorum. Quamvis autem ex thesibus praecedentibus iam implicite confutati censendi sint, tamen enucleatius de his agere non erit abs re, ipsorum argumenta praesertim directe ponderando.

477. Probatur — I° *Absurdum est quod conceptus abstracti nihil aliud sint quam collectiones mere sensibiles.* Nam conceptui abstracto competunt eae notae ac proprietates quae omnino repugnant repraesentationi sensibili collectivae: conceptus enim abstractus 1° omnino *praescindit a determinationibus* singularita-

---

sociazioni di somiglianza: e la proiezione avviene non per un giuoco di facoltà, ma per la legge dell'associazione integrativa, dipendente dalle funzionalità fisiologiche dell'organo cerebrale „. — Et clarius (*ibid* c. XIII. app.): " Quell'indirizzo di pensiero per cui si ricerca la *varietà nel fatto,* spogliandolo di quegli artifizi di concezione (conceptus universales) che s'insinuano talora anche a nostra insaputa nei nostri giudizi e apprezzamenti intorno al mondo, alla vita, allo spirito, si dice **positivismo** .... La parola — *positivismo* — devesi ad Augusto Comte, ma il principio già da lungo tempo era saputo e professato, come si vede ad esempio, nel detto di Pietro Pomponazzi, che il senso e l'esperimento sono la bilancia della verità... Si vide già presto anche nell'antichità che per via di puro ragionamento movendo da principii *a priori,* la scienza riusciva non altro che l'opinione favorita di una scuola, una opinione alla quale una scuola diversa poteva, con tutta facilità e collo stesso diritto sostituirne un'altra... E ciò ancor più si riconobbe all'opera rinnovatrice del rinascimento degli studii nell'età succeduta a quella scolastica, che avea ridotta la scienza ad essere non altro che una sterile, noiosa, vana ritessitura di astruserie inconcludenti: e venne così sempre più a venir meno la fede nell'autorità per la scienza dei concepimenti dell'intelletto puro, e a rassodarsi la convinzione che *solo il fatto percettivamente constatato ha valore oggettivo* „. Quod est dicere aliis verbis quod homo tandem aliquando cognovit se non esse nisi belluam quae in avenam tantum ac verbera *scientifice* credit.

tis: contra, imago sensibilis potest esse plus minusve confusa, sed semper est determinata et singularis. Consequenter 2° conceptus abstractus (obiectivus) praedicari potest *distributive* et *identice* de omnibus inferioribus: hoc autem omnino repugnat dici de quacumque imagine sensili, praesertim si dicatur collectiva, de cuius ratione est quod nullo modo praedicari possit de singulis efformantibus collectionem. — Quapropter ipse Taine positivista fatetur quod inter imaginem sensilem confusam et conceptum qui exhibetur per nomen, abyssus intercedit: et ostendit exemplo *myriagoni* (poligoni qui habet decem et millia latera) qui optime potest concipi et tamen non cadit sub distincta imaginatione [1]).

II° *Sed non minus absurda est conceptio ipsius* Taine qui dicit conceptum universalem nihil aliud esse quam nomen ipsum quod statuitur a mente ut *signum* individuorum unius speciei, vel quorumduam factorum particularium. Confunditur nempe *analogia sensilis* cum processu universali rationis seu abstractionis, quo conceptus universales acquiruntur. Per *analogiam sensilem* nos possumus procedere a simili ad simile, de particulari in particulare: quia fumum vidimus connexum cum igne, ex cognitione fumi transimus in cognitionem ignis " ex sensu enim fit memoria. Ex memoria autem multoties facta circa eamdem rem, in diversis tamen singularibus, fit experimentum „. (S. Thomas in II^m Anal. l. XX). Sed toto caelo diversa est abstractio proprie dicta qua habetur universale. " Ostendit (Philosophus) quomodo in nobis fiat cognitio primorum principiorum et concludit ex praemissis, quod ex sensu fit memoria, in illis scilicet animalibus in quibus remanet impressio sensibilis, sicut supra dictum est. Ex memoria autem multoties facta, circa eamdem rem, in diversis tamen singularibus, fit experimentum; quia experimentum nihil aliud esse videtur quam accipere aliquid ex multis in memoria retentis. Sed tamen experimentum indiget aliqua ratiocinatione circa particularia, per quam confertur unum et aliud, quod est proprium rationis. Puta cum talis recordatur

[1]) Taine, *De l' Intelligence* I. pp. 37-38.

quod talis herba multoties sanavit multos a febre, dicitur esse experimentum quod talis sit sanativa febris.

Ratio autem non sistit in experimento particularium : sed ex multis particularibus ex quibus expertus quis est, *accipit unum commune quod firmatur in anima* et considerat illud absque consideratione alicuius singularis, et hoc accipit ut principium artis et scientiae. Puta diu medicus consideravit hanc herbam sanasse Socratem febricitantem, et Platonem, et multos alios singulares homines : cum autem sua consideratio ad hoc ascendit, quod talis species herbae *sanat febrientem simpliciter,* hoc accipitur ut quaedam regula artis medicinae „. In II^m *Anal.* l. 20. [1]).

478. Obiectiones — Ob. 1^a. Quidquid homo cognoscit, cognoscit per species sensibus haustas. Sed per species sensibus haustas non cognoscitur nisi singulare. Ergo homo non cognoscit nisi singulare.

Resp. *D. M.* Cognitiones hominis incipiunt per species haustas a sensibus *C. M.* homo non habet, praeter sensum, aliam facultatem spiritualem cuius est apprehendere universale in singulari *N. M.* — *Cdm.* per species sensibus haustas non cognoscitur nisi singulare *a sensu C. m ;* ab intellectu qui in singulari invenit et quasi discooperit rationes immutabiles et universales quae possunt tribui subiectis numero indefinitis *N. m.* — Cum species singulares sensibiles *materialiter* contineant rationes quas

---

[1]) *Positivistae* et *empiristae* male confundunt resolutionem elementorum empiricorum (quae per experientiam sensuum hausimus) cum abstractione proprie dicta ; Taine v. gr. dicit vim abstractivam non esse aliud quam " pouvoir d' isoler les éléments des faits et de les considérer à part „. (*Le positivisme anglais* p. 114-118). Sic abstractio non amplius est ea qua natura pluribus conveniens consideratur sine conditionibus individuantibus ; sed est actus quo attentio figitur in una parte rei singularis, alia neglecta. Mirum sane est quod Taine addit hoc fieri per aliquid quod sit " facultè magnifique, source du langage, interprète de la nature, mère des religions et des philosophies „ ; nam, ut bene notat Hamilton (*Lectures on metaphysics* I. l. 14) " L' attention est pour l' oeil de l'esprit un microscope, ou un télescope, ce n' est pas une facultè speciale „. Cfr. Mercier, *Criter.* n. 136 ubi clare ostendit quantum Positivistae deficiant a recta abstractionis notione percipienda.

intellectus in eis percipit, ideo potius quam causae intellectionis sunt materia causae [1]).

Ob. 2ª. Obiectum nostrarum cognitionum sunt res sensibiles. Sed quidquid sensibile est, singulare est. Ergo a nobis non cognoscitur nisi singulare.

Resp. *D.M.* Obiectum primum et proportionatum humanae cognitionis est natura sensibilis *C.M.;* est unicum obiectum humanae cognitionis ita ut *a priori* debeat dici evidens non dari aut saltem a nobis non posse cognosci nisi quod est sensibile *N.M.* — *D.m.:* Sensibile est singulare aut identificatum cum singulari *C.m.;* non est nisi singulare *sbd.* ut singulare attingitur a sensu *C.m.;* non potest intellectus in sensibili invenire rationes universales ac necessariae habitudinis *N.m* — *N.C.*

Ob. 3ª. Quidquid a nobis concipitur, concipitur concrete ut hoc aut illud singulare — v. gr. percipimus hunc aut illum hominem, leonem A aut B, colorem talem aut talem. — Ergo non habemus conceptus universales et abstractos.

Resp. *D.A.* Quidquid a nobis concipitur, concipitur *ut existens in hoc aut illo singulari* quod *indirecte* cognoscitur ab intellectu et per quamdam reflexionem supra phantasma *C.A;* cognoscitur *ut singulare sbd.* per sensum *C.A.* per intellectum *N.A.* — *N.C.* Si id quod directe per intellectum a nobis concipitur esset singulare, non posset pluribus, et ut ita dicamus infinitis, tribui, ut v. gr. ratio *hominis, leonis, coloris* tribuitur indifferenter omnibus concretis eiusdem naturae. Difficultas oritur ex eo quod confunditur id quod intellectus directe apprehendit in re, cum eo quod apprehendit solum indirecte et per conversionem ad phantasma, quo fit ut rationem abstractam et universalem apprehendat ut in hoc aut in illo existentem [2]).

Ob. 4ª. Si darentur conceptus abstracti, possemus considerare v. gr. hominem qui non sit neque albus, neque niger, nec rufus etc. — Atqui hoc est contra experientiam. Ergo nullus est in nobis conceptus abstractus.

Resp. *D.M.* Possemus considerare hominem qui non sit

---

[1]) Cfr. S. Th. 1 p. q. LXXXIV. a. VI. c.
[2]) Cfr. S. Th. 1 p. q. LXXXVI. a. I. c.

neque albus etc..... h. e. *praescindendo* ab his aut illis determinationibus *C.M; excludendo* per iudicium omnes determinationes albi, nigri etc. ... *N.M.* — *Cdm* — *N.C.* — Ad rem S. Th. *De Anima* III. Lect. 12. " Ea quae sunt in sensibilibus abstrahit intellectus, non quidem intelligens ea esse separata, sed separatim et seorsim ea intelligens „. [1])

Ob. 5ª. *Instabis.* Impossibile est, ut mihi repraesentem *hominem, motum, lineam* etc. quin ipsa considerem sic vel sic disposita ac determinata. Ergo sine ullo fundamento asseruntur rationes abstractae et universales [2]).

Resp. *D.A.* — Quin *indirecte,* licet *simultanee,* cognoscam concretum, unde abstrahitur et cui tribuitur ratio universalis, *C.M;* non sum mihi conscius distinctionis inter rationem abstractam ab obiecto sensibili et ipsum concretum unde abstraxi *sbd.* spontanee *Transeat;* reflexe *N.M.* — Hoc ipso enim quod concipio *hominem,* qui potest indifferenter esse albus, niger etc., non concipio aliquid, quod sit determinate hac vel illa differentia affectum, sed aliquid ab omnibus differentiis praescindens, i. e. aliquid abstractum et universale [3]).

Ob. 6ª. Contingit interdum ut ex pluribus phantasmatis sibi succedentibus resultet aliquod phantasma, quod pluribus potest convenire. Sed propter hoc, phantasma non dicitur abstractum et universale. Ergo a pari non debent dici abstractae et universales aliae rationes quae pluribus tribuuntur.

Resp. *D.M.* Contingit ut rapida phantasmatum successione exsurgat phantasma quoddam confusum, seu potius successio non interrupta phantasmatum *C.M;* aliquid proprie applicabile pluribus *N.M.* — *Ctm.* — *N.C.* — Sufficit enim attendere ad aliquam notam talium phantasmatum, ut agnoscatur ea esse concreta, finita, et quae pluribus non possint tribui: si pluribus tribuantur, confunduntur; contrarium vero accidit de conceptibus intellectus: v. gr. distincte et immobiliter concipimus quid sit *homo, arbor, lapis:* sed phantasma *lapidis,* quod ex diversis lapidibus

---

[1]) Cfr. Mercier, *Psychologie* T. II. n. 168.

[2]) Cfr. Berkeley, *Principles of human Knowledge,* Introduction.

[3]) Cfr. Mercier, l. c. n. 171.

visis oriatur, est vagum, confusum, mobile eo magis quo pluribus conamur tribuere [1]).

Ob. 7ª. Dantur imagines compositae, quales v. gr. Fr. Galton [2]) obtinuit per photographiam, quae pluribus tribui possunt. Sed hae non habentur nisi ex pluribus similibus successive per photographiam expressis. Ergo similiter formae, quae pluribus tribuuntur, non sunt nisi aliquid exsurgens ex successione plurium singularium phantasmatum.

Resp. *D.M.* Imagines vagae et incertae habentes aliquid de omnibus successive sic expressis *C.M.* ; est typus universalis qui possit *identice* tribui pluribus *N.M.* - *C.m.* - *N.C.* - Si v. gr. plures aliquo morbo affecti successive per photographiam repraesententur, habetur ille, quem vocant, *typus,* talis morbi; sed non potest de singulis eo morbo laborantibus praedicari, sed solum aliqui characteres erunt quandatenus communes.

THESIS VIª. Multo magis est absolute reiiciendus conceptualismus Kantii.

479. Praenota. De systemate Kantiano plura dicenda erunt in sequentibus; hic tamen breviter attingemus quae propius respiciunt quaestionem *de universalibus;* in qua multo gravius quam conceptualistae aevi medii peccavit. Asserit enim inesse nobis *a priori* plures formas, quibus redduntur possibilia iudicia illa universalia, quae ab ipso dicuntur *synthetica a priori.* Ratio autem cur illae formae debeant inesse *a priori,* ex subiecto cognoscente et a facultatibus cognoscitivis, est quia " Nihil quod sit necessarium et universale potest haberi ab experientia „. Sed in nostris cognitionibus habetur aliquid necessarium et universale. Ergo in nostris cognitionibus habetur aliquid quod non est ab experientia. Restat ut non sit nisi ex natura cognoscentis et facultatum ipsius. — Ideo in omni nostra cognitione distinguit *formam* quae est elementum necessarium et universale, et, quia tale, est ab intelligente, et *materiam* quae, utpote aliquid *singulare* et *experimentale* est ab obiecto, seu ab iis quae in

---

[1]) Cfr. Binet, *L' intelligence, étude experimentale.* Paris, 1903.

[2]) Inquiries into human faculty p. 339.

cognitione seu repraesentatione colliguntur [1]). Aliis omissis, ad probationem theseos sufficiet hic notasse quae sequuntur:

Probatur: 1° *Kant sibi contradicit.* — Nam inter alia affirmat *existentiam* esse *categoriam* mere subiectivam, et tamen arbitratur " rem in se „ existere; dicit " rem in se „ apparere nobis, nos affici rebus externis, et tamen ponit *categoriam causae* esse mere subiectivam.

2° *Gratis* asserit et *falso* id, quod est necessarium et universale, non posse oriri ab experientia. — *Gratis* quidem, quia nullam probationem affert, sed ut *postulatum* assumit hoc *πρῶτον ψεῦδος*: falso autem quia, ut late probatur in quaestione de intellectione, obiectum quod sensibus percipitur, habet in se, non quidem *formaliter,* sed *materialiter* et *virtualiter,* omne id quod intellectus paullatim in eo deprehendit et ad illud per synthesim partialem primum, et postea totalem, refert; nec habetur aliqua res experientiae in qua non inveniatur saltem fundamentum conceptus universalis et necessarii, et, ut bene notat S. Thomas [2]) " nihil est adeo contingens, quin in se aliquid necessarium habeat; sicut hoc ipsum, quod est Socratem currere, in se quidem contingens est, sed habitudo cursus ad motum est necessaria; necessarium enim est Socratem moveri, si currit „. Et similiter omne animal, ut sit animal, debet esse vivens, sentiens; et, licet sit contingens aliquis triangulus, tamen, si et dum talis est, debet habere tres angulos aequantes duos rectos [3]).

---

[1]) Cfr. Turner, *op. cit.* cap. LXIII.; Cantoni, *Storia compendiata della Filosofia,* (Hoepli 1897) cap. IV.; Willems, *Institut. philos.* Vol. 1°, Part. 2ª libr. 1°, cap. 2°; Pesch, Mercier, *Critér.* n. 140; Mattiussi, *Il Veleno Kanziano,* Monza Artigianelli 1907; etc.

[2]) 1ª p. q. 85. a. 3. c. Cfr. etiam 1ª p. q. 84. a. 1° ad 3m. " Ad 3m dicendum, quod omnis motus supponit aliquid immobile. Cum enim transmutatio fit secundum qualitatem, remanet substantia immobilis; et cum transmutatur forma substantialis, remanet materia immobilis. *Rerum etiam mutabilium sunt immobiles habitudines* .... Et propter hoc nihil prohibet de rebus mobilibus immobilem scientiam habere „. Et q. 86 a. 3° " Unde, si attendantur rationes universales sensibilium, omnes scientiae sunt de necessariis; si autem attendantur ipsae res, sic quaedam scientia est de necessariis, quaedam vero de contingentibus „.

[3]) Et haec adeo manifesta sunt ut ipse Schopenhauer scripserit: " Les

3° Kant ipse *incohaerenter* statuit rationes universales et necessarias esse ex subiecto cognoscente et a suis facultatibus. — Nam secundum ipsum a contingente et singulari non potest haberi quod est necessarium et universale. Sed quodlibet subiectum cognoscens est contingens et singulare cum suis facultatibus. Ergo ab ipso non potest haberi aliqua forma necessaria et universalis.

4° *Est contra testimonium conscientiae,* quae testatur, cum nos unum alteri tribuimus, non procedere ex ratione aliqua subiectiva, sed ex motivo obiectivo.

5° Non assignatur ratio, cur nunc hanc, nunc illam *formam* ad functionem suam exercendam ponamus; non explicatur quomodo in praesentia eiusdem excitativi sensibilis, modo hanc, modo illam categoriam applicemus, neque cur *plura* entia, *tres* substantias, *quatuor* causas in eadem functione intellectuali et eadem categoria sive realitatis, sive subsistentiae, sive causalitatis apprehendamus.

480. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Omnis nostra cognitio intellectualis oritur a sensationibus. Sed sensationes non sunt nisi affectiones nostrae, nec referuntur ad unum obiectum, nisi quia ad unam eandemque nostram conscientiam pertinet. Ergo etiam conceptus rerum (categoriae) non sunt nisi affectiones animae, i. e. ipsi a priori sunt [2]).

Resp. *D.M.* Cognitio intellectualis *incipit* a sensatione *C.M.* coarctatur ad mera sensibilia *N.M.* — *D. 1m p. min.* Sensationes sunt affectiones nostrae ut sunt *actus C.m.;* ut sunt *repraesentationes N.m.* — *D. 2m p. min.* Quod conscientia, aut melius anima illius, qui percipit sit una, est *conditio* ut possimus percipere plura

---

choses sont, avant tout, objets de l'intuition, non de la pensée, et toute connaissance d'une chose est primitivement et en elle-même une perception sensible... Toutes les représentations conceptuelles tirent leur contenu uniquement des représentations sensibles.... Ceux-là se rendent donc très mal compte du problème de la connaissance, qui le font consister dans les relations entre l'être et la pensée.... Les concepts, terme immediat de la pensée, sont manifestement abstraits des sensations; aucun homme sensé ne peut mettre ce fait en doute „. Die Welt als Wille und Vorstellung; — Von der Erkennbarkeit des Dinges an sich, II. s. 215.

[2]) Kant, *Kritik der reinen Vernunft* p. 130 et 133 sq.

diversa *C.m.* est *causa* cur alicui obiecto tribuamus diversa sensibilia (puta colorem, saporem, figuram saccaro . . .) *N.m.* ratio enim cur uni eidemque plura tribuimus, est quia in illo uno obiecto materiali, ex ipsa obiecti apprehensione eiusdem, plura adunata invenimus.

Ob. 2ª Categoriae et generatim formae universales aut sunt menti immanentes, aut sunt transcendentes mentem. Atqui non sunt transcendentes, quia in obiectis experientiae nihil universale et necessarium invenitur. Ergo categoriae et omnes formae universales sunt menti immanentes.

Resp. *N. disiunct. M.is* et *assigno membrum :* aut sunt partim immanentes et partim transcendentes; i. e. sunt in mente quantum *ad modum* quo repraesentant, sunt vero in rebus quantum *ad id* quod repraesentant. — *D.m.* Non sunt *formaliter* transcendentes, seu in rebus non inveniuntur *formaliter* universales *C.m.;* neque *fundamentaliter* universales *N.m.* - *Dist. eodem modo rat.em additam.* — *N.C.* — vel *Dist.:* sunt immanentes quantum *ad modum* quo repraesentant *C.;* quantum ad id quod repraesentant *N.* [1])

Ob. 3ª Nihil potest educi inde ubi non est. Sed in sensibili non est universale et necessarium. Ergo ex sensibili non potest deduci universale.

Resp. *D.M.* Inde ubi non est neque *formaliter,* neque *virtualiter, fundamentaliter, et materialiter C.M. ;* inde ubi non est formaliter, sed tamen est *virtualiter N.M.* - *Cdm.* - *N.C.;* ex iis quae diximus in hac quaestione, patet quomodo singulare sensibile contineat universale.

Ob. 4ª Atqui sensibile nullo modo continet universale. Ergo universale non potest ullo modo educi a sensibili. *Probo min. subs.* Id quod est minus non potest ullo modo continere quod est maius. Sed sensibile est minus quam universale. Ergo sensibile nullo modo continet universale.

Resp. *N. min. subst. Ad probat.em C.M.* - *D.m.* Sensibile *explicat* minus quam universale *C.m.;* non importat *de materiali* impli-

---

[1]) Bene hoc adverterunt etiam Trendelemburg et Hartmann, ut videre licet apud Pesch, *Haltlosigkeit der modernen Wissenschaft* p. 71. Confer etiam Willems l. c.

citum et quodammodo involutum id, quod ut universale detegitur ab intellectu in ipso singulari *N.m.* - Ut bene dicit S. Thomas, cogitativa (et simile dicatur de aliis potentiis sensitivis in homine) " apprehendit *individuum* ut existens sub natura communi, quod contingit ei in quantum unitur intellectivae in eodem subiecto, unde cognoscit *hunc hominem, prout est hic homo,* et hoc lignum, prout est hoc lignum „.

Et alibi: " Circa idem virtus superior et inferior operantur, non similiter, sed superior sublimius; unde et per formam, quae a rebus accipitur, sensus non ita efficaciter rem cognoscit sicut intellectus, sed sensus per eam manuducitur in cognitionem exteriorum accidentium; intellectus vero pervenit ad nudam quidditatem rei (quae utique est in eo quod sensus aliquo modo attingit) secernendo eam ab omnibus materialibus conditionibus „ [1]).

Ob. 5ª Si veritas cognitionis postulat ut omnis determinatio facultatum proficiscatur a rebus, satis erit ponere in subiecto potentiam vagam, indeterminatam, vacuam. Sed hoc non potest admitti, secus non esset discrimen inter varias facultates et earum propensiones. Ergo determinatio facultatum non proficiscitur a rebus.

Resp. *D.M.* Si veritas cognitionis postularet, ut a rebus procederet etiam quod in ea est subiectivum *C.M.;* si solum postulat ut a rebus procedat quod in ea est obiectivum *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* — Ut saepius iam diximus cum S. Thoma, *id quod* intelligimus accipimus a rebus, *modum quo* intelligimus a

---

[1]) *X. de Verit.* 6. ad 2. — Clarius adhuc in IIº *Post. Anal.* lect. 20: " Manifestum est quod singulare sentitur proprie et per se, *sed tamen sensus est quodammodo etiam ipsius universalis.* Cognoscit enim Calliam non solum in quantum est Callias, sed etiam in quantum est *hic homo,* et similiter Socratem in quantum est *hic homo.* Et exinde est quod, tali acceptione sensus praeexistente, anima intellectiva potest considerare *hominem* in utroque. Si autem ita esset quod sensus apprehenderet solum id, quod est particularitatis, et *nullo modo* cum hoc apprehenderet *universalem naturam in particulari,* non esset possibile quod ex apprehensione sensus causaretur in nobis cognitio universalis „. Cfr. etiam Mattiussi. *Il Veleno Kanziano,* " Assurdità della nuova critica, „ et " *la nuova critica confrontata all' antica* „.

natura facultatis, iuxta illud " quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur „ [1]).

THESIS VII[a] — Universale materiale non ita est in rebus, ut detur natura aliqua universalis separata a singularibus.

481. Praenotiones. — Thesis est contra realismum exaggeratum Platonis. Originem huius erroris, sicut et ceterorum omnium in hac materia, bene explicat S. Thomas (I. *Metaph.* l. X); " Patet autem diligenter intuenti rationes Platonis, quod ex hoc in sua positione erravit, quia *credidit quod modus rei intellectae in suo esse est sicut modus intelligendi ipsam rem;* et ideo quia invenit intellectum nostrum dupliciter abstracta intelligere, uno modo sicut universalia intelligimus abstracta a singularibus, alio modo sicut mathematica abstracta a sensibilibus, utrique abstractioni intellectus, posuit respondere abstractionem in essentiis rerum, unde posuit et mathematica esse separata et species. Hoc autem non est necessarium : nam intellectus, etsi intelligat res per hoc, quod similis est eis quantum ad speciem intelligibilem, per quam fit in actu, non tamen oportet, *quod modo illo sit* species illa in intellectu, *quo in re intellecta :* nam omne, quod est in aliquo, est per modum eius in quo est, et ideo ex natura intellectus, quae est alia a natura rei intellectae, necessarium est quod alius sit modus intelligendi, quo intellectus intelligit, et quo res existit „. — Cf. etiam I. p. q. 84 a. 1. ubi late S. Doctor exponit et confutat systema Platonicum.

482. Probatur. *a)* Ideae Platonicae non respondent definitioni universalis in essendo (de quo nunc agimus). Nam universale in essendo est unum *in multis.* Atqui species seu ideae Platonicae non essent nisi singulares, cum existere non sit nisi singularium. Ergo ideae Platonicae non sunt *universales in essendo,* sed solum in repraesentando et in causando, in quantum forent, iuxta auctorem suum, causae et exemplar multorum.

b) Realismus Platonicus contradicit communi persuasioni hominum. Secundum enim communem persuasionem hominum, universalitas consequitur abstractionem, non autem praecedit ipsam : " ipsum abstrahi *sequitur* intentio universalitatis „. Unde

---

[1]) Cfr. S. Th. 1[a] p. q. 84 a. 1°, q. 85. a. 1°.

" naturae *accidit* intelligi, vel abstrahi, vel intentio *universalitatis* „ (c. G. l. I. c. XXVI). Porro res, in sententia Platonica, omnino contrario modo se haberet [1]). Unde sequeretur quod ipsa iudicia quibus praedicata essentialia tribuuntur subiecto, erronea essent ac falsa : non enim possem dicere, quod *Socrates est homo,* sed deberem dicere, quod Socrates *habet aliquid de homine, participat de homine* etc. [2]).

c) Nil valent ideae Platonicae ad explicandum quomodo in scientiis, universaliter concludamus de istis sensibilibus. Ridiculum enim est, dum quaeritur quomodo habeam scientiam de his quae hic apud nos sunt, afferre in medium quaedam alia totaliter alterius generis, ab his omnibus incomperta et existentia nescio ubi, de quibus valeant, quae tamen nos de istis inquirimus et affirmamus.

483. Obiectiones. — **Ob. 1ª** Scientia debet esse de rebus immutabilibus et necessariis. Atqui singularia sunt contingentia et mutabilia. Ergo vel nulla datur scientia, vel dari debent, praeter singularia, universalia separata, de quibus tantum erit scientia.

Resp. *D.M.* Debet esse de rebus immutabilibus et necessariis secundum esse essentiae, secundum quod accipiuntur ab intellectu *C.M.;* secundum esse existentiae, secundum quod existunt in seipsis a parte rei *N.M.* — *Ctm.:* Singularia sunt contingentia et mutabilia secundum esse existentiae quod habent in rerum natura *C. m;* secundum *esse essentiae,* quae accipitur per intellectum cum praecisione a determinationibus singulorum *N.m.* - *N.C.*

Semper ergo occurrit eadem deceptio, qua nempe tribuuntur rebus extra animam conditiones illae et proprietates, quae ei competunt secundum quod sunt in anima. Certe enim scientia non est nisi " impossibilium aliter se habere et sempiterno-

---

[1]) " Non est necesse ut ea quae intellectus separatim intelligit, separatum esse habeant in rerum natura : unde nec universalia oportet separata ponere et subsistentia praeter singularia, neque etiam mathematica praeter sensibilia: quia universalia sunt essentiae ipsorum particularium et mathematica terminationes quaedam sensibilium corporum „ *de substantiis separatis II.*

[2]) Cf. Lorenzelli, *Phil. theor. Inst.* Vol. I p. 200.

rum „ [1]). Sed ad hoc sufficit, quod obiectum scientiae sempiternum sit et necessarium secundum modum, quo accipitur a scientia. Porro eadem singularia, quae secundum existentiam contingentia sunt et mutabilia, secundum essentiam spectata necessaria sunt et aeterna. Secundum essentiam autem accipiuntur ab intellectu, dum accipiuntur ut universalia. Unde fit quod universalitas est *conditio sine qua non* possunt res omnes evadere obiectum scientiae nostrae, quin tamen sit necesse quod res ipsae quae ut universales accipiuntur ab intellectu, in seipsis existant separatae a singularibus.

Ceterum quoad sempiternitatem et incorruptibilitatem universalium, oportet bene attendere distinctionem, quam dat S. Th. (I. p. q. 16. a. 7. ad 2): nam " aliquod esse semper et ubique, potest intelligi dupliciter. Uno modo quod habet esse in se, unde se extendat ad omne tempus et ad omnem locum. Alio modo, quia non habet in se, quod determinetur ad aliquem locum vel tempus . . . Et per hunc modum quodlibet universale dicitur esse ubique et semper, in quantum universalia abstrahuntur ab hic et nunc. Sed ex hoc non sequitur ea esse aeterna, nisi in intellectu, si quis sit aeternus „. (Cf. quoque *De Pot.* q. 5. a. 9 ad 16 cf. etiam I. p. q. 84 a. 1).

Ob. 2[a] Scientiae sunt de universalibus. Atqui si universalia essent in singularibus, illae essent de singularibus. Ergo universalia existunt extra singularia.

Resp. *D.M.* — Scientiae sunt de universalibus [2]), quatenus universalitas est *conditio sine qua non* cognitionis scientificae

---

[1]) Aristoteles, *Anal. Post.* I. 33. Caietanus in I. *Post. Anal.* c. 9.

[2]) " Propositio illa: scientia est universalium, quadruplici sensu intelligi potest . . . Quartus autem sensus est rerum quae habent universalitatem tanquam conditionem, sine qua non sciuntur. Quartus iste sensus et verus est et a peripateticis intentus. *Verus* quidem, quia scientiae obiectum est res ipsa, cum ad ipsam actus sciendi terminatur, aliter scientiae reales non essent de rebus. Et quia res non potest intellectui obiici et sciendi actum terminare, nisi repraesentetur absque conditionibus individualibus, quod est repraesentari universaliter et rem habere universalitatis conditionem, ideo habentium universalitatem ut conditionem sine qua non, scientia est. *Intentus autem a peripateticis,* quia volunt dicere per hanc propositionem, quod scientia est de rebus non singulariter sumptis: ita

C.M.; quatenus ipsa universalitas sit proprium subiectum scientiae generatim *N.M.* — *Ct m.:* Si universalia essent formaliter in singularibus *Transeat.* Si sunt in singularibus essentiae illae quae nonnisi universaliter accipi debent a scientia, scientiae sunt de singularibus *sbd.* per accidens *C.m.;* per se et simpliciter *N.m.* — *N.C.* [1])

" Non est igitur demonstratio corruptibilium, neque scientia *simpliciter,* dicit Aristoteles (*Anal. Post.* I. 9), sed ita sicut *per accidens* „. — " Aristoteles simul cum Platone posuit scientiam esse impossibilium aliter se habere et sempiternorum. Plato, secutus in hoc Cratilum et Heraclitum, dixit quod entium corruptibilium, quae apud nos sunt, scientia non est. Aristoteles autem et scientiam esse incorruptibilium et sempiternorum salvavit, et ultra hoc posuit scientiam esse corruptibilium *secundum accidens.* Intuitus siquidem est in re corruptibili, puta Socrate, naturam seu essentiam, scilicet humanitatem, et conditiones eius individuales scil. has carnes, haec ossa etc. Cum autem scientia per se primo terminetur ad universalia, quae incorruptibilia sunt, non separata secundum esse a corruptibilibus, (ut Plato posuit) sed in quibus continentur singularia corruptibilia; oportet quod scientia per accidens terminetur ad singularia. Etenim scire rem prouti est in alio, est scire rem illam secundum accidens „ Caietanus in *Anal. Post.* I. 19.

Ob. 3ª Quod est impossibile in ordine reali, est impossibile etiam in ordine ideali. Ergo si universale non potest existere distinctum a singularibus, neque potest exprimi mente.

Resp. *D.A.* Si impossibilitas in ordine reali provenit ex repugnantia notarum *C.A.;* si provenit ex proprio modo essendi qui aliter competere potest rei in ordine ideali et in ordine reali *N.A.* — *D.C.* Si universale non posset existere extra singu-

---

quod universalitas, seu universaliter concipi, non est res scita, nec ratio qua res sciatur, nec pars rei scitae, nec terminat actum sciendi, sed est conditio sine qua res non scitur ab intellectu nostro directe, sicut approximatio ignis ad combustibile, nec est ignis, nec pars eius, nec ratio quod comburat, nec principium comburendi, sed conditio sine qua non potest comburere „. Caietanus in I. *Post. Anal.* c. 9.

[1]) *Metaph.* l. III. l. 9.

laria propter repugnantiam notarum, neque posset exprimi mente *C.C.;* si non potest esistere propter modum essendi qui ei competit in ordine ideali, qui (modus essendi) non potest esse idem ac *modus* essendi realiter *N.C.*

Ob. 4ª Obiectum praecedit actum facultatis. Sed universale est obiectum intellectus. Ergo universale praecedit operationem intellectus et ideo non est tantum in intellectu.

Resp. *D.M.* Obiectum quod constituatur a facultate in ipsa ratione obiecti (sicut est ens rationis) *N.M.;* quod non constituatur a facultate in ipsa ratione obiecti *sbd:* non tamen praecedit actum facultatis secundum illa praedicata quae conveniunt ei praecise secundum quod respicitur a facultate *C.M.;* praecedit et habet eadem praedicata et proprietates *N.M.* — *D.m.:* diversimode tamen est obiectum intellectus universale formale et materiale *C.m.;* eodem modo *N.m.* — *D.C.* Universale formale *N.C.;* universale materiale *sbd:* praecedit operationem intellectus non tamen secundum illa praedicata et passiones quae ei competunt praecise secundum quod est obiectum intellectus (ut esset abstractio, immaterialitas etc.) *C.C.;* cum iisdem proprietatibus et praedicatis *N.C.*

Ob. 5ª Res dividuntur in universales et singulares. Sed non dividuntur res ut sunt in intellectu. Ergo a parte rei datur quoque universale.

Resp. *D.M.* Et ista divisio est de rebus secundum quod sunt in anima *C.M.* est de rebus ut sunt in seipsis indipendenter a consideratione mentis *N.M.* [1]), — *D.m.:* idest per operationem intellectus non ponitur divisio realis in ipsis rebus *C.m.;* per operationem intellectus, res non possunt accipere aliud esse distinctum ab esse quod habent in seipsis a parte rei, nempe esse universale quod ideo distinguitur ab esse singulari *N.m.* - *N.C.*

484. Scholion — Quomodo ponendae sunt ideae in Deo. — Quod a graecis *Ἰδέα* a latinis *forma* dicitur: unde per ideas intelliguntur *formae rerum praeter ipsas existentes:* forma autem praeter rem existens ad duo esse potest, nempe ut sit *exemplar* eius cuius dicitur forma, vel sit *principium cognitionis ipsius,*

---

[1]) Cf. S. Th. I. *Perih.* l. 2. 10.

secundum quod formae cognoscibilium dicuntur esse in cognoscente. Cum igitur omnia sint a Deo non casu facta sed secundum operationem intellectus, necessarium est quod in mente divina sit forma, ad similitudinem cuius, mundus est factus: quae quidem forma sit quoque principium cognitionis ipsarum rerum. Haec autem forma est identice divina Essentia, quae tamen habet rationem *ideae* secundum quod ad alia comparatur. — Cum autem bonum ordinis universi (quod est optimum in rebus existens) proprie intendatur a Deo, ratio autem totius non possit haberi nisi habeantur propriae rationes eorum quibus totum constituitur, oportet quod in mente divina sint propriae rationes rerum, ideoque *plures ideae.* Hoc autem divinae simplicitati non repugnat quia idea non est in mente operantis sicut *quo* intelligit, sed sicut *quod* intelligitur, non est autem contra simplicitatem divinam quod multa intelligat, sed contra simplicitatem eius esset si per plures species eius intellectus formaretur. Sic igitur in quantum Deus cognoscit suam essentiam ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem et ideam talis creaturae, et similiter de aliis. Et sic patet quomodo plures *ideae* sunt in Deo.

Patet autem quod sic ideae divinae non sunt universalia *in essendo* (cum de ipsarum ratione sit quod sint *extra rem* cuius sunt formae) sed sunt universalia in *repraesentando.* Cum enim ideae a Platone ponerentur principia cognitionis rerum et generationis ipsarum, ad utrumque se habet idea prout in mente divina ponitur. Et secundum quod est principium factionis rerum, *exemplar* dici potest, et ad practicam cognitionem pertinet: secundum autem quod principium cognoscitivum est, proprie dicitur *ratio,* et potest etiam ad scientiam speculativam pertinere [1]).

Patet autem quod per positionem idearum in mente divina, obtinemus finem quem sibi proposuit Plato in statuendis ideis separatis, et vitamus absurditates in quas ipse incurrit. Ad hoc enim posuit Plato ideas subsistentes ut repudiaret opinionem Epicureorum qui ponebant omnia a casu accidere, et Empedoclis et aliorum qui ponebant omnia accidere ex necessitate na-

---

[1]) Cf. S. Th. I. p. q. 15.

turae: idea autem est forma quam aliquid imitatur ex intentione agentis *qui determinat sibi finem:* unde per positionem idearum in Deo statuimus quod omnia quae fiunt respondent praedefinitioni ipsius Dei: non ergo casu aut necessario res eveniunt sed eo modo qui respondeat intentioni et praedefinitioni Primae Causae. Cum vero idea habeat quodammodo rationem finis, absurdum autem sit ponere quod Deus agat propter finem qui sit alius a se, ideo ponimus ideas *in mente divina tantum.* Iterum cum absurdum sit ponere formas naturales sine materia (propter quod Plato improbabatur a Philosopho) ideo non ponimus quod *ex seipsis* sint immateriales, sed quod sunt immateriales secundum quod sunt in mente divina: sicut dicimus eas habere vitam in Deo, quamvis in seipsis res cuius sunt formae, sint inanimatae [1]): nullum enim inconveniens est quod

---

[1]) Pulchre Augustinus, secundum punctuationem receptam ab ipso et a pluribus aliis, sic legit in Joann. I. 3-4: " Quod factum est, in ipso vita erat: quid est hoc? Facta est terra: sed ipsa terra quae facta est, non est vita: est autem in ipsa Sapientia spiritualiter ratio quaedam qua terra facta est: haec vita est. Faber facit arcam. Primo in arte habet arcam.... sed arca sic est in arte, ut *non ipsa arca sit quae videtur oculis.* In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit... Attendite ergo arcam in arte et arcam in opere. Arca in opere non est vita, arca in arte vita est: quia vivit anima artificis ubi sunt ista omnia antequam proferantur. Sic ergo, quia sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia: hinc quae fiunt per istam artem, non continuo vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est „. *In Joann.* tr. I. 16, 17. — Ubi vide confirmationem doctrinae quae est fundamentalis in tota tractatione de universalibus, quod nempe *aliter* res sunt in seipsis et *aliter* in cognoscente, ita tamen ut ly *aliter* se teneat semper ex parte intelligentis, non vero ex parte rei intellectae. Quapropter iterum S. Thomas l. 4. c. gent. c. 13 ait: " Quod est in aliquo, est in eo per modum eius in quo est et non per proprium modum: domus enim in mente artificis intelligibiliter et immaterialiter existit. Res igitur intelligendae sunt in Verbo Dei praeextitisse secundum modum Verbi ipsius. Est autem modus Verbi ipsius quod sit unum simplex, et non solum vivens, sed etiam vita, cum sit suum esse. Oportet igitur quod res factae a Deo, praeexstiterint in Verbo Dei ab aeterno immaterialiter et absque omni compositione, et quod nihil aliud in eo sint quam ipsum Verbum, quod est vita: propter quod dicitur Joann. I: *Quod factum est, in ipso vita erat,* id est, in Verbo „.

aliquid immaterialitatem et vitam et alias proprietates acquirat ex alio in quo est. Item reprobatur Plato a Philosopho eo quod posuerit tales formas quae nec genitae sunt nec generantes, ideoque sunt inutiles; sed ideae quae sunt in mente divina, licet non sint nec generantes nec genitae, si fiat vis in verbo, tamen sunt creativae et productivae rerum. Nec oportet primum agens esse simile generato, sicut oportet de agente proximo: propter quod recte arguebat Philosophus contra Platonem quod ideae ab ipso confictae non possent esse generationis principium: quod non valet de ideis divinis [1]).

THESIS VIII[a] — Absurdissime asseritur a Guilelmo de Champeaux, Ubaghs et Laforet unam essa naturam in rebus, quo modo est una in intellectu.

485. Praenotandum. — Error Guilelmi Campellénsis ex eodem fonte oritur quem S. Thomas indicavit loquens de opinione Platonis: " credidit nempe quod modus rei intellectae in suo esse esset sicut modus intelligendi ipsam rem „. Idem tenent, temporibus recentioribus Ubaghs et Laforet [2]) qui considerant genera et species in individuis quin amittant propriam universalitatem. (Cf. Prolegomena).

486. Probatur. — *a)* Si natura non multiplicatur in singulis, (ut statuitur in hac sententia) iam destruitur conceptus ipse universalis. Nam, ut saepe diximus, ad rationem universalis in essendo requiritur, quod se habeat ad plura *quae plura sint secundum illam formalem rationem quae exhibetur per nomen universale,* puta plures homines, quod non contingit sine numerica

---

[1]) Cf. *De Verit.* q. III. a. 1.

[2]) " Les réalistes n'admettent point, que la nature se multiplie avec les individus; ils voient dans tous les membres de l'espèce humaine la même nature, qui demeure numériquement une, malgré la multiplication des personnes. D'après ce sentiment, qui est aussi le nôtre, tous tant que nous sommes, nous avons la même nature humaine qui ne change point, ne se multiplie point: c'est l'unitè dans la variété... Que si cette opinion est fondée, il est clair que la difficulté qui est le point de départ de toutes autres sur le mystère de la Trinité est complètement résolue d'avance, ou plutôt qu'elle est un non-sens, ect. „ Laforet, *Les Dogmes catholiques* I. pp. 148-150.

multiplicatione in singulis ipsius naturae quae dicitur communis et universalis.

b) In ista sententia manifeste eadem natura susciperet secundum idem praedicata contradictoria, quo nil absurdius.

c) Consequentiae huius doctrinae valde sunt periculosae: via enim sternitur Pantheismo: destruitur dogma Incarnationis etc.

487. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Ad universale formale duo requiruntur et sufficiunt nempe *unitas* et *pluralitas*. Sed natura humana in singularibus est una et pluralis. Ergo est universale formale.

Resp. *D.M.* Ad universale formale requiritur et sufficit *unitas communitatis* immultiplicata, et pluralitas secundum ipsam unitatem formalem *C.M.* requiritur et sufficit *unitas formalis* et pluralitas numerica eiusdem unitatis formalis *N.M.* — *Ctm.* Natura humana in singularibus est *una* unitate formali, et *pluralis* secundum multiplicationem numericam eiusdem unitatis formalis *C.m.;* est una unitate communitatis unius eiusdemque quod identice inveniatur multiplicatum in pluribus *N m.*

" *Hoc aliquid* dicitur secundum quod in se subsistit: quod autem in se subsistit, non potest esse in multis ens, *quod est de ratione communis*. Quod enim in multis est, in se subsistens non est: nisi et ipsum esset multa, *quod est contra rationem communis. Nam commune est quod est unum in multis* „ (III *Met.* l. 15). Ex quibus verbis patet quod ad habendum universale, requiritur et sufficit quod aliquid *sit in multis unum,* ita *ut in essendo sit commune multis:* quod certo non verificatur de natura secundum quod in singularibus invenitur.

Ob. 2ª. A parte rei, ante operationem intellectus individua humana dicuntur differre quoad notas individuantes et non quoad essentiam seu naturam. Atqui in hoc bene attenditur unitas quaedam communitatis. Ergo a parte rei ante operationem intellectus, natura humana possidet unitatem communitatis, ideoque vere est universalis.

Resp. *D. M.:* Scilicet ante operationem intellectus omnis homo convenit in constitutivis essentialibus *formaliter inspectis C.M.;* convenit in constitutivis essentialibus *materialiter inspectis N.M.* — *D.m.* Haberetur unitas communitatis si constitutiva

essentialia ita essent eadem formaliter ut non multiplicarentur materialiter, ideòque essent identica in singulis *Transeat.* (Negatur tamen suppositum, quod tunc haberentur revera plura in ea ratione, et ideo unum in pluribus); si constitutiva essentialia secundum ipsam unitatem formalem multiplicantur in singulis *N.m.* — *N. C.*

A parte rei, ante operationem intellectus tot sunt naturae humanae in singulis singulae existentes, quot sunt ipsi singuli, nempe homines. Nam unaquaeque res in suo esse est a qualibet alia distincta: sed si tota haec res, alia est ab illa alia ab eaque distincta et divisa, etiam natura qua constat est distincta et alia a quacumque natura cuiuscumque alterius rei, ideoque multiplicatio numerica naturae a parte rei destruit ipsum fundamentum universalitatis nempe *illud unum quod identice* et immultiplicatum debet esse in multis.

Praeterea propria materia et propria forma uniuscuiusque rei est distincta a materia et forma propriis alterius. Ergo et ipsa natura quae ex talibus principiis constat. — Quapropter dum nos dicimus quod a parte rei, ante operationem intellectus, individua humana differunt in individualibus et conveniunt in essentia, iam accipimus aliquid consequenter ad operationem intellectus, nempe *ipsam essentiam* in quam dicuntur convenire singula, quae quidam essentia, a parte rei est *haec essentia,* et *haec essentia* et *illa,* ideoque nullo modo communis.

Ob. 3ª. A parte rei ante operationem intellectus, Petrus est *homo,* et Paulus est *homo.* Atqui hoc non esset, nisi ratio ipsa hominis independenter ab intellectu esset *communis* et Petro et Paulo. Ergo a parte rei, indipendenter ab intellectu, ratio hominis est communis ideoque universalis.

Resp. *D. M.* Idest: a parte rei ante operationem intellectus, Petrus est *hic homo* et Paulus est *iste alius homo C.M.;* Petrus et Paulus sunt *idem homo sbd.* idest habent talem similitudinem ad invicem, quae praebet fondamentum intellectui, ponendi in ipsis identitatem *specificam* seu *logicam C. M.;* sunt idem homo *physice N. M.* — *Ctm.:* Petrus et Paulus non possent dici *idem homo* nisi independenter ab intellectu ratio hominis esset *communis* ipsis *C. seq. min.* et *Nego suppositum;* non possent dici

singuli, homines nisi a parte rei independenter ab intellectu ratio hominis esset *communis* in ipsis *N. seq. min.* — *N.C.*

Ob. 4ª. Natura Petri et Pauli, independenter ab intellectu est magis una quam natura Petri cum natura equi. Ergo independenter ab intellectu habet unitatem communitatis.

Resp. *D.A.* Idest est magis similis natura Petri cum natura Pauli ideoque fundans plures conceptus univocos, quam natura Petri et equi *C.A.* est magis indivisa et immultiplicata *N.A.* — *N.C.*

Ob. 5ª. Unitas est carentia divisionis: atqui Petrus et Paulus carent divisione specifica: ergo sunt unum unitate specifica.

Resp. *C.M.* — *D.m.* carent divisione specifica formaliter *C.m.:* materialiter *N.m. D.C. eodem modo.* Ipsa natura specifica dividitur in Petro et in Paulo, quamvis non specifice.

Ob. 6ª. Divisio individualis non potest tollere unitatem specificam. Nam unitas non tollitur nisi per divisionem oppositam: sed divisio individualis non opponitur unitati specificae: ergo non potest eam tollere.

Resp. *D. Ass.* Divisio individualis non potest tollere unitatem specificam dividendo eam specifice *C.A.:* dividendo et multiplicando eam *numerice N.A.* - *Ad prob: D.M.:* Unitas non tollitur nisi per divisionem oppositam vel directe vel indirecte *C.M.;* non tollitur nisi per divisionem oppositam immediate et directe *sbd.* unitas propria illius determinatae rationis *C. M.:* unitas absoluta *N. M.* — *Ctm.:* Divisio individualis non opponitur directe unitati specificae *C. m.;* indirecte *N. m.* — *D. C.* Divisio individualis non tollit unitatem specificam dividendo eam specifice *C. C.* dividendo eam numerice *N. C.* — Homo et asinus non opponuntur in ratione *animali,* et tamen nullus dicit esse *idem animal:* et eodem modo divisio numerica inter Paulum et Petrum, constituit duos *homines.* Nam, ut dicit S. Thomas, semper prius includitur in posteriori, et ideo quia gradus individualis est ultimus omnium, includit etiam omnes. Unde ad divisionem individuorum, multiplicantur et dividuntur etiam gradus specifici et generici: v. g. nascente Socrate nascitur novus homo, novum

animal, nova substantia etc.: unde patet quod divisio individualis opponitur indirecte unitati specificae, genericae etc.

THESIS IX[a] — Singulare non distinguitur realiter ab universali sed distinctione rationis ratiocinatae.

488. Praenotiones — *De Distinctione.* — Quamvis ad Metaphysicam pertineat determinare conceptus *distinctionis et divisionis* (cum consequantur ipsam rationem entis), tamen ad intelligentiam huius et sequentium quaestionum, quaedam de his, quae in Metaphysica latius pertractabimus, breviter sunt innuenda.

I. *Quid distinctio.* — *Distinctio* secundum S. Thomam est *oppositio inter ea quorum unum quocumque modo non est aliud.* Dico — *quocumque modo* — nam non est necesse ad hoc ut duo distinguantur etiam realiter, ut opponantur sicut *ens et ens.* Distinctio enim, quasi *dis-tangere,* videtur desumere suam rationem ab oppositione, quam habent partes in continuo in quantum una pars est extra aliam. Patet autem quod partes, quousque sunt unum subiecto, non distinguuntur secundum formam, sed tantum ratione situs. Unde distinctio importat " *minimum divisionis* „ (S. Th.).

II. *Distinctio opponitur unitati:* patet enim quod distincta, in ea ratione qua sunt distincta, sunt *plura,* quamvis non sit necesse, ut dictum est, quod sint *plura entia,* sed plura quocumque modo. — *Semper ergo requiritur et sufficit ad habendam distinctionem, quod habeatur aliqua pluralitas. Requiritur:* non enim potest concipi distinctio sine pluralitate distinctorum ; *sufficit:* non enim requiritur ad distinctionem, quod aliqua sint plura formaliter, neque quod sint plura ut entia ; sed sufficit quod sint plura tantum numerice, vel ut principia entis.

III. *Distinctio realis et rationis.* — *Distinctio realis* tunc habetur quando oppositio inter esse et non esse est independens ab intellectu : et hoc quomodocumque, sive inter entia, sive inter principia entis : consequenter, quando habetur aliqua pluralitas (sive entium, sive principiorum entis, sive *ad aliquid*) ante quodcumque opus intellectus, tunc habetur realis distinctio. — *Distinctio rationis* tunc habetur quando oppositio praedicta consequitur operationem intellectus, quando nempe ope intellectus constituuntur termini oppositi.

IV. *Distinctio rationis ratiocinatae et ratiocinantis.* — *Distinctio rationis ratiocinatae* tunc habetur quando fundamentum distinctionis est in ipsa re, quae quamvis in seipsa sit omnino indistincta, tamen praebet intellectui fundamentum distinctionis, sive quia una eademque realitas cum sit, aequivalet pluribus quae seorsim possint inveniri in aliis rebus, sicuti eadem entitas animae rationalis aequivalet realitatibus principii vegetabilis tantum et sensibilis tantum, quae inveniuntur in planta et in bruto, sive quia una eademque realitas eminenter continet realitates, quae diversificantur in pluribus, sicuti eadem Entitas divina continet eminenter et fontaliter omnes perfectiones, quae diminutae inveniuntur in creaturis.

Distinctio rationis ratiocinantis tunc habetur quando fundamentum distinctionis non invenitur in re [1]).

---

[1]) Ut bene intelligas differentiam inter distinctionem *rationis ratiocinantis* et *ratiocinatae* notandum est quod utraque convenit in hoc quod cum sit a ratione, non causat aliquid in *genere rei* in obiecto apprehenso, sed tantum in genere *cogniti:* sed distinctio rationis ratiocinatae ita distinguit ipsa extrema ut in uno reluceat aliqua ratio vel formalitas quae in alio non relucet: unde resultat diversa ratio obiecti *in esse obiecti* id est in esse cognoscibilis seu manifestabilis, *non in esse rei.* At vero distinctio rationis ratiocinantis non respicit diversam manifestationem in obiecto, sed idem extremum manifestatur secundum eamdem formalitatem conceptibus diversis: unde non resultant diversae rationes obiecti in esse obiecti. Et ex hoc aliqui ut Suarez. (*Met.* D. VII. s. I) Vasquez (I. p. Dist. 1 . c. III.) videntur esse moti ad dicendum quod distinctio rationis ratiocinantis non est proprie distinctio ex parte conceptus obiectivi, sed solum repetitio conceptus formalis circa idem omnino obiectum. Hoc tamen verum non videtur: nam bis cognoscere idem obiectum non sufficit ad distinctionem rationis ratiocinantis: secus ipse sensus externus videndo bis Socratem diceretur facere hanc distinctionem. Oportet ergo quod, ut intellectus illam faciat, aliquem respectum apprehendat in ipso obiecto, quo accipiat ipsum quasi duo, non quidem secundum diversas rationes in ipso obiecto intrinsecas ex parte eius fundatas, sed ex ista comparatione extrinseca resultantes. Sicut quando praedicatur idem de seipso, ut *Socrates est Socrates,* fit quaedam comparatio eiusdem ad seipsum, ratione cuius quasi duplicatum concipio ipsum Socratem, et ita fit distinctio non quasi in ipso obiecto intrinsece et secundum propria considerato, sed quasi extrinsece et secundum comparationem vel respectum adiunctum. In distinctione autem rationis ratiocinatae quilibet conceptus respiciens distinctam ratio-

Distinctio rationis ratiocinatae, si spectetur ex parte ipsius rei, vocatur *virtualis,* quatenus fundamentum distinctionis est eminentia rei, quae virtute sua aequivalet pluribus.

V. *Distinctio rationis ratiocinatae maior et minor.* — Maior seu *penes excludens et exclusum,* habetur quando ratio nostra entitatem virtualiter multiplicem distinguit in varios conceptus perfecte distinctos, quorum unus nullo modo includitur in alio : ut dum distinguimus humanitatem in animalitatem et rationalitatem : nam conceptus animalitatis nullo modo continet actu conceptum rationalitatis, ideoque attribui potest etiam rebus irrationabilibus. — *Minor* seu *penes implicitum et explicitum,* tunc habetur quando intellectus rem eandem distinguit in varios conceptus, quorum unus explicite quidem non continet alium, id est ipsum formaliter non exprimit, implicite tamen ipsum includit, ut dum distinguimus in ente verum, unum, bonum, siquidem conceptus boni continetur implicite in conceptu veri [1]). Ubi nota quod ista distinctio, quamvis sit rationis *ratiocinatae,* non tamen variat *res conceptas* simpliciter, sed potius *modos concipiendi,* sicut res visa a longe in confuso vel prope cum maiori claritate et distinctione, non variat ipsas res visas ; quamvis ex alia parte non esset verum dicere, quod distinctio ista se tenet *tantum ex parte intellectus* absque ullo fundamento in re, ideoque sit mere rationis ratiocinantis, quia distantia ipsa rei vel eminentia ipsius revera causat istas di-

---

nem in ipso obiecto, licet versetur circa eandem rem, quia tamen non adaequate omnes ipsius rationes repraesentat, format distinctam rationem obiecti quasi intrinsecam, quia ex his, quae ipsi obiecto intrinsece conveniunt, accipit unum et relinquit aliud, et ita in esse obiecti quasi intrinsece fit ista distinctio, quia in rationibus, quae in obiecto inveniuntur, fundatur. Unde S. Th. (I. D. II. Q. I. a. II.) " quia unumquodque eorum (attributorum) est in Deo secundum sui verissimam rationem, et ratio sapientiae non est ratio bonitatis in quantum huiusmodi, relinquitur quod sunt diversa ratione non tantum ex parte *ipsius ratiocinantis* sed ex *proprietate ipsius rei* „.

[1]) Praeter has distinctiones, aliqui auctores e. g. Goudin (*Met.* q. 2. a. 2) ponunt distinctionem rationis *minimam* e. g. inter indumentum et vestimentum, voluntatem et volitionem etc., sed haec videtur potius distinctio nominum quam conceptuum.

stinctiones conceptuum. — Istae distinctiones seu praecisiones melius cognoscentur per oppositum ipsorum, nempe per uniones et contractiones contrarias. Quando enim conceptus aliquis praecisus seu abstractus (omnis enim distinctio rationis est quaedam abstractio), v. g. *animal,* indiget ut contrahatur additione alicuius *extranei* (idest de quo illud abstractum non praedicatur), ista contractio fit *per additionem,* et consequenter abstractio ab illo *per exclusionem.* Quando secus accidit, abstractio non fit per exclusionem, sed per *meram explicationem,* licet actu illud includat, *in confuso tamen.*

VI. *Gradus metaphysici* nihil aliud sunt quam praedicata superiora et inferiora, quae de aliquo dicuntur: quae idcirco gradus dicuntur, quia cum sint distincta ad invicem secundum inferius et superius, in illis cognoscendis ascendimus quodammodo et descendimus: sicut de Petro v. g. praedicatur *homo,* et supra illud *animal,* et supra illud *corpus* etc.

VII. *Notae individuantes* seu principia individualia (quae non sunt confundenda cum principio individuationis, quod est materia signata) sunt id, quo formaliter natura speciei contrahitur ad individuum, sicut differentia est illud, quo formaliter contrahitur genus ad gradum specificum, nempe *haec anima* et *hae carnes* et *haec ossa: singulare* est ipsum individuum quod per tales notas constituitur, nempe *hic homo.*

VIII. *Positio thesis.* — Statuimus ergo: 1° quod singulare non distinguitur realiter a natura, quae repraesentatur per universale materiale; 2° quod tamen distinguitur distinctione rationis; 3° et quidem distinctione rationis ratiocinatae.

489. Probatur 1ª pars. — *Universale materiale non distinguitur realiter a singulari.*

1° Quod ab aliquo distinguitur per solam abstractionem rationis, non distinguitur realiter ab illo. Atqui universale distinguitur a singulari per solam abstractionem intellectus. Ergo universale materiale non distinguitur realiter a notis individuantibus.

Maior declaratur. — Cum intellectus noster non sit causa rerum naturalium, quae ab arte humana non pendent, impossibile prorsus est, quod intellectus noster suo diverso et multi-

plici modo *unam eandemque rem etiam simplicissimam* concipiendi et intelligendi per compositionem et divisionem, quod est ei naturale, causet distinctionem aliquam vel aliquid huiusmodi in ipsa re, et *in esse rei*, ut dicunt. Neque distinctio aliqua, quae sit unice consequens ad modum concipiendi vel significandi, potest esse realis in ipso obiecto in quantum res quaedam est. Unde S. Th. (1. p. q. 76. a. 3. ad 4.) ait: " Dicendum quod non oportet secundum diversas rationes vel intentiones logicas, quae consequuntur modum intelligendi (et consequenter significandi, v. g. per abstracta vel concreta) diversitatem in rebus naturalibus accipere, quia ratio unum et idem secundum diversa apprehendere potest.

2º Si natura distinguitur realiter a singularitate, videtur esse universalis a parte rei. Nam natura illa ita venit in compositione cum notis individuantibus, ut maneat tamen ab ipsa distincta realiter. Ergo omnia individua participarent *eandem naturam communem* et distinctam realiter a singularitate ipsorum; nec intelligitur quomodo reddatur *singularis* talis natura per aliquid, quod remanet *realiter* distinctum ab ipsa.

490. *Scholion.* — Quod dicitur de notis individuantibus respectu ad naturam, dicendum quoque est de gradibus metaphysicis inter se. Nam et ipsi non accipiuntur ut distincti nisi per intellectum : praeterea

Gradus metaphysici sunt una et eadem formalitas, virtualiter tantum multiplex : nam, cum formalitas sit effectus formae, oportet illam proportionari formae, a qua procedit. Atqui forma, a qua procedunt gradus metaphysici, est unice simplex, virtualiter tantum multiplex. Cum enim forma sit qua res determinatur ad certam essendi rationem, ubi est unica res determinata ad unicum essendi modum, est unica forma, et consequenter formalitas ipsi proportionata.

Probatur 2ª pars. — Evidens est quod aliqua distinctio datur inter universale et singulare et inter varios conceptus obiectivos. Atqui haec distinctio non est realis (ut probatum est). Ergo est *rationis.*

Probatur 3ª pars. — Patet denique quod distinctio ista est rationis ratiocinatae seu cum fundamento in re. Nam fun-

damentum huius distinctionis est realis continentia plurium in uno, quod unicum in se aequivaleat pluribus. Ergo talis distinctio est *rationis ratiocinatae.*

491. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Quae distinguuntur definitione, distinguuntur ante omnem operationem intellectus. Atqui universale materiale distinguitur definitione a singulari (quia quamvis hoc non possit definiri, includit tamen in sua intrinseca ratione aliquid, quod excluditur a definitione universalis). Ergo universale materiale distinguitur a singulari ante operationem intellectus.

Resp. — *D. M.* Quae distinguuntur definitione respiciente totam entitatem rei, distinguuntur ante operationem intellectus *C. M.:* quae distinguuntur definitione respiciente diversos conceptus obiectivos unius eiusdemque rei *N. M.* — *Cdm.* — *N. C.*

Ob. 2ª. Essentiae diversae distinguuntur ante operationem intellectus. Sed essentia animalis et essentia hominis sunt essentiae diversae. Ergo distinguuntur ante operationem intellectus.

Resp. — *D. M.* Essentiae specifice diversae distinguuntur ante operationem intellectus *C. M.:* essentiae diversae secundum subalternationem generum et specierum *N. M.* — *Cdm.* — *N. C.*

Ob. 3ª. Relationes realiter diversae nequeunt habere idem fundamentum. Sed universale materiale est fundamentum relationis identitatis in specie aut in genere: singulare vero est fundamentum relationis diversitatis. E. non possunt realiter identificari.

Resp. — *D. M.* Relationes realiter diversae nequeunt habere idem fundamentum et simul eundem terminum *C. M.*: nequeunt habere idem fundamentum si diversus sit terminus *N. M.* — *Cdm.* Ita ut terminus harum relationum sit diversus *C. m.:* ita ut sit aequalis *N. m.* — *N. C.* — Nulla invenitur repugnantia in hoc, quod una et eadem realiter entitas sit fundamentum duarum relationum, quae specie differant. Sic ex. gr. una et eadem qualitas habere potest rationem *similitudinis* ad unam aliam, et *dissimilitudinis* ad alteram: una et eadem quantitas potest dicere relationem *aequalitatis* ad hanc, et *inaequalitatis* ad illam aliam quantitatem. Unde etiam una eademque entitas, respectu

unius habere poterit relationem *identitatis* et respectu alterius relationem *diversitatis*.

THESIS X[a]. Antecedenter ad operationem intellectus, universale materiale non distinguitur a singulari distinctione actuali seu formali ex natura rei.

492. Praenotiones. — Thesis ista est corollarium praecedentis: sed directe statuitur contra Scotum eiusque scholam. Scotus nempe inter distinctionem realem simpliciter dictam, quae attenditur inter rem et rem (et quadantenus applicari potest etiam entibus rationis diversis quae inter se comparantur) et tunc vocari solet distinctio realis negativa, et distinctionem rationis, invexit mediam quandam, quam vocavit actualem seu formalem ex natura rei, secundum quam ante operationem intellectus distingui dixit varias unius eiusdemque rei *formalitates*. Ita ut, sicut distinctio realis est inter rem et rem antecedenter ad omnem intellectus operationem, ita formalis distinctio habeatur inter formalitatem et formalitatem unius eiusdemque rei antecedenter ad omnem intellectus operationem. — Vocat hanc distinctionem *actualem* in oppositione ad mere virtualem quam thomistae tuebantur, quae, ut ipsi fatentur, potius quam distinctio est fundamentum distinctionis quam *actualiter* facit sola ratio. V. gr. homo in sua perfectione specifica virtualiter continet omnem perfectionem, quae est per formas inferiores animae humanae; hinc intellectus habet fundamentum ad accipiendum seorsim in homine hunc vel illum gradum perfectionis, quem virtualiter continet, et sic seorsim accipiendo *actualiter* distinguit quod virtute tantum in uno continebatur. Sic S. Th. (I p. q. 76 a. 3 ad 1[m]) dicit " non oportet secundum diversas rationes (dic etiam formalitates sensu Scotistico) vel intentiones logicas quae consequuntur modum intelligendi (et consequenter significandi v. gr. per abstracta vel concreta) diversitatem in rebus naturalibus accipere, *quia ratio unum et idem secundum diversos modos apprehendere potest*" (NB. Fundamentum hoc est omnium distinctionum rationis ex parte intellectus). Quia igitur ut dictum est (in corp. a.) anima intellectiva *virtute* continet id quod sensitiva habet et adhuc amplius, potest *seorsim* ratio considerare quod pertinet ad virtutem sensitivam quasi quoddam imper-

fectum et materiale, et quia hoc invenit commune homini et aliis animalibus, ex hoc, rationem generis format; id vero in quo anima intellectiva sensitivam excedit, accipit *quasi formale et completivum,* (Nota verba pro quaestione unde sumatur genus et differentia in angelis de qua postea) et ex hoc format differentiam hominis „. (Scil. differentia, sicut et genus, non sumitur ab aliquo actualiter distincto, sed eam format ratio).

Sed iuvat doctrinam scotisticam, ipsis eius adsertorum verbis expositam referre. Audiatur e. g. Mastrius: " Ex alio itaque solidiori fundamento admittenda nobis est distinctio quaedam media inter realem simpliciter dictam, et rationis, cum Scoto (1. d. 2. q. 7. § *Sed hic restat,* et d. 8. q. 4.) quae dici consuevit in nostra schola *distinctio ex natura rei formalis;* dicitur quidem distinctio ex natura rei, ut secernatur a distinctione rationis, quae fit per opus intellectus; dicitur vero formalis, ut secernatur a distinctione reali, ac entitativa proprie dicta, quae versatur inter rem et rem, at haec media, de qua loquimur, versatur inter formalitatem, et formalitatem, quae plerumque in eadem re phisica inveniuntur immersae per realem identitatem, qua ratione etiam alio nomine dicuntur realitates, derivato a re vocabulo cum diminutione, ut ostendatur illas non esse proprie res diversas, quia non habent diversas existentias, sed potius plures eiusdem rei realitates, et aliquitates, quae cum adhuc habeant diversas rationes conceptibiles, et definibiles secluso quocumque opere intellectus, non enim esse in intellectu dat illis rationem formalem quidditativam, sed talem habet a parte rei, ut habet Doctor (quol. 1. lit. Q.); consequenter etiam fundare dicuntur distinctionem ex natura rei formalem, maiorem quidem distinctione rationis, quia non est inter rem, et rem, idest inter aliqua duo, quibus diversae correspondeant existentiae, sed inter realitatem et realitatem, quae, licet habeant proprias rationes formales conceptibiles, non tamen habent diversas existentias; sed singulae unica existunt existentia, nimirum illius rei, cui identificantur. Confirmatur adhuc et magis explicatur haec communis doctrina Scotistarum ex Doctore desumpta (Q. d. 3. q. 1.): nam in una eademque re phisica multae reperiuntur formalitates et realitates immersae per identitatem, ut v. g. in homine, ratio sub-

stantiae, corporis, animalis, rationalis, risibilis etc., quae etiam dici solent gradus metaphysici, ut per hoc ostendatur non esse proprie res diversas, sed potius plures eiusdem rei gradus; isti vero gradus in homine, licet proprias non habeant existentias, sed omnes et singuli existant ad existentiam ipsius hominis, ideoque diversae res dici nequeant, nec proprie fundare distinctionem realem ac entitativam; adhuc tamen habent diversas rationes conceptibiles et definibiles, ut constat de animali et rationali; neque enim haec duo diversas habent rationes, quia sic apprehenduntur ab intellectu, sed potius ab intellectu attinguntur ut in suis conceptibus diversa, quia talia sunt a parte rei, ut dicebat Doctor (quol. I. Q.). Ergo inter tales realitates et formalitates rationabiliter alia distinctio poni non potest, quam formalis ex natura rei; non enim esse potest distinctio rationis, quia distinguuntur citra omnem intellectus operationem, neque distinctio realis, quia non est inter plures res seu plura entia propriam existentiam habentia; erit ergo distinctio media inter utramque. Neque valet quod solent dicere Thomistae, inter haec sufficere distinctionem rationis ratiocinatae et cum fundamento in re, quia haec distinctio non datur actu et formaliter a parte rei, sed tantum fundamentaliter et virtualiter, completur vero et actuatur per opus intellectus; at gradus metaphysici praedicti, pariter ac subiectum et passio, distinguuntur actualiter praeter opus intellectus; nam, citra quamcumque intellectus operationem, alia formaliter est ratio animalis, alia ratio risibilis vel rationalis.

Dicendum itaque quod, si per distinctionem realem intelligamus illam, quae immediate et a toto genere secernitur a distinctione rationis, ut nimirum est illa, quae datur ex natura rei et praeter opus intellectus, sic inter distinctionem realem et rationis nulla datur media distinctio, quia distinctio formalis ex natura rei continetur sub distinctione reali sic explicata, ut quaedam species: at si per distinctionem realem intelligatur illa sic proprie dicta, quae versatur nimirum inter rem et rem, seu inter extrema diversas existentias habentia, sive ab invicem separari possint, sive non; sic utique inter distinctionem realem et rationis admittenda est distinctio media, quae versatur inter plures

realitates seu formalitates eiusdem rei modo iam explicato, et sic dantur tria genera distinctionum, ad quae alia omnia excogitabilia reduci poterunt, nempe genus distinctionis realis, distinctionis formalis, et distinctionis rationis; distinctio realis constituitur in suo esse per diversitatem seu alietatem existentiarum in suis extremis; distinctio formalis per diversitatem rationum formalium seu conceptuum obiectivorum; et tandem distinctio rationis per diversitatem considerationis nostrae, sive cum fundamento in re, sive non, (Mastrius, *Dialect. Instit.* n. 131).

Probatur. I°. *Distinctio Scotistica non est necessaria: ergo non est admittenda. — Prob. antec.* — Tria sunt quae Scotus tribuit distinctioni formali actuali, et propter quae illam reputat necessariam: 1° ut de unica re possint verificari contradictoria, 2° ut possit terminare diversos conceptus, 3° ut possit definiri diversis definitionibus. Atqui haec tria praestare potest distinctio virtualis: Nam hoc ipso quod res est virtualiter multiplex, secundum unam partem eius virtutis potest verificare aliquid, quod de alia parte non verificatur. Unde S. Thomas (7. *de pot.* a. 1. ad 5m): " De illo quod est idem secundum rem, sed ratione differens, nihil prohibet verificari contradictoria, ut dicit Aristoteles 3° *Phys.:* sicut patet quod idem punctum re, differens solum ratione, est principium et finis: et secundum quod est principium, non est finis „ [1]). — Deinde patet quod distinctio virtualis sufficit ad terminandos diversos conceptus: hoc ipso enim quod res aequivalet pluribus, potest concipi et definiri praecise secundum quod aequivalet uni, et deinde praecise secundum quod aequivalet alteri. — Patet denique quod de tali re, hoc ipso quod plures formari possunt conceptus inadaequati, plures item dari possunt definitiones eam sub illa diversa consideratione diversa explicantes.

II° Distinctio, quae accipitur secundum diversos gradus obiectivos, non est actualis nisi secundum quod intellectus *in*

---

[1]) Sic idem nummus aureus, si sumatur prout continet tantum valorem trium libellarum, non sufficit ad solvendum debitum 25 libellarum: sed si sumatur secundum valorem suum integrum, (e. g. 25 libellarum) sufficit. Porro *sufficere* et *non sufficere* sunt contradictoria.

uno eodemque seorsim accipit quae in eo virtualiter continentur, quatenus ea in aliis seorsim de facto inveniuntur aut inveniri possunt (v. g. natura humana sine hac individuatione, quam habet in Petro). Sed distinctio, quae fit ab intellectu in rebus, non est distinctio realis. Ergo distinctio actualis graduum obiectivorum non est realis: imo nec esse potest ullo modo *actualis,* sensu Scotistico, independenter ab operatione intellectus.

III° Plures formalitates seu plures rationes formales nihil aliud sunt, quam plures formae. Atqui in una eademque re non possunt inveniri plures formae substantiales; ergo distinctio formalitatum, sensu Scotistico, non est admittenda [1]).

IV° A posteriori, *ex ipso modo praedicandi* ostenditur unumquodque ab una forma habere quod sit singulare et quod sit in tali vel tali natura. Nam in omni praedicatione, praedicatum se habet ut forma, subiectum ut susceptivum formae, saltem in ordine rationis. Concipitur enim praedicatum ut perfectivum subiecti [2]). Quae autem sumuntur a diversis formis, praedicantur ad invicem vel *per accidens,* si formae non sint ad invicem ordinatae, puta cum dicimus quod album est dulce; vel si formae sunt coordinatae ad invicem, ita nempe ut alia sit alterius *subiectum quo,* erit praedicatio *per se in secundo modo dicendi per se* [n. 147. II]. Atqui dum dico -- *Petrus est homo* — praedicatio non est accidentalis, ut patet; neque est in secundo modo dicendi per se, quia Petrus non ponitur in definitione hominis. Sequitur ergo quod sit in *primo modo dicendi per se,* seu quod singulare quod est in subiecto, et universale materiale quod est in praedicato,

---

[1]) Cf. S. Th. I. p. q. 76 a. 3. Rerum species differunt secundum perfectius et minus perfectum: unde Aristoteles comparat rerum species numeris et figuris, in quibus perfectior continet imperfectiorem et excedit. Sicut ergo pentagonum continet trigonum, et numerus senarius continet ternarium, ita humanitas continet animalitatem, nec quidem per aggregationem, ut cumulus lapides (quod eveniret si daretur distinctio formarum quomodocumque antecedens opus intellectus), sed per aequivalentiam, ut nummus aureus continet argenteos: quae enim sunt distincta in inferioribus, adunantur in superioribus. Unde in homine eadem simplex formalitas est radix discurrendi, sentiendi et vivendi: tamen intellectus distinguit in ipsa animalitatem, et format gradum animalitatis, et ita porro.

[2]) Cf. C. G. l. I. c. 26.

sunt singulare et universale ab eadem ipsissima forma: " oportet eandem formam esse, per quam aliquid est animal, et per quam aliquid est homo: alioquin homo non vere esset id, quod est animal, ut sic animal per se de homine praedicetur „. (Cf. omnino S. Th. I. p. q. 76. a. III c.).

493. Obiectiones — Ob. 1ª. *Natura* Petri est communicabilis, *Petreitas* est incommunicabilis. Atqui quod est communicabile et quod est incommunicabile sunt ex natura rei formaliter distincta. Ergo *natura* Petri (universale) et *Petreitas* (singulare) sunt ex natura rei formaliter distincta.

Resp. — *D. M.* Natura Petri abstracta a Petro est communicabilis *C. M.* ut in Petro *N. M.* — *Ctm.* Communicabile et incommunicabile secundum eandem rationem sunt a parte rei formaliter distincta *C. m.:* Communicabile et incommunicabile secundum diversam rationem respondentem diversae considerationi intellectus sunt formalitates distinctae *sbd:* sunt formalitates distinctae *virtualiter* ante operationem intellectus, actu autem tantum consequenter ad opus intellectus *C.m.:* sunt formalites distinctae *actualiter* quomodocumque ante opus intellectus *N. m.* — *N. C.*

Ante operationem intellectus dictae formalitates *potentialiter* tantum distinguuntur, quod est dicere: *unam eandemque atque indistinctam realitatem aequivalere pluribus.* Post operationem vero intellectus, istae formalitates *distinguuntur actu:* nulla ergo distinctio actualis ex natura rei.

Ob. 2ª. Animalitas hominis formaliter sumpta est eiusdem rationis ac animalitas leonis. Sed animalitas leonis ex natura sua distinguitur a rationalitate: ergo etiam animalitas hominis.

Resp. — *D. M.* Animalitas hominis et leonis sunt eiusdem rationis si sumantur praecisive ab homine et leone *C. M.;* si sumantur *prouti in homine et leone N. M.* — *Ctm.* Animalitas leonis *ut in leone* ex natura sua *distinguitur* a rationalitate *C. m.* (haec tamen non est nisi distinctio rationum consequens distinctionem rerum: differt enim animalitas leonis a rationalitate, sicut ipse leo differt ab homine et de hoc nulla est controversia); animalitas leonis ut praecisa a leone distinguitur a rationalitate *sbd.* distinguitur ut ratio determinabilis a determinante consequen-

ter ad operationem intellectus *C. m.*: antecedenter ad operationem intellectus *N. m. et Suppositum — N. C.*

Ob. 3.ª Si unica formalitas esset in homine quae sentit et quae ratiocinatur, posset dici quod principium ratiocinandi in homine est animalitas. Atqui hoc non conceditur. Ergo.

Resp. — *Nego seq. Mai.* Ad hoc, ut non possit dici quod principium ratiocinandi in homine sit animalitas, sufficit distinctio rationis ratiocinatae inter animalitatem et rationalitatem, sicut ut non possit dici quod *misericordia punit* sufficit distinctio rationis ratiocinatae inter misericordiam et iustitiam. [1])

Ob. 4.ª De ratione partis est ut a comparte distinguatur. Sed animalitas et rationalitas sunt partes naturae humanae. Ergo ab invicem distinguuntur.

Resp. — *D. M.* De ratione partis est ut a comparte distinguatur modo respondente ipsi constitutioni in esse partis *C. M.* (idest *realiter* si partes sunt in ordine reali, *ratione* si partes constituuntur tales per intellectum); aliter *N. M. — Ctm.* Animalitas et rationalitas sunt partes *metaphysicae* naturae humanae (ideoque constitutae in esse partium per intellectum) *C. m.:* sunt partes *physicae* et *reales N. m. — N. C.*

Ob. 5.ª Partes metaphysicae sunt reales. Sed animalitas et rationalitas sunt partes metaphysicae. Ergo sunt reales.

Resp. — *D. M.* Partes metaphysicae sunt reales in ratione formae seu entitatis *C. M.;* sunt reales in ratione *partium* seu in ratione distinctionis *N. M. — Cm. — D. Cons. ut in Mai.* — Est absurdum in terminis, quod *realitas in ratione distinctionis* possit inveniri in partibus, quae non constituuntur distinctae nisi per intellectum.

THESIS XI^a. — 1° Natura in nullo statu habet de se ut sit universalis, 2° sed universalitas constituitur in natura, tantum secundum quod haec existit ut conceptus obiectivus in intellectu.

Probatur 1ª pars — Natura quaelibet potest considerari in triplici statu, nempe in statu *realis existentiae extra intellectum,* vel in statu *conceptus obiectivi* in intellectu, vel denique in *statu*

---

[1]) Cf. I. p. q. 39. a. 1. ad 2.^m

naturae solitariae, ut dicunt, cum nempe praescinditur ab hoc, quod sit in intellectu vel extra, et consideratur secundum praedicata essentialia tantum. [1]).

Atqui in nullo horum natura est de se universalis: a) non

---

[1]) S. Th. *Quodl.* 8. q. 1. a. 1. ait: " Triplex est alicuius naturae consideratio. *Una* prout consideratur *secundum esse quod habet in singularibus,* sicut natura lapidis in hoc lapide et in illo lapide. — *Alia* vero est consideratio alicuius naturae *secundum esse suum intelligibile*, sicut natura lapidis consideratur prout est in intellectu. — *Tertia* vero est consideratio naturae *absoluta,* prout abstrahit ab utroque esse, secundum quam considerationem consideratur natura lapidis vel cuiuscumque alterius quoad ea tantum, quae per se competunt tali naturae „. Status hic ultimus, qui est naturae absoluta consideratio, vocatur *status essentiae solitariae,* quatenus natura in hoc statu est sola ab omni extrinseco praedicato; et vocatur etiam *status naturae secundum se.* — Primus status vocatur *status singularitatis* seu *contractionis ad individua.* — Secundus vero, qui est secundum esse quod natura habet in abstractione intellectus, potest etiam quodammodo dici status solitudinis pro solitudine et abstractione ab individuis, non pro solitudine ab omni extrinseco praedicato, quia quaedam praedicata competunt naturae in hoc statu, quae tamen ei sunt extrinseca.

Quatuor autem differentiae inveniuntur inter naturas sic consideratas: 1ª conditiones convenientes naturae *secundum se* sunt praedicata essentialia, conditiones vero debitae naturis reliquis sunt denominativa praedicata, *realia* quando agitur de natura secundum esse quod habet in singularibus, *non realia* quando agitur de natura secundum quod est in intellectu; 2ª natura absolute sumpta non est una numero nec plures numero, et in hoc convenit cum natura prout est in intellectu, sed discrepat, ut patet, a natura prout est in singularibus; 3ª natura secundum se nullum esse sibi vindicat, sl. nec esse in singularibus nec esse in intellectu, neque etiam non esse in singularibus aut non esse in intellectu, et per hoc discriminatur ab utraque reliqua natura; 4ª natura secundum se sumpta praedicatur de individuis: natura vero sumpta tum prout est in singularibus tum prout in intellectu, non praedicatur de individuis: attribuitur enim Socrati natura humana *absque ullo addito* seu absque ulla conditione, quae convenire potest naturae secundum quod est in intellectu, vel secundum quod est in singularibus. — Nota autem quod licet natura absolute considerata abstrahat ab utroque esse, nempe ab esse in singularibus et in intellectu, tamen considerari potest natura absoluta sive in singularibus sive in intellectu: possum enim considerare naturam singularem vel abstractam, tantum secundum praedicata essentialia; et sic est natura absoluta, et hoc facit S. Th. c. IV *De Ente et Essentia.* — Hoc retine ad vitandas confusiones in intelligentia S. Thomae.

in statu realis existentiae, quia sic est identificata cum singulari, et multiplicata numerice cum singulari (ut probatum est) : non igitur est communis pluribus ; *b)* non *in statu conceptus obiectivi* in intellectu : nam natura in hoc statu *praescindit* ab uno et a pluribus, et ideo non est positive communis pluribus : praescindit *ab uno,* quia si adhuc consideraretur concreta alicui individuo, iam abstracta non esset : praescindit *a pluribus* eo ipso quod praescindit a singulis ; *c)* tandem natura non est universalis formaliter *in statu solius essentiae,* nempe si consideretur secundum essentialia praedicata tantum : nam dicere quod est communis si eo modo consideretur, est dicere quod universalitas sit praedicatum essentiale eius, et si hoc esset, in nullo statu natura privaretur communitate, ne quidem cum a parte rei est concreta in singulari : quod est absurdum. Ergo in nullo statu, natura est de se universalis.

Probatur 2ª pars. — *Universalitas constituitur in natura tantum secundum quod existit ut conceptus obiectivus in intellectu.*

Cum probatum sit (in Iª parte) quod natura in nullo statu habet *de se* ut sit universalis, relinquitur quod universalitas constituatur per *opus solius rationis* in natura, secundum quod ea invenitur in aliquo ex praedictis statibus.

Atqui *a)* universalitas non ponitur ab intellectu in natura prouti ea concipitur *in statu concretionis in singularibus.* Singulare enim, numerica sua unitate, positive respuit omnem communitatem. Repugnat enim in terminis concipere secundum idem aliquid ut singulare, seu ut habens unitatem, quae a nullo alio participatur, et ut universale, seu ut habens quandam unitatem quae pluribus participatur. [1])

Neque *b)* potest poni universalitas in natura solitaria ; nam et hoc repugnat in terminis [2]). Concipere enim universalitatem

---

[1]) ... " non potest dici quod ratio generis accidat naturae humanae secundum illud esse, quod habet in individuis : quia non invenitur in individuis natura humana *secundum unitatem* ut sit *unum quid conveniens cuilibet :* quod ratio universalis exigit „. (S. Th. *De ente et essent.* c. IV).

[2]) ... " hoc modo (nempe naturae absolute consideratae) nihil est verum de ea dicere, nisi quod conveniat sibi *secundum quod huiusmodi :* unde quidquid aliorum sibi attribuitur, falsa est attributio : v. g. homini, in eo

in natura, est concipere in ipsa aliquid ipsi *non essentiale* (ut supra dictum est); et concipere aliquid in natura solitaria, est considerare in ipsa aliquid, secundum quod ea *tantum* respicitur *in suis essentialibus,* seu est considerare in ipsa aliquid *essentiale.*

Unde *c)* remanet quod universale formale ponatur in natura secundum quod ea est in statu existentiae intentionalis, seu secundum quod ea fuit iam apprehensa ut conceptus obiectivus abstractus a notis individuantibus. In hoc statu, cum natura careat unitate numerica, non habetur amplius impedimentum, quod erat in singulari, ut ea conciperetur communis, et ideo in hoc statu natura, in quantum una solum formaliter, et formaliter immultiplicata, dici potest gaudere communitate *negativa,* seu esse apta materia ad suscipiendum per operationem intellectus communitatem seu universalitatem, quapropter dicitur etiam universale materiale [1]).

---

quod est homo, convenit rationale et animal et alia quae in eius definitionem cadunt: album vero vel nigrum vel quodcumque huiusmodi, quia non est de ratione humanitatis, non convenit homini in eo quod est homo. Ideo si quaeratur utrum ista natura possit dici *una* vel *plures,* neutrum concedendum est, quia utrumque est extra intellectum humanitatis et utrumque potest sibi accidere. Si enim pluralitas esset de ratione eius, nunquam posset esse una, cum tamen una sit secundum quod est in Socrate. Similiter si unitas (numerica) esset de intellectu et ratione eius, tunc esset una et eadem (numerica) natura Socratis et Platonis, nec posset in pluribus plurificari „. (S. Th. *de Ente et Essentia* c. IV).

[1]) " Relinquitur ergo quod ratio speciei *accidat* naturae humanae, secundum illud esse, quod habet in intellectu. Ipsa enim natura habet esse in intellectu abstractum ab omnibus individuantibus, et habet *rationem uniformem (unitatem,* quidam vocant *conformitatis)* ad omnia individua quae sunt extra animam, prout essentialiter est imago omnium et inducens in cognitionem omnium, in quantum sunt homines: et ex hoc quod talem relationem habet ad omnia individua, intellectus adinvenit rationem speciei et attribuit sibi (ei). Unde dicit commentator 1° *de Anima* quod intellectus est qui facit universalitatem in rebus: hoc etiam Avicenna dicit in VII *Met.*... Et quia naturae humanae secundum suam absolutam considerationem conveuit quod praedicetur de Socrate, et ratio speciei non convenit sibi secundum suam absolutam considerationem, sed est de accidentibus, quae consequuntur eam secundum quoddam esse, quod habet in intellectu, ideo nomen *speciei* non praedicatur de Socrate, ut dicatur *Socrates est species,* quod de necessitate accideret, si ratio speciei conve-

494. Corollaria. — Ex his, quae hucusque tractata sunt, plura sequuntur corollaria quorum, quaedam, licet iam fuerint antecedenter praeoccupata, non inutile erit ordinate hic et sub uno veluti intuitu considerare.

I. **Ratio universalitatis non competit naturae reduplicative ut existenti in pluribus individuis.** — Patet: nam licet verum sit quod res non distinguantur ad invicem secundum quod esse habent [1]), tamen esse diversificatur et multiplicatur consequenter ad diversitatem et multiplicationem naturarum; unde deest *unitas:* quod si dicatur esse non multiplicari in individuis, tunc nec natura ipsa multiplicatur: impossibile est enim concipere realem multiplicationem naturae sive specifice sive numerice, quin multiplicetur esse; et sic deest *pluralitas.*

II. **Ratio universalitatis neque competit naturae in praecisione ab existentia.** — Nam cum existere non competat nisi singularibus, oportet ut quaelibet natura sit singularis in signo rationis antecedenter ad esse. Sed si natura intelligi debet singularis antecedenter ad esse, etiam in praecisione ab ipso erit singularis. Ergo per hoc, quod praescindatur ab esse, natura non evadit universalis formaliter. — Unde vides, quod aliud est dicere — *si natura existit, est singularis* — (existentia enim est signum singularitatis); aliud est dicere, quod *existentia sit id, quo natura constituatur singularis:* hoc secundum est omnino falsum. [2])

III. **Ratio universalitatis neque competit naturae secundum quod consideratur in statu possibilitatis.** — Nam, ut patet,

---

niret homini secundum suam absolutam considerationem, scil. in quantum est homo. Quidquid enim convenit homini in quantum est homo, praedicatur de Socrate „. S. Th. *ibid.*

[1]) S. Th. 1 c. g. c. 26.

[2]) Unde in Christo Domino natura humana, licet careat proprio esse, est tamen omnino singularis: non enim *Verbum Dei assumpsit humanam naturam in universale sed in atomo,* idest in individuo, ut Damascenus dicit (l. 3° orth. fid. c. 11). Natura autem individua in Christo non est suppositum seu persona, quia licet sit quoddam individuum in genere substantiae, non tamen per se existit sed in quodam perfectiori, scilicet in Persona Verbi Dei. (Cf. S. Th. III p. q. II a. 2. ad 3.)

status possibilitatis respondet statui realis existentiae : possibile est enim id, quod potest esse : si ergo repugnat universale a parte rei, neque ponenda est natura aliqua possibiliter communis, seu ratio universalitatis non competit naturae in statu possibilitatis *in quantum huiusmodi.* Patet autem quod, sicut natura universalis potest abstrahi ab individuis realibus, ita quoque potest abstrahi ab individuis possibilibus, vel potest ipsa natura abstracta ab individuis realibus vel possibilibus concipi ut apta inexistere pluribus sive realibus sive possibilibus, et hoc modo suscipere intentionem universalitatis : sed hoc non competit naturae quatenus *possibilis est,* sed *quatenus abstracta :* imo *actu* inexistere in pluribus, in ordine scilicet realis actualitatis, nullo modo convenit naturae quatenus est *possibilis,* ut nimis evidens est.

IV. **Ratio universalitatis non competit naturae per hoc, quod accipitur ut una formaliter in pluribus.** — Hoc posset intelligi dupliciter : **primo** quatenus entitas aliqua una formaliter reperiatur in pluribus [1]) sine sui multiplicatione, non quidem secundum *numericam unitatem,* quod esset absurdum (ut supra dictum est), *sed secundum aliquem gradum,* quo distinguitur a sua singularitate antecedenter ad opus intellectus. Sed hoc quoque est absurdum, quia, ut ostensum est, quod est unum formaliter non datur a parte rei nisi identificatum cum individuo : quod autem est identificatum cum individuo, non potest esse pluribus commune sine sui multiplicatione *per modum universalis ;* nam illa plura deberent esse plura in ea ipsa ratione, in qua sunt illud unum, nempe singulare : deberet ergo illud singulare esse simul immultiplicatum, ut sit commune, et multiplicatum, ut sit in pluribus : quod est absurdum [2]). — **Secundo modo** posset intelligi quod unitas formalis multiplicetur quidem numerice et

---

[1]) Nota bene quod agitur semper de pluribus, *quae sint plura in ea ipsa ratione, in qua sunt unum.*

[2]) Unde ex hoc, ut patet, nihil concluditur contra Mysterium SS. Trinitatis, in quo, ut saepe diximus, aliquid Unum (nempe Essentia divina) invenitur immultiplicatum in pluribus, *quae tamen non sunt plura in ipsa ratione, in qua sunt Unum,* nempe in Essentia divina, ideoque nullo modo important multiplicationem ipsius Essentiae divinae.

quidem *secundum se totam,* sed adhuc concipiatur una, quia est distincta a singularitate singulorum vel re vel ratione: sed utraque positio est absurda: *prima,* quia non datur illa distinctio entitatis a singularitate (ut probatum est); *secunda,* quia unitas immultiplicata formaliter non *hoc ipso* evadit communis ut universalis. Nam si attendatur *entitas,* quae per unitatem importatur, haec est multiplex in illis individuis: si vero spectetur *negatio divisionis* formalis, haec pariter multiplicatur pro multiplicatione ipsius entitatis, quae dicitur formaliter una. Huiusmodi namque negatio sequitur eam entitatem ad modum accidentis ipsius: accidentia autem multiplicantur pro multiplicatione subiectorum. Quod si quis negationem confunderet cum ipsa entitate, adhuc dicere deberet illam multiplicari, quia entitas multiplicatur. Nullo ergo modo potest natura aliqua secundum unitatem formalem quam dicit in pluribus, haberi tanquam formaliter universalis. [1])

495. Obiectiones. — **Ob. 1ª** Quidquid non est singulare est formaliter universale. Atqui natura abstracta a singularibus non est singularis. Ergo est formaliter universalis.

Resp. *D.M.* Quod non est singulare, et dicit positivum ordinem ad plura, est universale formale *C.M.;* quod praescindit

---

[1]) Quando distinguimus in eadem re unitatem *formalem* et *individualem* et *universalem,* non distinguimus varias unitates absolute et ex parte entitatis positivae, quasi illae constituant aliquam multitudinem, sed solum distinguimus *varios respectus negandi divisionem:* quando principia formalia non sunt divisa, idest non fit divisio penes principia formalia, tunc ex illo respectu carendi divisione, quantum est ex parte talium principiorum, dicitur *unitas formalis* (quae potest esse generica vel specifica). Quando non solum datur carentia divisionis ex parte principiorum formalium, sed etiam ex parte materialium, quae pertinent ad individuationem, tunc illa unitas est *numerica* seu individualis. Et quia quidditas et individuatio simul concurrunt in uno individuo, non repugnat etiam inveniri unitatem formalem coniunctam unitati individuationis. Si autem per intellectum separetur ab omni individuatione, unitas illa formalis manebit praecisa, et tunc habetur unitas *universalis negativa* seu praecisionis: quae proprie est universalis materialis. Ut autem habeatur universale formale, requiritur *unitas communitatis,* qua hoc ipsum, quod ut formaliter unum abstractum est a pluribus, concipitur ut *commune pluribus,* idest ut *identice* existens absque sui multiplicatione in illis pluribus.

ab uno et a pluribus, et non dicit positivum ordinem ad plura *N.M. — Ctm. — N.C.*

Ob. 2ª Quod est abstractum a pluribus singularibus, est aliquid unum formaliter aptum illis inesse. Sed quod est huiusmodi, est formaliter universale. Ergo.

Resp. *D.M.* Quod est abstractum a pluribus, est aliquid unum formaliter aptum illis inesse aptitudine negativa *C.M.;* aptitudine positiva *N.M. — Ctm. — N.C.*

Aptitudo ad essendum in multis accipi potest vel *positiva vel negativa.* Positiva consistit in ordine, quo aliquid unum refertur ad plura ut potens existere in eis. Negativa consistit in eo, quod aliquid non exigat de necessitate esse tantum in uno solo individuo. Porro aptitudo, quae importatur per universale formale, non est tantum negativa, sed positiva. Non sufficit enim ad rationem universalis, quod unum non dicat singularitatem ut sibi necessariam, sed requiritur, ut dicat ordinem positive ad plura. At vero natura in quantum abstracta a singularibus non habet aptitudinem ad essendum in pluribus nisi negative, quia nempe non exigit esse in uno tantum. Nullo modo autem independenter ab alia operatione intellectus spectat multa, ut potens in eis esse. Unde formaliter universalis dici nequit.

Ob. 3ª Si natura in propriis essentialibus non haberet aptitudinem ad essendum in pluribus, nunquam posset realiter in pluribus inveniri. Atqui hoc est absurdum. Ergo natura in propriis essentialibus habet aptitudinem ad essendum in pluribus, ideoque est universale formaliter.

Resp. *D.M.* Si natura in propriis essentialibus non haberet aptitudinem ad essendum in pluribus, eo quod talis aptitudo repugnaret ipsi *simpliciter,* nunquam posset in pluribus inveniri *C. seq. M.;* si non habet aptitudinem dictam, eo quod talis aptitudo repugnat ei *secundum quid,* nempe repugnat quod ponatur inter notas eius essentiales *N. seq. M. — C.m. — D.C.* Natura in propriis essentialibus non respuit *simpliciter* communitatem *C.C.;* non respuit *secundum quid,* nempe ut notam sibi essentialem *N.C.*

Et hic adverte, quomodo non eodem modo se habet ad

communitatem natura abstracta et natura secundum se considerata : nam natura abstracta *praescindit* ab uno et a pluribus, unde potest recipere intentionem universalitatis : contra natura secundum se considerata, ita *praescindit* ab uno et a pluribus, ut nullo modo possit *qua talis* recipere intentionem universalitatis. Sicuti definitio hominis non solum praescindit a *cursu,* qui accidentaliter potest ei inesse, sed *nullo modo* admittit talem rationem : non quasi cursus repugnet *homini,* sed repugnat quod ponatur in *definitione hominis :* quod est dicere quod *cursus,* hoc ipso quod est *accidens,* repugnat quod ponatur inter ea, quae sunt *essentialia homini :* eodem modo intentio universalitatis, hoc ipso quod est *accidens rationis,* repugnat quod ponatur inter essentialia alicuius naturae substantialis et realis, quamvis natura possit recipere tale accidens, sicuti homo potest currere. Unde etiam potest dici quod natura, secundum se considerata, non solum *praescindit* a communitate, sed illam *respuit,* non quidem quasi sit *simpliciter* ei repugnans, sed quia si illam haberet, deberet illam recipere ut sibi *essentialem :* quod repugnat. Vidimus autem saepe, quod aliquod praedicatum potest repugnare alicui subiecto *non simpliciter,* sed *secundum quid :* sic ergo communitas repugnat naturae secundum se consideratae, non simpliciter quatenus est natura, sed *secundum quid* quatenus accipitur *secundum se :* sicuti existentia realis repugnat naturae abstractae, non simpliciter, quatenus est natura, sed secundum quid, quatenus est abstracta. — Vel etiam, quod idem est, non *communitas simpliciter* repugnat naturae secundum se consideratae, sed *communitas secundum quid,* nempe quae sit ei essentialis (quod tamen necessario deberet esse, dato quod communitas ei tribuatur) : sicut non *quodlibet esse* repugnat naturae abstractae, sed *tale* esse, nempe *non determinatum,* (quod tamen necessario deberet ei competere, dato quod natura *abstracta* existeret a parte rei). [1])

Ob. 4ª Naturae secundum se consideratae competit quaedam

---

[1]) Patet autem quod ea, quae hic dicuntur, valent de communitate *positiva :* quia quantum ad communitatem mere *negativam,* eodem modo se habet natura abstracta et natura secundum se considerata.

unitas, quae nec est unitas numerica (quia nullum individuum dicit a quo participatur), nec unitas formalis (quia haec est multiplicabilis, dum naturae secundum se competit unitas immultiplicabilis). Sed praeter numericam et formalem non datur nisi unitas universalis. Ergo.

Resp. *D.M.* Naturae secundum se non competit unitas numerica neque unitas formalis, quae multiplicetur *formaliter C.M.;* non competit unitas formalis, quae multiplicetur vel multiplicabilis sit *numerice N.M.* — *Transeat minor.* — *N.C.*

Ob. 5ª Universale dicitur quod praedicatur de multis. Atqui natura secundum se et absolute spectata praedicatur de pluribus individuis. Ergo natura secundum se spectata est universalis.

Resp. *D.M.* Universale dicitur quod praedicatur de multis secundum quod per intellectum accipitur ut unum in multis *C.M.;* quod praedicatur de multis independenter ab hac operatione intellectus accipientis illud ut unum in multis *N.M.* et *N. supp.* quod nempe aliquid possit hoc modo esse praedicabile de multis. — *Ctm.:* Natura secundum se et absolute spectata praedicatur de pluribus individuis secundum quod accipitur per intellectum ut una in multis *C. m.:* independenter ab hac acceptione intelletus *N.m.* — Praedicabilitas non est nisi proprietas universalis: prius ergo oportet concipere ipsum universale, et postea eius praedicabilitatem. Porro natura ipsa *secundum se considerata* intelligitur ut inexistens, vel ut apta inexistere in pluribus, et consequenter, ut dicit S. Th. *(De Ente et Essentia c. IV),* praedicatur de pluribus. Manifestum enim est quod non praedicatur de pluribus natura secundum quod existit in singularibus, neque praedicatur de pluribus ipsa natura *formaliter et reduplicative secundum quod est in intellectu* (quasi natura secundum ea praedicata quae habet in intellectu, tribuenda sit rebus extra intellectum): sed praedicatur de pluribus natura ipsa secundum se considerata, nempe natura secundum sua praedicata essentialia: tamen accipi in intellectu, est conditio necessaria, ut natura secundum se considerata evadat universalis et praedicabilis. Aliis verbis praedicatur de aliquo, e. g. de Socrate, ipsa natura humana secundum se spectata — *animal rationale* —: sed patet quod *animal rationale,* quoadusque spectatur ut *ratio essentialis,*

sub ista determinata ratione, non accipi potest ab intellectu ut inexistens in pluribus, et consequenter ut potens praedicari de pluribus, imo ab ipsa ratione eius essentiali universalitas et praedicabilitas excluduntur. Tamen eadem ratio essentialis, secundum quod accipitur ut abstracta a pluribus, concipi quoque potest ut inexistens in ipsis, et consequenter ut universalis et praedicabilis. Unde quando dicimus quod *non natura abstracta,* sed *natura secundum se considerata* est universalis et praedicabilis, non intelligimus quod natura, quae praedicatur de pluribus, sit natura *secundum se, non abstracta,* sed quod est universalis et praedicatur de pluribus ipsa natura *secundum se, quae* est abstracta sed non secundum ea praedicata, quae ei competunt *praecise ac formaliter secundum quod est abstracta.*

Ob. 6ª S. Th. C. IV *de Ente de Essentia* dicit : " Naturae humanae secundum suam absolutam considerationem convenit quod praedicetur de Socrate „. Atqui non potest praedicari nisi *praedicabile* seu universale (ut patet in terminis). Ergo ipsa natura secundum se est universalis.

Resp. *C. text. D. sens. :* Naturae secundum suam absolutam considerationem convenit praedicari, praesupposito tamen id, quo fiat praedicabilis, nempe acceptio in intellectu *C. s. :* non praesupposito hoc *N.s. — Ctm.* Non potest praedicari nisi id, quod secundum esse, quod habere potest in intellectu, induit rationem praedicabilis *C.m.:* nisi id quod est de se praedicabile independenter ab operatione intellectus *N. m.* et *N. supp. — N.C.*

Nempe sicut in natura, quae est a parte rei, potest considerari ipsa ratio agendi, et conditio eius sine qua non operatur (e. g. in colore ipsa natura eius, ex qua est visibilis, et particularitas, quae est conditio sine qua non est visibilis), ita in natura praedicabili est considerare duo, scilicet *id quod praedicatur* et *conditionem sine qua non* praedicatur. Nunc autem in ista propositione : *Socrates est homo,* id quod attribuitur subiecto est ipsa natura humana et *nihil aliud :* sed conditio, sine qua ly *homo* non praedicatur de Socrate, est esse universale, superius, et commune. Nulla enim res praedicatur nisi ut habet esse in intellectu, eo quod praedicatio ab intellectu dependet. Unde natura *secundum se* est quae praedicatur de individuo (est enim

praedicatio rei de re) : sed superioritas et universalitas etc. sunt conditiones eius. Nec obstat quod superioritas et universalitas non insit naturae absolutae, quae praedicatur : quia S. Thomas non dicit quod naturae absolutae, prout abstrahit ab omni esse, conveniat praedicari de individuis : sed dicit quod res cui convenit illa conditio, nempe res quae potest accipi per intellectum ut universalis et praedicabilis, est *natura absolute* nempe natura secundum sua predicata essentialia, quamvis manifeste, dum accipitur ut universalis et praedicabilis, non accipitur secundum praedicata essentialia tantum. sed accipitur ut superior et communis. Scilicet cum dico : *Socrates est homo,* sensus non est : *Socrates est homo secundum esse quod habet in intellectu aut in singulari aut secundum rationem superiorem seu praedicabilem,* sed simpliciter, *Socrates est habens humanitatem* [1]).

Unde bene attendenda est distinctio inter *id quod praedicatur* et *conditionem praedicati :* id, quod praedicatur, est natura absoluta secundum conditiones sibi debitas ratione sui, et non secundum conditiones sibi debitas ex hoc quod habet esse in intellectu : et tamen esse in intellectu, universalitas et superioritas sunt conditiones sine quibus natura ipsa non praedicatur de inferioribus [2]).

THESIS XII[a] — Radix omnium errorum qui circa naturam universalium et consequenter circa cognitionem intellectivam prolata sunt, fuit confusio inter id quod convenit

---

[1]) E contra habere rationem *speciei* nullo modo competit naturae absolutae, quia habere rationem speciei est aliquid quod non solum consequitur et praesupponit operationem intellectus, sed est aliquid, quod convenit naturae praecise *secundum quod existit in intellectu,* non autem ullo modo secundum absolutam sui considerationem. Unde sapienter S. Thomas *ibid.* dicit : " et quia naturae humanae secundum absolutam sui considerationem convenit quod praedicetur de Socrate, et ratio speciei non convenit sibi secundum suam absolutam (scilicet humanae naturae) considerationem sed *est de accidentibus,* quae consequuntur eam secundum quoddam esse quod habet in intellectu, ideo nomen speciei non praedicatur de Socrate, ut dicatur Socrates est species, quod de necessitate accideret, si ratio speciei conveniret homini secundum esse quod habet in Socrate, vel secundum suam absolutam considerationem, scilicet in quantum est homo „.

[2]) Cf. Caietanum, *De Ente et essentia,* Q. P.

rebus secundum quod sunt in seipsis et secundum quod cognoscuntur.

496. Praenota. — Thesis ista non est nisi corollarium omnium praecedentium : iuvat tamen hic clariori modo ostendere quomodo omnes errores circa Universalia, quamvis inter se maxime oppositi, conveniant in unica radice, ut veritas quam tuemur magis eluceat.

497. Probatur. — Ab omnibus qui in quaestione de universalibus et consequenter de intellectione, a veritate deflexerunt, admissum est tanquam certissimum hoc principium :

Talis debet esse cognitio nostra, qualia sunt obiecta in seipsis.

1° Posita hac communi praemissa, ecce subsumunt *Nominales* et *Conceptuales :*

Atqui obiecta in seipsis sunt omnino singularia et habent notas incommunicabiles.

Ergo universale non datur nisi in nomine vel in conceptu.

2° Alii vero sic subsumunt :

Atqui obiecta in seipsis non possident nisi unicam essentiam seu formam seu rationem.

Ergo diversitas nostrorum conceptuum, non consistit nisi in diversitate relationum unius eiusdemque conceptus ad singula.

3° *Positivistae* iterum subsumunt :

Atqui res de quibus certificamur per testimonium sensuum non sunt nisi sensibiles, materiales et singulares.

Ergo et conceptus nostri universales non erunt nisi collectiones sensibilium repraesentationum.

4° Iterum subsumit Kant :

Atqui in obiectis quae experientiae nostrae subiiciuntur nihil invenitur universale et necessarium.

Ergo formae quaedam a priori nobis insunt, ex subiecto ipso et ex facultatibus cognoscitivis provenientes, quibus redduntur possibilia iudicia universalia.

5° Ex alia vero parte subsumit Plato :

Atqui cognitiones nostrae vere sunt universales et praescindunt ab accidentibus et a determinationibus individualibus.

Ergo universale est aliquid existens a parte rei extra singularia.

6° Iterum subsumit Guillelmus de Champeaux:

Atqui natura existit in intellectu una et immultiplicata, et communis.

Ergo eamdem unitatem et immultiplicationem et communitatem, habere debet a parte rei.

7° Iterum vero subsumit Scotus.

Atqui in re una, intellectus noster invenit rationes quasdam secundum se omnino distinctas et diversimode definibiles.

Ergo aliqua distinctio formalis ex natura rei debet praecedere in ipsa re, independenter omnino ab intellectu.

At contra: omnium argumentorum huiusmodi, una est solutio: — **Distinguo Maiorem:** Talis debet esse cognitio nostra qualia sunt obiecta in seipsis **quantum ad id quod concipitur, Concedo M.**; quantum **ad modum concipiendi et ea omnia quae hunc consequuntur, Nego M.** — Deinde conceduntur vel trasmittuntur *minores* singulorum argumentorum: *propositiones* vero *consequentes* facile distinguuntur proportionaliter ad distinctionem quae data est in *Maiori.*

Scilicet: ut saepe dictum est, nulla est necessitas quod in ipso ordine entitativo, similitudo vigeat inter cognitum et cognoscentem; quia lapis durus est atque materialis, non debet cogitatio mea esse dura atque materialis; et generatim *non debeo tribuere cogitationi meae proprietates illas quae quomodocumque inveniuntur in obiecto.* Item quia ex alia parte cogitatio mea abstracta est atque universalis, *non debeo proprietates istas tribuere obiecto;* et pro utroque casu, semper valet aurea distinctio Sancti Thomae: fallitur intellectus intelligens rem *aliter* quam sit, si τὸ **aliter se tenet ex parte obiecti:** sed nullo modo fallitur si τὸ **aliter se teneat tantum ex parte ipsius intellectus.** " Non oportet secundum diversas rationes vel intentiones logicas, quae consequuntur modum intelligendi, diversitatem in rebus naturalibus accipere: quia ratio unum et idem secundum diversos modos apprehendere potest „. (S. Th. I. p. q. 76. a. 3. ad 4.) — Et iterum " ex natura intellectus, quae est alia a natura rei intellectae, necessarium est quod alius sit modus

intelligendi quo intellectus intelligit, et alius sit modus essendi quo res existit. Licet enim in re esse oporteat *quod* intellectus intelligit, *non tamen eodem modo* „. (*Metaph.* l. 1. l. 10. Cf. *De Anima* l. II. l. 12.)

498. Obiectiones communes omnibus sententiis erroneis.

Ob. 1ª Omnis cognitio fit per assimilationem scientis ad scitum. Sed nulla est assimilatio rerum singularium ad conceptus universales. Ergo vel cognitio nostra est falsa (Sceptici, Subiectivistae), vel universalia existunt formaliter a parte rei (Realistae exaggerati), vel conceptus ipsi non sunt universales nisi apparenter, quatenus nempe sunt collectiones singularium (Nominalistae, Positivistae, Materialistae etc.).

Resp. *D. M.* Omnis cognitio fit per assimilationem scientis ad scitum quantum ad *id quod* scitur *C. M.;* quantum *ad modum* cognoscendi et essendi *N. M.* — *Ctm.* — *N. C.* — " Ad cognitionem non requiritur similitudo conformitatis in natura, sed similitudo repraesentationis tantum, sicut per *statuam auream* ducimur in cognitionem alicuius hominis. Et perfectio cognitionis consistit in hoc, ut cognoscatur res eo modo *quo est, non ut modus rei cognitae sit in cognoscente.* Et applicatio cogniti ad cognoscentem, quae cognitionem facit, non est intelligenda per modum identitatis, sed per modum cuiusdam repraesentationis. Unde non oportet quod sit idem modus cognoscentis et cogniti „.[1])

Ob. 2ª Nihil dat quod non habet. Atqui intellectus tribuit universalitatem rebus. Ergo vel ipse intellectus possidet in se universalitatem, nempe formas quasdam universales seu *a priori* (Kantiani, Subiectivistae), vel saltem formam *entis* applicabilem perceptioni sensili (Rosmini), vel universalitas ipsa, quae tribuitur rebus, non est nisi fictio ex proveniens agglomeratione repraesentationum in intellectu (Positivistae, Materialistae).

Resp. *C. M.* — *D. m.* Idest res in intellectu acquirunt esse obiectivum universale, seu cognoscuntur secundum rationem universalem *C. m.;* res acquirunt ab intellectu aliquam qualitatem physicam seu entitativam universalem *N. m.* — *N. C.* vel *D. C.* Intellectus possidet in se universalitatem idest vim cognoscendi res

[1]) *De Verit.* q. 2. a. 5. ad 5. 6. 7.

sub ratione universali *C. C.:* possidet in se aliquam qualitatem universalem *N. C.* — Unde in hac difficultate male confunditur ordo entitativus cum ordine intentionali; et renovatur error Averrois qui inde quod intellectus universale efficiat, intulit ipsum universalem esse, ita ut sit unicus in omnibus hominibus. [1])

Ob. 3ª Definitio deberet exprimere ipsam naturam realem: atqui ipsa definitio est universalis. Ergo vel datur universale a parte rei, (Realistae exaggerati) vel potius est dicendum quod definitio universalis non est una nisi collectione, vel agglomeratione similium (Conceptualistae et Positivistae), vel denique quod universalitas non est nisi forma quaedam a priori quae ab intellectu ipso profluit in rem prouti conceptam (Kant etc.).

Resp. *D. M.:* definitio debet exprimere ipsam naturam realem non tamen secundum omnia ea quae ipsi conveniunt praecise secundum quod existit realiter a parte rei *C. M.:* secundum ea quae ipsi conveniunt a parte rei nempe secundum *modum ipsum realitatis suae N. M.* — *C. m.* — *D. C.:* datur a parte rei universale secundum id quod concipitur *C. C.:* secundum modum concipiendi *N. C.*

Ob. 4ª Esse unum vel plura non est aliquid quod afficiat tantum modum sed afficit ipsam entitatem rei. Atqui in definitione exhibetur ut unum id quod a parte rei est multiplex. Ergo differentia quae est inter definitionem naturae et naturam ipsam in re, seu inter intellectionem rei et rem, non afficit tantum *modum* rei, sed ipsam rem: ideoque vel intellectus fallitur dum apprehendit et definit universaliter (Sceptici, Subiectivistae etc.); vel ratio universalitatis est aliquid confectum a ratione vel profluens ut forma *a priori* ab ipsa ratione (reliqui).

Resp. *D. M.* Esse unum vel plura unitate *numerica* vel etiam *formali* (extra intellectum) non afficit tantum modum rei sed ipsam rem *C. M.;* esse unum vel plura *unitate logica* (seu unitate formali abstracta a singularibus) non afficit modum rei tantum, sed ipsam rem *N. M.* — *Ct. m.:* In definitione exhibetur ut unum unitate *logica* (seu unitate abstractionis) id quod a parte rei multiplex est *numerice C. m.:* exhibetur ut unum nu-

---

[1]) S. Th. I. q. 14. a. 1. — Cfr. Sylv. Maurus, *Quaest. log.*, q. 13. a. 1.

mero quod a parte rei est multiplex numero *N.M.* — *N. I.m et II.m C.* — Hoc ipso enim quod aliquid *unum formaliter,* quod a parte rei est multiplicatum numerice, accipitur ab intellectu cum abstractione ab illis in quibus multiplicatur, iam illud idem quod est unum formaliter induit quamdam communitatem negativam quae pendet ab ipsa abstractione mentis, ideoque non iam *ab ipsa re* sed *a modo rei.*

Ob. 5a Unitas similitudinis sufficit ad esplicandam rationem universalitatis. Ergo vel universale existit eodem modo a parte rei et in intellectu (cum etiam a parte rei detur similitudo, vel conceptus universalis non importat communitatem alicuius identice existentis in pluribus.

Resp. *Nego antec.* Sicut enim ad universale *in causando* non sufficit congeries causarum particularium inter se similium, sed oportet quod unica causa plures producat effectus, ita ad universale in essendo non sufficiunt plures naturae particulares inter se similes, sed exigitur una natura respiciens plura individua.

Ob. 6a *Instab. Prob. Ant.* Illa unitas sufficit ad universalitatem qua maior dari non potest : sed inter duo individua non est possibilis unitas maior unitate similitudinis. Ergo.

Resp. *C.M.* — *D.m.* inter duo individua non est possibilis maior unitas similitudinis *a parte rei C.m. ;* per intellectum *N.m.*

THESIS XIII. — **Universale formale est accidens rationis, seu relatio rationis.**

499. Praenota. — Probandum est 1. quod universale formale sit *accidens rationis* — 2. et in particulari quod est *relatio.*

Probatur 1a pars. — *Universale formale est accidens rationis.* — Id quod non existit nisi per operationem intellectus in re prouti iam apprehensa est accidens rationis. Atqui universale formale, ut probatum est in thesi praecedenti, non existit nisi per operationem intellectus in natura prouti iam abstracte apprehensa. Ergo universale formale est accidens rationis.

Probatur 2a pars. — *Universale formale est relatio.* — Nam ens rationis est duplex, nempe negatio vel relatio : [n. 9]. Atqui universale formale non est negatio : non enim consistit in hoc quod aliquis entitatis defectus, ad modum entis concipiatur, sed

in hoc quod naturam aliquam formaliter unam cognoscit intellectus cum ordine ad plura, quasi ipsis communem quamvis talis ordo non habeatur a parte rei. Ergo universale formale non est negatio sed relatio.

500. Scholion. — Ex dictis facile colligitur et comprobatur definitio universalis sumpti pro formali. Hoc enim, ut ostensum fuit, est accidens quoddam, seu relatio rationis, qua una natura refertur ad plura ut existens in eis. Porro accidentia definiri possunt vel in abstracto vel in concreto. Quando in abstracto definiuntur, ponitur pro genere ipsum genus proximum accidentis definiendi, et pro differentia ponitur oblique subiectum ipsius accidentis. Quando definiuntur in concreto, ponitur loco generis subiectum in quo accidens invenitur, et loco differentiae ponitur ipsum proximum genus accidentis. Iam, genus proximum universalis formalis, iuxta dicta est *relatio rationis unius ad essendum in pluribus*. Subiectum vero est *natura*. Quare in abstracto universalitas definitur: *relatio rationis naturae unius ad essendum in pluribus*. In concreto autem: *natura una relata ratione ad essendum in pluribus*.

501. Obiectiones — **Ob. 1ª** Quod habet pro subiecto ens reale non potest esse ens rationis. Atqui subiectum universalis formalis est ens reale (universale enim materiale datur a parte rei). Ergo universale formale non est accidens rationis.

Resp. *D. M.:* quod habet pro subiecto ens reale secundum esse quod ei competit a parte rei, non potest esse ens rationis *C. M.* quod habet pro subiecto ens reale secundum esse quod ei competit in anima *N. M.* — *Ctm.* — *N. C.*

Ob. 2ª Id quo aliquid secernitur ab his quae ipsi accidunt, non potest esse accidens. Atqui natura in quantum universalis secernitur ab omnibus accidentibus. Ergo universale formale non potest esse accidens.

Resp. — *Transeat Maior* (proprie tamen valet de eo quo aliquid secernitur *essentialiter* ab his quae ipsi accidunt, non vero de eo quo aliquid secernitur *efficienter* ab his quae ipsi accidunt). — *N. m.:* non enim per universalitatem (qua potius natura refertur ad plura) sed per abstractionem, natura secernitur, et quidem *efficienter* ab his quae ipsi accidunt.

Ob. 3ª Universale formale est quo natura quae a parte rei multiplicatur in pluribus, accipitur ut una in pluribus sine multiplicatione. Sed carentia multiplicationis est negatio quaedam. Ergo universale formale est negatio et non relatio.

Resp. *D. M.* Universale formale est quo natura quae a parte rei multiplicatur accipitur ut una cum positivo ordine ad plura *C. M.:* sine hoc positivo ordine *N. M.* — *Ctm.* Carentia multiplicationis sine positivo ordine ad plura est mera negatio *C. m.:* cum positivo ordine ad plura *N. m.* — *N. C.*

QUAESTIO SECUNDA.

De causa effectiva Universalium.

THESIS I.ª — Universale materiale seu directum fit per abstractionem simplicem intellectus possibilis.

502. Praenotanda. — Omnis cognitio naturalis humana incipit a sensu; unde dici consuevit, quod nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Obiectum itaque sensibile agit in *sensum externum,* imprimendo in ipsum quamdam similitudinem sui, quae dicitur species intentionalis obiecti sensibilis. Et hac specie informatus sensus exercet actum vitalem sensationis obiecti quod sibi per speciem est unitum. — Sensus externus in actu per obiecti perceptionem, agit in sensum quemdam interiorem, qui *sensus communis* dicitur, et est perceptivus ac discretivus sensationum omnium externorum sensuum. Unde species obiecti resultat in sensu communi, a quo cognoscitur diversitas illius a ceteris speciebus. — Est autem et alia facultas sensitiva interna; quae *phantasia* dicitur, quae a sensu communi species seu rerum similitudines recipiens, efformat rerum phantasmata, eaque praebet intellectui. At haec phantasmata repraesentant obiecta singularia in propriis sensibilibus qualitatibus singularibus.

Intellectus vero cum directe pro obiecto habeat universale, nequit percipere obiectum prouti a phantasia exhibetur in sua singularitate. Quare necessario poni debet quaedam spiritualis facultas quae phantasma existens in anima illustrando, ipso

quasi instrumento utatur ad imprimendum in intellectum cognoscitivum intelligibilem speciem rei, quae illam repraesentet denudatam a conditionibus individuantibus. Et haec facultas vocatur *intellectus agens,* qui non est potentia cognoscitiva sed lumen quoddam intellectuale et vis abstractiva intelligibilis ex sensibili, seu rationalis animae qualitas qua obiectum intelligibile relucet in sensibili, quod in ipsa anima est receptum per sensum. Species quae per intellectum agentem imprimitur in facultatem spiritualem cognoscitivam dicitur *species intelligibilis impressa.* Spiritualis facultas in qua species imprimitur dicitur *intellectus possibilis* seu *passibilis,* qui proprie est potentia cognoscitiva. Operatio vero qua intellectus agens utendo phantasmate speciem intelligibilem imprimit in intellectu possibili, nuncupatur *abstractio intellectus agentis.* Intellectus possibilis specie intelligibili impressa informatus, producit seu generat in seipso aliam quamdam speciem rei, quae vocatur *species intelligibilis expressa* et *verbum mentis,* in qua specie rem ipsam cognoscimus. Et haec operatio intellectus possibilis dicitur *abstractio praecisiva intellectus possibilis,* quia per ipsam essentia rei cognoscitur praecisis conditionibus individuantibus. [1])

Posset quis quaerere an assertio intelligatur de abstractione intellectus agentis an de abstractione intellectus possibilis. Responsio facilis est: utraque operatio requiritur ad habendum universale materiale; operatio intellectus agentis illuminantis phantasmata et sic abstrahentis intelligibile a sensibili, quia ad omnem cognitionem nostram in praesenti statu unionis connaturaliter requiritur; abstractio autem praecisiva intellectus possibilis (quae priorem praesupponit) ideo requiritur quia natura illa non existeret in intellectu ut cognita, cum intellectus agens non sit facultas cognoscitiva sed praerequisita ad cognitionem quasi illuminans obiectum illudque faciens intelligibile. Unde simplicius ad quaestionem responderi potest: intelligitur de abstractione praecisiva intellectus possibilis, haec enim est per quam cognoscimus naturam aliquam a notis individuantibus

---

[1]) Cf. S. Th. 2a 2ae q. 173 a. 2.

praecisam quam deinde possumus comparare cum singularibus et ad singularia referre.

503. Probatur. — Per illud fit universale materiale per quod primo habetur natura abstracta a notis individuantibus existens in cognitione intellectus; sed per abstractionem praecisivam intellectus possibilis habetur primo ut intellecta natura abstracta a notis individuantibus. Ergo universale materiale fit per abstractionem praecisivam intellectus possibilis.

504. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Universale materiale non potest esse aliquid necessario singulare. Atqui quod est abstractum, semper est necessario singulare: (sicut forma quae non sit in materia est singularis). Ergo universale materiale nequit fieri per abstractionem.

Resp. *D.M.* Universale materiale nequit esse aliquid necessario singulare quantum ad modum essendi extra intellectum *C.M.* quantum ad modum essendi in intellectu *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* Id quod est abstractum, est necessario singulare secundum modum essendi quem habet in intellectu sed non etiam secundum modum essendi extra intellectum. Spectato autem eo quod est abstracte in intellectu per ordinem ad modum essendi extra intellectum, illud neque singulare neque multiplex dici potest, nam ab uno et pluribus omnino praescindit. Porro cum dicitur universale materiale non debere esse aliquid necessario singulare, hoc refertur ad modum essendi extra intellectum.

Ob. 2ª Abstractio supponit in re esse aliqua distincta: atqui saepe saltem non datur in rebus distinctio. Ergo neque abstractio erit possibilis.

Resp. *D.M.* Abstractio supponit in re esse aliqua distincta saltem potentia *C.M.* semper actu *N.M.* — *Cdm.* — *N.C* — " Non oportet secundum diversas rationes vel intentiones logicas, quae consequuntur modum intelligendi, diversitatem in rebus naturalibus accipere: quia ratio unum et idem secundum diversos modos apprehendere potest „. [1])

Ob. 3ª. Probatum est naturam non distingui in individuis

---

[1]) I. p. q. 76 a. 3. ad. 4.

realiter a notis individuantibus. Ergo abstractis notis individuantibus ab individuis, nihil amplius remanet de ipsis.

Resp. *D.A.* Et simul probatum est distingui tamen ratione *C.A.* secus *N.A.* — *D.C.* Si abstractio deberet fieri per separationem physicam et realem *C.c.,* si debet fieri per praecisionem intellectivam *N.c.*

Ob. 4ª Conceptus naturae absolutae idem esset ac conceptus naturae possibilis. Atqui conceptus naturae universalis non est *ut sic* conceptus naturae possibilis. Ergo conceptus naturae universalis non est idem ac conceptus naturae absolutae, quod est dicere quod non habetur per praecisionem ab individuantibus.

Resp. *D.M.* Conceptus naturae absolutae idem est *de materiali* ac conceptus naturae possibilis (hoc ipso quod uterque praescindit ab actuali existentia) *C.M.:* idem est *de formali N.M.* (de formali, enim possibile est quod *non est* et potest esse, [cf. n. 279] *Cdm.* — *N.C.*

THESIS II.ª — Universale formale seu reflexum fit per comparationem simplicem intellectus possibilis.

505. Praenotandum. — Comparatio est quaedam cognitio reflexa qua intellectus refert naturam abstractam ad illa singularia unde praecisa fuit. Haec comparatio est *simplex* si fit per simplicem apprehensionem, quin aliquid affirmetur: si vero intervenit iudicium quo natura componatur cum singularibus, est *composita.*

506. Probatur. — Universale formale fit per hoc quod natura abstracta et denudata a conditionibus individuantibus refertur ad singularia ut natura ipsis communis. Sed relatio rationis importat comparationem. Ergo universale constituitur formaliter in esse universalis per comparationem. Atqui non per comparationem compositam, cum universale incomplexum de quo loquimur non sit iudicium universale sed simplex apprehensio. Ergo per comparationem simplicem.

507. Corollarium. — Sic patet quod ait S. Thomas cum Aristotele (7º *Metaphisicorum* lectione 13ª et alibi passim) " Animal commune vel homo communis (*ut sic* — contra Platonem) non est aliqua substantia in rerum natura; sed *hanc communi-*

tatem habet forma animalis vel hominis (quae profecto realis est) secundum quod est in intellectu, qui unam formam accipit ut multis communem (et sic ut respicientem multa et sic habentem relationem aliquam ad multa) in quantum abstrahit eam ab omnibus individuantibus „.

Per primam ergo intentionem, intellectus in aliquo phantasmate singulari apprehendit abstracte naturam aliquam; haec profecto realis est, quamvis non existat abstracta in re sicuti abstracte cognoscitur ab intellectu; intellectus tamen non est falsus sic abstrahendo nisi attribuat rei ipsi ut datur a parte rei illam abstractionem, iudicando quod abstracte subsistat in rebus talis natura; quod intellectus non facit.

Per secundam autem quamdam intentionem considerans naturam illam sic abstractam per intellectum ab omnibus notis individuantibus eamque cum singularibus comparando, eam accipit ut communem omnibus individuis, et sic eam constituit formaliter universale. Ex quo patet quod universale importat unum aptum inesse pluribus, seu unum existens identice in pluribus, seu unum in multis, ita quod illud unum ad illa multa se habeat ut quid commune identice omnibus et illa omnia *sint* singula illud unum, quod importat ratio universalis in essendo. — Distinctio vero naturae et graduum obiectivorum ab individuis et ad invicem cum totaliter dependeat ab operatione intellectus, non potest esse realis, cum intellectus noster non sit causa rerum naturalium neque eas possit per suam operationem immediate quomodocumque immutare. — Ex his ergo omnibus habetur explicatio ipsius definitionis quae posita est in initio, et intelligitur quid veniat sub his verbis: *Relatio rationis unius ad essendum in pluribus.*

508. **Obiectiones.** — **Ob. 1ª** Si natura existeret realiter separata ab individuis qualem finxit Plato, esset formaliter universalis. Ergo hoc ipso quod per intellectum separatur ab individuis, fit etiam per intellectum universalis.

Resp. — *Transeat Antec.* (Revera tamen illae non universales fuissent ideae universales in essendo: nam, ut dicit S. Thomas op. 55, de facto tales ideae non fuissent in multis, quia fuissent extra singularia, sed solum fuissent universales in cau-

sando et repraesentando, quia plura causarent et repraesentarent) — *N.C.* Nam si natura existeret realiter separata ab individuis, haberet realem respectum quomodocumque ad illa : sed natura ex hoc quod abstrahatur per rationem ab individuis, non habet respectum ad illa, sed potius ab illis recedit.

Ob. 2ª Natura multorum dicit relationem ad multa. Sed natura abstracta est natura multorum. Ergo.

Resp. *D.M.* Si ad illa comparetur *C.M.:* si ab illis abstrahatur *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.*

Ob. 3ª Verba in definitione non dicunt actum sed solam aptitudinem, ut fert axioma. Ergo ut natura sit universalis formalis non exigitur ut sit actu relata, sed solum ut sit referibilis. Ergo natura abstracta etiam non relata ad inferiora est de se universalis formalis.

Resp. *D.A.* Verba in definitione non dicunt actum sed aptitudinem quando actus ipse non sit differentia essentialis rei *C.A.:* quando actus ipse est differentia essentialis rei *N.A.* — *D.C.* Si de ratione universalis formalis esset referibilitas et non actus ipse relationis *C.c.* si est ipse actus relationis *N.c.* — *N. ul. C.*

Ob. 4ª Universale etiam logicum definitur : unum *aptum* esse in multis. Atqui aptitudo non dicit actum : Ergo etiam universale logicum non debet actu respicere multa.

Resp. *D.M.* Et ideo etiam universale logicum non requirit *actu inesse* in multis seu actu tribui multis per iudicium *C.M.:* non requirit *actu habere ordinem ad multa N.M.* — (Non enim potest concipi aptitudo ipsa inesixtendi, sine positivo ordine seu relatione, et quidem *actuali* ad illa multa). *Cdm.* Aptitudo non dicit actum inexistentiae *C.m.:* non dicit actum relationis seu ordinis ad plura *N.m.* — *N.C.*

Ob. 5ª Comparatio naturae abstractae ad inferiora, fieri non potest nisi iam antea cognitum sit per iudicium, illam non repugnare esse in pluribus inferioribus. Ergo falsum est ad universale formale habendum sufficere simplicem comparationem.

Resp. *D.A.:* Et hoc iudicium (quamvis non absolute necessarium) fit ante abstractionem naturae ab inferioribus *C.A.:* et hoc iudicium requiritur post abstractionem, ad efficiendum universale formale *N.A.* — *D.C.* Falsum est quod aliquod iu-

dicium *non possit* convenienter praecedere ipsam efformationem universalis formalis *C.c.* quod aliquod iudicium *requiratur* ad efformationem universalis formalis *N.C.* — Etiam S. Thomas (2m *Post* l. 20) dicit: " per viam inductionis sensus facit universale intus in anima in quantum considerantur omnia singularia „ et consequenter comparantur comparatione composita. Ista comparatio fit ante ipsam abstractionem ut deprehendatur convenientia plurium in uno, et deinde amotis differentiis singulorum, abstrahatur ratio communis. Sed haec comparatio neque requiritur ad universale directum, quia natura potest abstrahi vel ab uno individuo. Sed post abstractionem requiritur alia comparatio per quam natura illa accipiat unitatem et communitatem rationis, quod non fit nisi per simplicem comparationem.

Ob. 6a Comparatio etiam simplex fieri non potest, nisi prius cognoscantur extrema comparationis. Sed si haec cognoscantur, iam habetur universale formale. Ergo hoc non fit nisi per simplicem comparationem.

Resp. *D.M.* Comparatio simplex fieri non potest nisi prius cognoscantur extrema comparationis de materiali et in seipsis *C.M.:* nisi prius cognoscantur cum ordine ad invicem *N.M.* — *Cdm.:* Si extrema cognoscuntur cum ordine ad invicem, iam habetur universale formale *C.m.* (universale enim formale, cum sit ens rationis, tunc primo fit quando cognoscitur): Si cognoscuntur materialiter termini comparationis sine ordine ad invicem *N.m.* — *N.C.* Sicut universaliter ens rationis fit per hoc quod apprehendatur aliquod esse, ubi nullum est, ita relatio quaevis rationis habetur per hoc, quod inter aliqua apprehendatur ordo, qui a parte rei nullus est. Atqui huiusmodi apprehensio consequitur comparationem unius cum alio. Omnis ergo relatio rationis fieri postulat per comparationem intellectus. Ac proinde etiam universale formale dici debet fieri per comparationem. Cum autem comparatio ista sit quaedam relatio rationis, non fit prius quam cognoscatur, sed sequitur conditionem omnis entis rationis, cuius esse est obiici intellectui, seu cognosci. Non ergo est necesse, imo nec est possibile, quod universale iam sit constitutum, antequam ut tale cognoscatur per comparationem intellectus.

QUAESTIO TERTIA.

De proprietatibus Universalium.

509. Introductio. — Praecipuae universalium passiones seu proprietates sunt: 1° *Praedicabilitas* — 2° *Aeternitas* — 3° *Ubiquitas* — 4° *Immutabilitas.* De his ergo nunc nobis est agendum. — Ut autem intelligantur quae de praedicabilitate statuenda sunt, quaedam praenotanda erunt.

510. Praenotanda. — **De Praedicabilitate.** — I. Dicendum est quod illa praedicabilitas, quae est proprietas universalium, est quae dicitur per ordinem ad praedicationem affirmativam, directam. *Affirmativam* quia quod est in pluribus, de ipsis pluribus, in quibus est, affirmari debet, non negari; *directam* quia universale est quasi formale respectu singularis et ratio superior respectu eiusdem (unde praedicatio directa vocatur etiam formalis).

II. Circa naturam nominum concretorum et abstractorum, haec sunt notanda: 1° nomen *abstractum* significat formam ut per se stantem ac liberam a subiecto: *concretum,* ut alicui inhaerentem.

2° *Abstractum* significat aliquid, quod est tale per se ipsum (humanitas); *Concretum* quod est tale per abstractum (homo per humanitatem).

3° *Abstractum* significat formam ut impermixtam aliis formis; *Concretum* sine hac praecisione (humanitas nihil secum compatitur quod non sit ipsa; homo compatitur sapientiam, prudentiam, albedinem etc.; unde non potest dici " humanitas est albedo vel alba „ sed bene dici potest " homo est albus, sapiens... etc. „).

4° *Abstractum* significat ad modum partis formalis: *Concretum* ad modum veluti totius integralis ex subiecto et forma, vel ex supposito et natura.

5° *Concretum substantiale* dicit aliquid quod per se est ens, seu ens unum per se; *Concretum accidentale* dicit aliquid quod est ens unum per accidens, et sic solum secundum quid unum

et totum. Quare ea quae respectu compositi substantialis significantur ut partes, sicut est *abstractum* substantiae, proprie et simpliciter habent rationem partis, et nonnisi secundum quid suscipere possunt rationem totius. Ea vero quae significantur tanquam partes respectu accidentalis compositi, non habent rationem partis nisi *secundum quid,* simpliciter vero sunt tota. Unde in praedicamentis (quae dividunt quod per se est ens), non ponuntur directe substantiae abstracta sed concreta: accidentium vero non concreta sed abstracta.

6° Abstractio a qua dicuntur nomina abstracta non est abstractio universalis, sed quodammodo formalis [cf. n. 96]; quia v. gr. humanitas significatur ad modum formae relate ad hominem, et Petreitas relate ad Petrum. (Quae tamen Petreitas, ut patet, non est universale aliquod).

7° Attamen abstracta de quibus loquimur possunt esse abstracta etiam universali abstractione, quamvis omnino secundum aliam considerationem dicantur nomina abstracta per oppositionem ad concreta, et universalia abstracta per oppositionem ad inferiora. Et hoc in substantiis habetur solum secundum quid et per reductionem ad concreta [1]; in accidentibus e contra simpliciter habetur quod ab albedine v. gr. et nigredine abstrahatur abstractione universali color. Ratio est quia abstracta in substantiis significantur ad modum partis formalis, et universale debet esse quid unum et totum relate ad quodlibet inferius. V. gr. totus homo est substantia.

---

[1]) Patet enim quod *animalitas,* quae est per se abstractum formale *animalis,* potest etiam quodammodo considerari ut abstractum abstractione universali ab *humanitate, equinitate, asinitate,* per similitudinem et per reductionem ad abstractionem qua animal abstrahitur universitaliter ab *homine, equo, asino.* Consideratur nempe abstractum formale *animalitas* ut concomitanter abstractum ab abstractis formalibus *humanitate, equinitate, asinitate,* hoc ipso quod concretum *animal* abstractum est universaliter a concretis inferioribus *homine, equo, asino,* in quibus praedictae formae inveniuntur, et a quibus singulae respective abstractae sunt formaliter. En schema:

Humanitas — *Equinitas* — *Asinitas* = **Animalitas** (A. U. *sec. quid*)
Homo — Equus — Asinus = **Animal** (A. U. *simpl.*)

8º Id quod est abstractum abstractione universali potest considerari respectu inferiorum ut totum, ea confuse importans, et ut pars.

9º Tam abstracta quam concreta nequeunt de aliquo praedicari nisi quatenus respectu eius habent rationem totius, non vero ut sunt eius partes.

10º Nomina accidentium tam abstracta quam concreta semper significant formam ipsam accidentalem et nihil aliud praeter ipsam; sed quamvis significatio abstracti et concreti sit eadem, tamen non est idem *modus significandi,* quia concretum connotat subiectum non autem abstractum. Consequenter concretum potest supponere pro subiecto seu pro supposito non autem abstractum, et sic in subiecto stat pro materiali, in praedicato pro formali et solam formam applicat subiecto. [cf. n. 96].

III. Notandum quod alia sunt nomina quae exhibent universalia directa, materialia, *primae intentionis* ut sunt nomina: homo animal, leo etc. bonus, sapiens, albus etc.; et alia sunt nomina quae exhibent ipsam formalem universalitatem seu ipsam intentionem universalitatis v. gr. Universalitas, genus, species, differentia, proprium, accidens, et dicuntur nomina secundae intentionis, quatenus exhibent ipsam intentionem universalitatis. Tam nomina primae intentionis quam ea quae sunt secundae intentionis possunt esse vel abstracta vel concreta, ut species et specieitas seu ratio speciei etc. homo et humanitas etc.

THESIS I.ª — In nominibus universalibus concretis primae intentionis, accidentalia praedicantur tum de accidentalibus tum de substantialibus, substantialia vero tantum de substantialibus (praedicatione universali).

511. Probatur 1ª pars. — *Accidentalia bene praedicantur de accidentalibus,* e. g. album est dulce. Nam idem subiectum quod connotatur per concretum, potest substare pluribus formis accidentalibus.

Probatur 2ª pars. — *Accidentalia bene praedicantur de substantialibus*, e. g. homo est albus. Nam subiectum idem est quod habet naturam substantialem, qua v. g. est homo, et quod habet etiam varia accidentia, secundum quae bonus, malus, albus vel niger est.

Probatur 3ª pars. — *Substantialia bene praedicantur de substantialibus,* e. g. homo est animal. Nam manifeste quod alicui inest, de eo praedicari potest.

Probatur 4ª pars. — *Substantialia non praedicantur de accidentalibus praedicatione universali,* v. g. album est homo. Nam talis praedicatio est indirecta, quae non pertinet ad proprietatem universalium, ut patet; nam universalis, ut sic, non est subiici sed praedicari.

THESIS II.ª — 1º **Abstracta primae intentionis in universalibus substantiae, possunt praedicari solum de abstractis inferioribus, ad quorum essentiam pertinent in quid;** 2º **Non vero in quale quid;** 3º **Tales vero praedicationes reductive tantum pertinent ad praedicabilia.**

512. Praenota. — I. Pertinet ad essentiam *in quid,* id quod ita pertinet ad essentiam alicuius, quod vere *sit illud,* et neque sit, neque concipiatur ad modum adiacentis, sicut animalitas respectu humanitatis. Pertinet ad essentiam *in quale quid,* id quod ita pertinet ad essentiam alicuius, ut accipiatur ut determinativum ipsius in ipsa ratione sua essentiali, sicut rationalitas respectu humanitatis.

II. Abstracta, quae de aliorum abstractorum essentia non sunt, non possunt de illis praedicari. Etenim si non sunt de ipsorum essentia, non poterunt de illis praedicari nisi tanquam accidentia. Sed accidentia praedicari debent per modum alteri adiacentis et non ad modum per se stantis, seu adiective et non substantive. Quod enim de altero praedicatur substantive, pertinet ad essentiam eius. At quidquid praedicatur abstracte, praedicatur substantive (unde omnes termini abstracti sunt absoluti cf. [n. 53]), non adiective. Ergo abstracta quae de aliorum essentiam non sunt, nequeunt de ipsis praedicari: et ideo non possum dicere: *humanitas est risibilitas, rationalitas est sensibilitas* (non enim abstractum differentiae superioris pertinet ad essentiam huius).

513. Probatur 1ª pars. — *Praedicantur quae pertinent ad essentiam in quid.* — Nam quidquid est de essentia alicuius, bene praedicari potest de eo: et quidquid ad essentiam alterius proprie spectat *in quid,* bene de eo praedicari potest ad modum

per se stantis, adeoque in abstracto : est enim vere id, quod est illud, et non adiacens ipsi. Ergo.

Probatur 2ª pars. — *Non praedicantur quae ad essentiam pertinent in quale quid.* — Quae enim sic spectant essentias aliorum, se habent tanquam illarum determinativa : at quod se habet ut determinativum alterius, sumitur in intellectu quodammodo ut illi adiacens, et non per se stans : quod vero intelligitur ut adiacens, significari postulat adiective, et non substantive. Ergo non possunt praedicari per abstracta : quia haec significant non adiective, sed substantive.

Corollarium. — Ex iis colligitur quod in universalibus substantiae, nequeunt abstracta differentiae, proprii, vel accidentis praedicari de abstracto generis vel speciei, aut vicissim; quia non praedicarentur essentialiter *in quid.* Unde istae praedicationes essent falsae: *humanitas est rationalitas, est risibilitas, est albedo.* Potest vero abstractum generis praedicari de abstracto speciei : ex. gr. *humanitas est animalitas, est corporeitas:* et abstractum superioris generis, potest praedicari de subalternis, e. g. *animalitas est corporeitas,* quia huiusmodi praedicationes sunt essentiales in quid.

Probatur 3ª pars. — *Huiusmodi praedicationes non pertinent ad praedicabilia per se et simpliciter sed solum secundum quid et reductive.* — Nam praedicationes, quae simpliciter et per se pertinent ad praedicabilia, tales esse debent, ut id, quod praedicatur de inferioribus, sit aliquid per se et simpliciter habens rationem *totius.* At vero abstracta substantialia, quemadmodum dictum est, simpliciter habent rationem *partis*, et nonnisi *secundum quid* dici possunt habere rationem totius, quatenus scilicet reducuntur ad sua concreta. Ergo hae praedicationes non pertinent simpliciter ad praedicabilia, sed tantum *secundum quid,* seu reductive ad praedicationes de concretis, quae illis abstractis respondent.

THESIS III.ª — 1º **Abstracta (primae intentionis) accidentium, cum veritate ac proprie praedicantur de abstractis inferioribus, ad quorum essentiam pertinent in quid;** 2º **Non vero si ad eorum essentiam non pertinent; vel** 3º **Pertinent in quale quid.**

514. Probatur 1ª pars. — *Praedicantur de inferioribus, ad quorum essentiam pertinent in quid.* — Nam abstracta accidentium, proprie ac simpliciter rationem possident totius, et non important extrinsecum additamentum (sicuti concreta). Ergo, si ad eorum essentiam pertinent in quid, bene praedicantur. Unde bene dicitur: *philosophia est scientia, est habitus, est qualitas; albedo est color, color est qualitas.*

Probatur 2ª pars. — *Cum veritate ac proprietate.* — Nam abstracta accidentium habent rationem unius per se (dum contra, concreta habent rationem unius per accidens, cum involvant quid extraneum). [1])

Probatur 3ª pars. — *Non vero si non pertinent ad essentiam vel pertinent in quale quid.* — Nam huiusmodi postulant praedicari ut alteri adiacentia, dum e contra abstracta significant ad modum per se stantis et non alteri adiacentis. Unde non possum dicere *albedo est dulcedo; color est superficies.*

Corollarium. — Conveniunt ergo abstracta substantialia et accidentalia in hoc, quod utraque non possunt praedicari de inferioribus, nisi ad eorum *essentiam* pertineant et *in quid:* sed differunt in hoc quod tales praedicationes, in substantialibus, *reductive* tantum pertinent ad praedicabilia, in accidentalibus vero, *proprie ac per se.*

THESIS IV.ª **In universalibus primae intentionis nequeunt abstracta praedicari de concretis nec vicissim.**

515. Probatur. — Nam abstractum respectu concreti significat ad modum partis, pars autem de toto ut sic praedicari non potest: unde tunc solum concretum de abstracto et vicissim praedicari potest, quando concretum *in re* nihil addit supra abstractum, ut *est in divinis et in transcendentibus.* Copula enim *est*,

---

[1]) Unde vide quomodo res opposito modo se habeat ac in nominibus substantialibus. Nam in substantiis, praedicationes essentiales de inferioribus, quae fiunt in concretis, simpliciter spectant ad praedicabilia, quia concretum substantiae est per se unum et totum; quae vero fiunt in abstracto, pertinent tantum secundum quid, et per reductionem ad concreta, quia solum quadantenus habent rationem totius. In accidentibus, propter similem rationem, res contrario modo se habet.

est signum identitatis: si ergo concretum supra abstractum, addit aliquid, vicissim praedicari non possunt. Potest dici *Deus est ipsa Deitas,* et *Divinitas est ipse Deus,* itemque *entitas est ens,* non autem *homo est humanitas, humanitas est homo,* vel *albedo est album,* vel *album est albedo.* Accidentalia enim concreta involvunt subiectum accidentis, et substantialia suppositum quod in omnibus creatis (si formaliter a subsistendo distincte accipitur) addit aliquid supra naturam, h. e. principia individualia, vel saltem esse existentiae: unde non est omnino idem cum natura rei, quam exhibet definitio.

516. Notanda. — I. Licet propter realem omnimodam identitatem abstracta et concreta transcendentalia ad invicem praedicentur, adhuc tamen, propter diversum *modum significandi,* soli abstracto convenit esse rationem, qua concretum est tale. Et sic *entitas* intelligitur ut ratio essendi *ens;* veritas ut ratio essendi *verum; bonitas* ut ratio essendi *bonum:* at ens, verum, bonum non intelliguntur ut rationes essendi ens, verum, bonum. Quod valet etiam respectu divinorum: quamvis enim Deus et Deitas de invicem praedicentur, ex eo quod Deus nihil includat quod non includat Deitas, attamen Deitas adhuc intelligitur ut ratio essendi Dei, non autem e converso.

II. Abstracta transcendentium dicuntur ens, unum, verum, bonum, non aliqua alia entitate, unitate, veritate, bonitate praeter eam, qua sunt entia, una, vera, bona, illa quae per ipsa abstracta sic dicuntur. Abstracta enim trascendentium dicuntur entia, ad modum accidentium et formarum non subsistentium, *non quod ipsa habeant esse, sed quod eis aliquid est.* At eo modo, quo competit alicui *ens,* ita competunt et reliqua transcendentia. Ideo abstracta transcendentium dicenda erunt bona vel vera vel una, non aliqua alia bonitate aut veritate aut unitate, sed quia eis aliquid est bonum, verum, unum. Ac propterea de ipsis abstractis transcendentalibus, licet praedicetur ens, verum, bonum, unum, non est amplius inquirendum *quo* sint ens, unum, verum bonum; sed potius attendendum est quomodo aliquid per ipsa sit ens, unum, verum, bonum.

THESIS V.ª - I. Nomina abstracta universalium secundae intentionis nequeunt praedicari de universalibus primae in-

tentionis; 2° Concreta vero generis et speciei per se et sempliciter praedicantur de concretis substantiae et de abstractis accidentis primae intentionis; 3° De concretis accidentium et abstractis substantiae, tantum reductive; 4° Concreta denique differentiae proprii et accidentis, stricte non praedicantur nisi de concretis tum substantiae tum accidentis.

517. Probatur 1ª pars. — Manifestum est enim quod non potest dici: *animal est genereitas, homo est specieitas,* h. e. homo est ipsa ratio speciei, animal est ipsa ratio generis, sicut dici non potest: *homo est albedo.* Secundae enim intentiones sunt quaedam accidentia ficta a ratione: accidentia autem abstracta nunquam praedicantur de subiecto, neque in concreto (quia sunt tantum eius pars formalis) neque in abstracto (quia sic neque pars sunt sed prorsus aliquid disparatum). Unde pariter dici nequit — *animalitas est genereitas.*

Probatur 2ª pars. — Ea dici debent suscipere per se et simpliciter intentiones generis et speciei, quae praedicantur de inferioribus *essentialiter in quid.* Atqui huiusmodi sunt solum concreta substantiae et abstracta accidentium: quia solum ista sunt ens *per se unum* (non concreta accidentium) *et totum* (non vero abstracta substantiae). Ergo. Hinc dici nequit: *homo est species, albedo est species, animal est genus, coloratum est genus.*

Probatur 3ª pars. — Quia abstracta substantiae possunt considerari ad modum *totius,* et concreta accidentium per modum entium per se, quatenus nempe illa reducuntur ad sua concreta, ista vero ad sua abstracta. Et ideo ope huius reductionis dici nonnunquam potuit: *animalitas est genus, humanitas est species, ac coloratum est genus, album est species.*

Probatur 4ª pars. — Quia differentia, proprium et accidens praedicantur *in quale quid* et non *in quid.* At quidquid de aliquo praedicatur *in quale* (sive essentialiter, sive accidentaliter), oportet ut sit adiectivum, et non substantivum. Adiectivum autem semper est concretum. Ergo. Hinc dici non debet proprie loquendo: *rationalitas est differentia, risibilitas est proprium, albedo est accidens: sed rationale est differentia* etc. (cf. S. Thomam, *De Ente et Essentia* cap. 4° et 7°). Abstracta vero, potius quam differentia,

proprium vel accidens, dici debent eorum *principia* formalia. Sicut bene ait S. Th. ex Avicenna (op. cit. c. 4º.) quod " rationalitas non est differentia, sed differentiae principium „.

THESIS VI.ª — **Quod attinet praedicationem inter universalia secundae intentionis; 1º Quae de alterius essentia sunt, recte de hac praedicantur tam in concreto quam in abstracto; 2º Nullo modo praedicantur quae inter se pugnant; 3º Non pugnantium invicem, vera est praedicatio in concreto, falsa in abstracto; 4º Concretum secundae intentionis praedicatur de abstracto, at non e converso.**

518. Probatur 1ª pars. — Sicut dicitur *albedo est color,* et *album est coloratum,* ita pariter *genereitas est universalitas,* et *genus est universale,* quia intentiones secundae, utpote accidentia rationis, fiunt et praedicantur in similitudinem accidentium realium, quae bene praedicantur ad invicem in concreto (Th. Iª Iº), et in abstracto quando unum est de essentia alterius (Th. IIIª.).

Probatur 2ª pars. — Quia involvit contradictionem in terminis, nam esset simul et non esset. Unde eo modo, quo in accidentibus realibus non possum dicere: *albedo est nigredo,* neque *album est nigrum,* eodem modo non possum dicere: *genereitas est differentieitas,* neque *genus est differentia.*

Probatur 3ª pars. — Quia intentiones non pugnantes inveniri possunt in uno eodemque subiecto. Unde sicut dici potest: *album est dulce,* ita *genus est species subalterna.* Non autem in abstracto, nam licet non pugnantes, exhibent tamen rationes disparatas: unde sicut non dicitur *albedo est dulcedo,* ita neque dicitur *genereitas est specieitas subalterna.* Licet enim possint simul esse in eodem subiecto, tamen in abstracto non connotant subiectum et exhibent formas in se absolute.

Probatur 4ª pars. — Sicut universalia concreta secundae intentionis praedicantur de abstractis accidentium primae intentionis, ut cum dicitur *albedo est species,* ita hoc fieri potest de abstractis accidentium secundae intentionis, cuiusmodi sunt universalia secundo-intentionalia: nam secundae intentiones in quantum aliis secundis intentionibus substant, respectu ipsarum non differunt ab intentionibus primis. Unde bene potest dici *universalitas est genus:* nam revera quinque habentur species univer-

salitatis, et *genereitas est species,* quia revera est unum ex inferioribus universalitatis. [1])

THESIS VII.ª — **Caeterae universalium proprietates sunt 1º aeternitas; 2º ubiquitas; 3º immutabilitas.**

519. Probatur 1ª pars. — Ex eo, quod natura universalis est abstracta a singularibus, sequitur eam abstrahere etiam ab existentia, quam habet in ipsis singularibus: abstrahens autem ab ea, abstrahit quoque ab eorum duratione, et ideo universalibus materialibus *aeternitas attribuitur negativa,* quae consistit in praescindendo a quacumque differentia temporis, imo a quacumque durationis mensura.

Probatur 2ª pars. — Quia esse hic vel ibi, non competit naturae nisi ratione huius vel illius individui, natura praescindens et abstracta ab individuis neque hic neque ibi esse dicenda est, et sic dicitur esse ubique *negative,* seu praescindere a loco.

Probatur 3ª pars. — Quia omnis mutabilitas singularium est, natura a singularibus abstracta, a mutabilitate etiam abstracta dici debet, et ideo universale materiale immutabile dici debet.

520. Scholion 1º — Ex his quae dicta sunt patet quomodo nos, quin admittamus ideas Platonicas, obtinemus id, quod Plato volebat de obiectis scientiarum, quae non aliud sunt quam ipsae naturae rerum per intellectum a singularibus abstractae. Erunt ergo scientiae de necessariis, de immutabilibus, de aeternis, et tamen de realibus; et erunt de universalibus, nec tamen sequetur, quod sint de quibusdam existentibus praeter et extra ipsa singularia. Attingit enim intellectus universalia in singularibus per sensus exhibita: tota enim cognitio nostra ex sensibus et intellectu ita integratur, ut cognitio intellectiva, quae est universalium, continuetur sensitivae, quae est singularium, atque ita continuetur, ut intellectus de necessitate in praesenti statu ipsum universale speculetur in phantasmate singulari, ipsum singulare indirecte attingens; h. e. non *ut quod* attingit,

---

[1]) Pro tota hac quaestione de praedicabilitate universalium, omnino videnda sunt quae habet S. Thomas *De Ente et Essentia* c. III.

sed *ut in quo* attingit universale, seu ut in quo et de quo intelligit, quidquid intelligit. Quod magis patebit ex quaestione de Veritate.

II.m Inaniter autem Scotus rerum essentiis (quia aliquo modo dicuntur aeternae, ut declaratum est) attribuit aliquod esse positivum licet diminutum, quod consistat in hoc ipso quod est " *esse cognitum a Deo* „. Non solum enim per se manifestum est, quod universalia non sunt aeterna secundum esse existentiae, cum non existant nisi in singularibus, quae non sunt ab aeterno ; sed consequenter neque secundum esse essentiae possunt dici aeterna positive ullo modo, sed unice negative, ut dictum est supra, scil. solum in quantum abstrahunt ab omni mensura durationis (sicut Novissima et huiusmodi dicuntur veritates aeternae, et cum dico : *virtus est laudabilis, peccatum est fugiendum,* non assero hoc pro aliquo determinato tempore, sed abstrahendo ab omni temporis determinatione). — Si universalia haberent quomodocumque aliquod esse positivum ab aeterno, vel illud esset a Deo productum, vel non. Sed nihil potest esse, quod sit aliud a Deo et in se positive habens esse, quod non sit productum a Deo : pariter nihil est, quod ab aeterno *necessario* extra se producatur a Deo. Ergo nullo modo admitti potest, quod universalia ab aeterno habeant aliquod esse *positivum,* quantumcumque dicatur mere *essentiae* et *diminutum.* — Verum unice est dicere quod naturae universales abstrahant ab omni tempore et sic dicuntur aeternae negative ; sicut etiam propositiones universales necessariae dicuntur *aeternae veritatis,* circa quas scientiae versantur ; ad hoc enim satis est quod termini ipsi illarum enunciationum sint obiecta realia *possibilia,* quorum unum in suo conceptu aliud includat. Ab aeterno Petrus fuit possibilis, et ita ut de necessitate in se includeret rationem substantiae, viventis etc., sicut eas includit dum in seipso subsistit.

III.m Illud, ratione cuius aliquid competit alteri, habetur ut prius illo : et illud, quod aliquid habet ratione alterius, habetur ut illo posterius. Porro ratione universalium intelliguntur competere singularibus essentia ac proprietates : sicut *Socrates* est animal rationale ac risibile, quia homo est talis. Ratione vero singularium intelliguntur competere universalibus existentia et

accidentia communia: sicut *homo* est existens et doctus, quia Socrates existit et est doctus. Ergo universalia sunt priora singularibus *quantum ad essentiam ac proprietates;* posteriora vero *quantum ad existentiam et communia accidentia.*

Item singularia sunt *priora* universalibus, quia si considerantur universalia simul cum intentione universalitatis, praesupponunt res a quibus abstrahantur et ad quae referantur. Si vero considerantur ipsae naturae, secundum viam generationis universaliora *sunt priora:* prius enim generatur animal quam homo. Secundum ordinem vero perfectionis et intentionis naturae, magis commune est posterius et minus commune prius, quia " actus simpliciter est prior secundum naturam quam potentia. Naturae enim intentio non sistit in generatione animalis, sed intendit generare hominem „. (Cf. S. Th. I. 85 a. 3. ad 1).

IV.m Universalia sicut non habent esse, nisi ratione individuorum, ita nonnisi ratione ipsorum dici possunt generari et corrumpi. Et ideo *per se* dicuntur ingenerabilia et incorruptibilia, quamvis *per accidens* generentur et corrumpantur ad generationem et corruptionem individuorum [1]). Et item: " Non dicitur universale incorruptibile quasi habeat aliquam formam incorruptionis, sed quia non conveniunt ei secundum se dispositiones materiales, quae sunt causae corruptionis in individuis: unde universale in rebus existens simpliciter dicitur corrumpi in hoc et in illo „. (S. Th. loc. cit. ad 15m.; et in 1. Post. anal. lect. 16a).

V.m Denique, cum abstractio a materia sit ratio constitutiva rerum in ordine intelligibilium (sicut immaterialitas alicuius rei est ratio cur haec sit cognoscitiva), et universalia abstrahantur a materia, patet quod sunt intelligibilia [2]). At de his opportunius alibi.

---

[1]) Cf. S. Th. *De Verit.* q. I.a a. 5. ad 14m.

[2]) Cf. S. Th. I. p. q. 14. a. 1.; C. G. l. I. c. 44.

QUAESTIO QUARTA

De Praedicabilibus in particulari.

THESIS I.ª — 1° **Praedicabilia sunt quinque,** *genus, species, differentia, proprium et accidens.* **Haec divisio est;** 2° **per modum generis in species;** 3° **univoca, si sola ratio universalitatis attenditur;** 4° **analoga, si subiectum cui accidit universalitas spectatur;** 5° **infima.**

521. Probatur 1ª pars. — Universale formale tot species sub se continere debet, quot sunt subiecta adaequata inter se distincta, quibus potest accidere, hoc est quot sunt universalia materialia inter se distincta in ratione subiecti universalitatis. Atqui haec sunt tantum quinque. Ergo.

Declaratur Maior. — Universale formale, ut dictum est, est quoddam accidens rationis, accidentia autem omnia sive realia sive rationis, sumunt specificationem a proprio adaequato subiecto. Ab eo enim sumunt specificationem, quod respectu eorum est differentia; atqui differentia in eorum propria definitione desumitur ex proprio subiecto. Ergo etiam a proprio adaequato subiecto sumunt specificationem. Quod autem a subiecto sumant differentiam patet ex modo definitionis illorum, quae in abstracto exhibetur, sic enim habent accidentia quod sint quid unum per se, et sic ponuntur in praedicamento; definitur enim simitas curvitas *nasi.* Ergo universale formale tot species sub se continere debet quot sunt universalia materialia inter se distincta in ratione subiecti universalitatis.

Probatur Minor. — Illud unum, quod inest, pluribus, potest inesse, *ut quid essentiale,* vel ut quid accidentale. Si ut quid essentiale vel ut quid *determinabile,* et habetur *genus;* vel non ut *determinabile:* si non ut determinabile, aut inest ut *determinans,* et habetur *differentia;* aut ut *determinatum,* et habetur *species.* Si autem unum illud invenitur in pluribus ut quid accidentale, vel est in illis ut necessario consequens essentiam, et est accidens *proprium,* quod vocatur simpliciter proprium; vel ut non necessario consequens essentiam, et est accidens commune, quod simpliciter dicitur *accidens.* Et in his divisionibus non datur me-

dium. Ergo universale adaequate dividitur in haec quinque. Atqui praedicabilitas est proprietas universalium, et tot sunt praedicabilia quot universalia. Ergo sicut quinque sunt universalia, ita quinque sunt praedicabilia, quae enumerantur in thesi.

Nota 1. Haec diversitas in universalibus materialibus non attenditur, ut patet, secundum varietatem essentiarum, puta *hominis, albedinis* etc., sed ex diversa ratione essendi in pluribus naturae unius.

2. Haec adaequata universalitatis subiecta sunt inter se distincta *formaliter* in ipsa ratione subiecti. Nam natura in primo casu invenitur in pluribus ut potentia seu materia ; in secundo ut actus seu forma ; in tertio ut totum compositum ex materia et forma ; in quarto ut quid connexum cum essentia : quae omnes non sunt una et eadem ratio essendi in pluribus, sed sunt singulae rationes a caeteris distinctae, ut patet.

3. Iterum patet quod divisio ista respicit universale formale.

Probatur 2ª pars. — Ratio generis est quaedam species universalitatis, item ratio speciei etc. Ergo universale se habet ad illa quinque ut genus ad species sub ipso contentas.

Probatur 3ª pars. — Univoca est divisio, quia de omnibus his valet eadem definitio ; sicut enim ratio generis est relatio rationis unius ad existendum in pluribus, ita eodem modo ratio speciei etc. Ergo de omnibus his universale praedicatur univoce.

Probatur 4ª pars. — Nam genus, species et differentia dicunt materialiter entitatem aliquam in pluribus existentem tanquam aliquid essentiale : proprium vero et accidens dicunt entitatem in pluribus existentem tanquam aliquid accidentale. Atqui entitas essentialis et entitas accidentalis entis eiusdem non dicuntur univoce : diversae namque rationis oportet ut sit id, quod pertinet ad essentiam, ac illud, quod essentiae iam constitutae accedit. Ergo quinque praedicabilia materialiter considerata nequeunt dici univoca.

Probatur 5ª pars. — Etenim quinque universalia distinguuntur specie secundum diversum modum essendi unius in pluribus. At singuli isti modi, qui competunt singulis universalibus, ulterius dividi non possunt. Nam esse unum in multis ut quid determinabile, vel ut quid determinans, vel ut quid de-

terminatum, vel ut quid necessario manans ab essentia, vel ut quid non necessario ab essentia fluens, non admittunt quo intrinsece specificentur. Ergo genus, differentia, species, proprium et accidens haberi debent tanquam species infimae universalis.

522. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Omnia praedicamenta sunt universalia. Atqui praedicamenta sunt decem. Ergo universalia non sunt solum quinque.

Resp. *D.M.* Omnia praedicamenta sunt universalia, idest sunt decem coordinationes eorum, quae participant rationem universalitatis, nempe generis, speciei, differentiae (si agitur de praedicamento *logico*), vel sunt decem rationes diversae, quae induere possunt rationem generis supremi (si agitur de praedicamento *metaphysico*) *C.M.:* sunt decem rationes diversae *essendi unius in pluribus N.M. — C.m. — D.C.* Subiecta materialia universalitatis sunt plus quam quinque *C.c.;* subiecta distincta in ipsa ratione subiecti *N.c.*

Ob. 2ª. Quotuplex est unum ex oppositis, totuplex est aliud. Sed singulare et universale sunt opposita; singularia vero sunt infinita. Ergo infinita esse debent universalia.

Resp. *D.M.* In oppositis formaliter consideratis *C.M.;* in oppositis materialiter consideratis *N.M. — C. 1ᵐ p. m. — D. 2ᵐ p. m.* Singularia materialiter considerata *C.m.;* formaliter *N.m. — N.C.*

In oppositis formaliter consideratis oportet, ut quotuplex est unum totuplex sit aliud; nam unum oppositum non est sine alio: et sic ex. gr. si habentur *pater, dominus, magister,* qui tres sunt habentes respectu alterius oppositionem relationis, oportet ut tres quoque dentur, ad quos dicatur relatio, scil. *filius, servus, discipulus.* At non est necesse, ut in oppositis materialiter consideratis totuplex sit unum, quotuplex est aliud; sicut ex. gr. non est necesse, ut tot sint patres, quot filii; sequeretur enim nullum patrem habere posse duos filios. Et similiter licet universale et singulare formaliter opponantur, non est necesse ut tot suscipiant rationem universalitatis, quot suscipiunt rationem singularitatis.

Ob. 3ª. Existentia est una in pluribus et tamen nullum est ex praedicabilibus assignatis. Ergo praedicabilia sunt plura quam quinque.

Resp. *D.A.* Existentia est una in pluribus, nempe est ultima cuiuscumque naturae actualitas et terminatio *C.A.:* est una natura in pluribus *N.A.* — *N.C.* — Existentia non est aliqua natura una, quae sit in pluribus et proinde suscipere possit respectum ad inferiora, sed est actus quidam, qui respicit naturam seu essentiam, cuius est terminatio, ad modum partis. At omne universale oportet ut sit totum et non pars. Ideo existentia ut universale haberi nequit.

Ob. 4ª. Individuum vagum est unum quod praedicatur de pluribus, et tamen non est inter universalia assignata. Ergo ut prius.

Resp. *D.A.* Individuum vagum est unum quod praedicatur de pluribus secundum quod importat naturam communem, quae iam est species aut genus *C.A.*; secundum quod addit determinatum modum essendi *N.A.* — *N.C* — Sicut ait S. Th. 1ª p. q. 30. a. 4., " individuum vagum, ut *aliquis homo,* significat naturam communem cum determinato modo existendi, qui competit singularibus, ut scilicet sit per se subsistens distinctum ab aliis. „ Porro natura communis, quae importatur per individuum vagum, iam est sub intentione speciei aut generis: modus autem subsistendi, qui convenit singularibus, non est natura una, sed actus naturae, seu terminatio eius, quae, ut praecedenter dictum est de existentia, non est universale. Ergo.

Ob. 5ª. *Definitio* continet in se sola *genus et differentiam.* Ergo haec duo universalia reducuntur ad unum.

Resp. *D.A.* Et tamen non est proprie universale, cum sit terminus complexus, et si esset, teneret locum speciei, in quantum dicit naturam perfectam seu determinatam *C. A.,* secus *N.A.*

Ob. 6ª. *Accidens* habet sua inferiora, de quibus praedicatur tanquam genus vel species. Ergo non est universale distinctum a genere vel specie.

Resp. *D.A.* Accidens praedicamentale *C.A.;* accidens praedicabile *N.A.* — *D. eodem modo C.A.* — Accidens praedicamentale in quantum habet ordinem ad sua inferiora, de quorum essentia est, ponitur sub genere vel sub specie. At accidens praedicabile distinguitur a genere et a specie secundum quod

dicit naturam, quae ita est in pluribus, ut ab eis possit abesse salva essentia.

Ob. 7ª. Ens est analogum ad substantiam et accidens. Sed ex praedicabilibus, tria respiciunt substantiam, duo vero accidentia. Ergo non sunt univoca, sed analoga.

Resp. *C.M.* — *D.m.* Et haec consideratio praedicabilium (quamvis non sit omnino recta) respicit ipsa *materialiter C.m.*: *formaliter, N.m* — *D.C. eod. mod.* — Notandum est in primis quod non semper tria priora praedicabilia respiciunt substantiam: nam genera, species et differentiae accidentium non sunt substantiae. Sed etiam quando tria priora respiciunt substantiam, non sunt analoga in ipsa ratione formali universalis, sed secundum entitatem tantum materialiter importatam, ut dictum est.

Ob. 8ª. Universale praedicatur de omnibus praedicamentis. Sed nullum esse potest supra praedicamenta, quod sit proprie genus. Ergo universale non est genus.

Resp. *D.M.* Universale praedicatur de omnibus praedicamentis tanquam accidens quoddam rationis, quod eodem prorsus modo ipsis tribuitur ab intellectu *C.M.* : tanquam ratio quaedam essentialis univoce communis *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.*

THESIS II.ª — 1º **Genus in abstracto bene definitur** — *universalitas naturae determinabilis;* 2º **in concreto vero** — *unum determinabile aptum inesse pluribus;* 3º **bene quoque definitur a Porphyrio** — *quod de pluribus specie differentibus in eo quod quid praedicatur.*

523. Praenotanda. — Dupliciter definiri possunt accidentia scil. in abstracto et in concreto. Semper autem necesse est subiectum poni in definitione ipsorum : nam quidditas accidentium est dependens a subiecto, quod est substantia.

Quando definiuntur in abstracto (quo modo simpliciter definitionem habent, ut entia per se et non per accidens licet cum essentiali dependentia a subiecto), substantia ponitur loco differentiae, et in obliquo. *Loco differentiae,* quia accidens in abstracto importat habitudinem ad subiectum, quae incipit ab accidente et terminatur ad subiectum : albedo enim est, qua aliquid est album. *In obliquo,* ut appareat substantiam non ipsam esse differentiam, sed id per ordinem ad quod genus accidentis

sumit differentiam, et quod accidenti respondet tanquam propria potentia ad suum actum. Gradus autem superior abstractus ipsius accidentis ponitur loco generis in recto. — Quando definiuntur in concreto (quo modo definitio exhibet definitum ad modum entis per accidens, et ideo dicitur definitio *per reductionem* ad eam, quae est in abstracto, sicut etiam concretum accidentale non dicitur genus aut species nisi reductive ad suum abstractum), substantia ponitur concrete et in recto loco generis, quia accidens in concreto importat habitudinem, quae incipit a subiecto et terminatur ad accidens : dicitur enim album, quod habet albedinem. Gradus superior autem accidentis ponitur loco differentiae ad modum adiectivi.

524. Probatur 1ª pars. — *Genus bene definitur in abstracto : universalitas naturae determinabilis.* Accidens in abstracto bene definitur per hoc, quod ponitur loco generis gradus superior accidentis, et loco differentiae proprium accidentis subiectum. Atqui gradus superior generis seu genus generis est universalitas, proprium autem subiectum, natura determinabilis. Ergo genus bene definitur — *Universalitas naturae determinabilis* — seu — *aptitudo unius naturae determinabilis ad existendum in pluribus.*

Probatur 2ª pars. — *Genus bene definitur concrete " unum determinabile aptum inesse pluribus „.*

Definitio accidentium in concreto bene datur per subiectum in recto positum loco generis, et per gradum superiorem loco differentiae. — Atqui subiectum genereitatis est natura una determinabilis, gradus autem superior generis est universalitas seu aptitudo ad essendum in pluribus. Ergo etc.

Probatur 3ª pars. — *Genus bene etiam definitur a Porphyrio " quod de pluribus specie differentibus in eo quod quid praedicatur „.*

Praenotandum. — Hic genus definitur formaliter ut *praedicabile,* seu praedicabilitas illa definitur quae competit generi ; vel si genus ipsum ut universale definitur, tunc haec non est definitio essentialis, sed descriptiva propria.

Probatur. — Nam per hanc bene exhibetur quomodo genus distinguatur a reliquis praedicabilibus, et quid cum eis habeat commune, quod est munus definitionis. — Commune habet, quod praedicatur de pluribus. Proprium, quod de specie differentibus

in eo quod quid praedicatur : scilicet non *in quale,* ut proprium et accidens ; neque *in quale quid,* (idest adiective), ut differentia ; et non *de solo numero* differentibus, ut species.

525. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Definitio debet esse convertibilis cum definito. Atqui definitio Porphyrii " *quod de pluribus specie differentibus in eo quod quid praedicatur* „ applicatur quoque rationi entis. Ergo non est bona.

Resp. *CM.* — *Dm.* Si per illud quod ponitur *quod,* non importaretur natura *una et tota* simpliciter atque *incomplexa,* cuiusmodi debet esse quidquid induit rationem universalitatis *Cm.* si id importatur *Nm.* — *N.C.*

Ob. 2ª. *In eo quod quid* praedicari debet quidquid pertinet ad quidditatem eorum, de quibus praedicatur. Atqui etiam differentia pertinet ad quidditatem eorum, de quibus praedicatur. Ergo talis definitio non est propria generis.

Resp. *D.M.* In *quod quid* praedicatur quod pertinet ad quidditatem rei et a nobis concipitur ut eidem intrinseca, nempe ut id quod res ipsa est *CM. ;* etiam id, quod quamvis pertineat ad quidditatem rei, tamen a nobis concipitur ut rei ipsi *adiacens NM.* — *Cdm.* — *N.C.*

Sciendum igitur est quod res a nobis significantur secundum quod esse intelliguntur, scilicet prouti sunt in intellectu. Porro ea, quae in aliqua re a nobis concipiuntur, aut intelliguntur ut *eidem intrinseca,* seu ut id, quod est ipsa res ; aut intelliguntur ut *rei adiacentia,* seu ut ea quibus res determinatur. Prima accipiuntur pro ipsa rei quidditate, unde de illa dicuntur in eo *quod quid.* Alia vero accipiuntur pro qualitatibus rei ; formas siquidem omnes, quibus determinari aliquam rem intelligimus, generatim nomine *qualitatis* designamus : et ideo talia de re dicimus non *in quid,* sed *in quale.* Ea, quae a nobis intelliguntur ut id quod est res, sunt genera et species : et ideo haec de re significantur in eo *quod quid.* Differentia vero, proprium et accidens intelliguntur tamquam rei adiacentia et ipsius determinativa : unde illa de re dicimus *in quale.* Sed in his quaedam diversitas invenitur. Nam proprium et accidens non solum intelliguntur ad modum adiacentis alteri, sed etiam sunt, sicuti ab intellectu accipiuntur, realiter alteri advenientia, et ab eo

distincta secundum ipsam rem. At differentia intelligitur quidem ut alteri adiacens, sed in re non est aliquid realiter distinctum ab eo, cui accidere concipitur. Hinc est quod differentia, qua ratione pertinet ad rei quidditatem, non potest dici de ea *in quale* simpliciter; qua vero concipitur a nobis ut adiacens rei et ipsius determinativa, non potest significari simpliciter *in quid.* Unde remanet quod medio modo significari debeat, nimirum neque in quid simpliciter, neque simpliciter in quale, sed in *quale quid.* Significatur autem hoc modo quatenus *significatio* nominis denotat quandam rationem quae ad rei essentiam pertinet, sicut *rationale* dicit notam, quae est constitutiva intrinsece essentiae hominis: *modus autem significandi* adhibetur ille, qui proprius est nominum concretorum, seu quatenus differentia exprimitur nomine concreto, sicut *rationale* dicit quandam rationem applicatam subiecto, ut ipsum determinantem. Patet itaque differentiam non praedicari in eo *quod quid,* sicuti genus.

Ob. 3ª. Genus, sicut species, est substantia secunda. Sed substantiae secundae, ut ait Aristoteles, significant *quale quid,* non vero *hoc aliquid* (sicut faciunt substantiae primae). Ergo in data definitione genus non bene dicitur praedicari in eo *quod quid.*

Resp. *C.M.* — *D.m.* In quantum qualitas dicitur generatim de quacumque forma, quae praedicatur *C.m.;* in oppositione ad praedicationem *in quod quid N.m.* — *N.C.*

Dicendum est ergo quod Aristoteles dixit substantias secundas significare *quale quid,* et primas *hoc aliquid,* hoc sensu, quod illae natae sunt praedicari de istis, et ideo habent rationem formae respectu primarum, quae sunt individua. Hae vero primae substantiae rationem subiecti habent respectu secundarum. Quidquid autem intelligitur aliquo modo ut *forma* alterius, dicitur generali significatione *qualitas.* Et hoc modo substantiae secundae dicuntur significare *quale.* Quia vero pertinent ad essentiam individuorum, dicuntur significare *quale quid,* non autem *quale accidentale* (cf. S. Th. 7 *Metaph.* lect. 13ª.)

THESIS III.ª — 1º **Genus praedicatur de inferioribus ut est totum aliquod, non vero ut est pars;** 2º **neque formaliter ut metaphysica pars.**

526. Probatur 1ª pars. — Nulla pars praedicatur de toto,

ut patet inducendo. — Ergo genus non praedicatur de inferioribus ut est pars. Atqui de his praedicatur. Ergo ut est totum. — Est autem *totum respectu cuiuslibet inferioris,* quatenus *indeterminate* importat id ipsum quod species; species enim sunt inferiora generis [1]).

Probatur 2ª pars. — Genus neque praedicatur de inferioribus *formaliter* prouti est pars metaphysica: quamvis enim genus etiam ut pars metaphysica dicat totam essentiam rei definitae, non tamen importat ipsam essentiam formaliter ut totum metaphysicum integratum ex partibus metaphysicis, hoc ipso quod significatur ut pars metaphysica et non ut totum. Ergo genus non praedicatur de singulis inferioribus *formaliter ut pars metaphysica* nempe secundum quod simul cum differentia constituit unumquodque ipsorum in ratione totius integralis metaphysici.

527. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Totum importat collectionem partium. Atqui partium collectio nequit de una parte praedicari. Ergo genus ut totum nequit de inferiori praedicari.

Resp. — *D. M.*: Totum collectivum *C. M.;* Totum universale *N. M.* — *C. m.* — *D. C.* Si esset ad modum totius collectivi *C. C.;* ad modum totius universalis *N. C.* — Etenim non debemus hic considerare genus, v. g. — *animal,* — ad modum *totius cuiusdam collectivi,* ac si diceremus: animal est pars maxime nobilis huius sensibilis universi, vel aliquid tale; ut cum dicitur quod aquae diluvii submerserunt totum genus humanum; non enim sic se habet universale, in quantum est *universale,* ad inferiora singula, in quibus *singulis totum inest,* sed *indeterminate importat totum quod in inferiori quolibet est;* et sic Titius totus est substantia, et totus substantia corporea, et totus homo, et totus Titius; et sic substantia comparatur ad Titium ut totum et non ut pars.

---

[1]) Cfr. S. Th. *De Ente et Essentia* c. III. " Quidquid est in specie est etiam in genere, licet non determinatum. Si enim animal non esset *totum quod est homo* (vide ergo quo sensu sumat genus *ut totum* S. Thomas quando dicit quod praedicatur ut totum), non praedicaretur de eo, cum nulla pars integralis praedicetur de suo toto „.

Ob. 2ª. Totum universale, ad hoc ut possit praedicari de omnibus suis inferioribus, oportet ut contineat omnia sua inferiora. Atqui universale quod continet omnia sua inferiora, dicitur totum potentiale. Ergo totum *potentiale* est illud quod potest praedicari de suis inferioribus. — Ergo genus ut totum potentiale praedicatur de speciebus.

Resp. *D. M.:* Totum universale, ad hoc etc., oportet ut contineat omnia sua inferiora hoc sensu, ut, dum fit praedicatio, oportet ut importet id omne quod refert inferius de quo hic et nunc fit praedicatio, *C. M.;* Totum universale, ad hoc etc., oportet ut contineat omnia sua inferiora hoc sensu, quod sit quoddam totum superius, sub quo contineantur variae species, v. g. *homo, leo, equus* etc., ut partes in quas dividitur, *N. M.* — *Ctd. m.* — *N. C.* [1]).

Nam cum v. g. praedicatur animal de homine, non praedicatur ut totum potentialiter continens etiam noctuas (dico *potentialiter,* h. e. virtute et potestate continens); et non praedicatur in tota sua universalitate secundum quam omnia continet inferiora. Non enim est verum dicere quod homo est *omne* animal, sed quod est *aliquod* animal, cum animal habeat in omni

---

[1]) Confusio oritur solum ex eo quod adhibeatur nomen *totius potentialis* et etiam *virtualis* aut *potestativi* (quae nomina iam suum determinatum significatum habent) ad designandum illud, quod solum continet *in potentia.* Sic materia prima *continet in potentia* omnes formas corporeas; non tamen recte vocares nomine *totius potentialis* etc. — Unde multo accuratius loquitur S. Th. 1. p. q. 85. a. 3. c.: " Sic autem potest cognosci tam totum universale, *in quo partes continentur in potentia,* quam etiam etc. „ — h. e. tamquam in indeterminato et potentiali, quod non est continere tanquam in *toto* potentiali *potestate et virtute.* Et ibid. ad 2m.: " Universale magis commune comparatur ad minus commune ut totum et ut pars: ut totum quidem secundum quod in magis universali non solum *continetur in potentia* (non ut in toto potentiali, saltem ut loquimur communiter) minus universale, sed etiam alia, ut *sub* (non proprie *in*) animali non solum homo, sed etiam equus: ut pars autem secundum quod *minus commune* continet in sui ratione non solum magis commune, sed etiam alia: ut homo non solum animal, sed etiam rationale. Sic igitur animal, consideratum in se, prius est in nostra cognitione quam homo; sed homo est prius in nostra cognitione, quam quod animal sit pars rationis eius „.

propositione, in qua praedicatur de suis inferioribus, suppositionem particularem. Ergo praedicatur ut totum in quantum, *relate ad illud inferius, est totum quod ipsum:* et revera totus homo est animal, est substantia. — Certe potest considerari genus, v. g. *animal,* ut quoddam totum superius, sub quo continentur variae species (homo, equus, leo, etc.) ut partes in quas dividitur; sed haec est alia consideratio ab ea qua consideratur ut *totum relate ad hoc inferius,* v. g. *ad hunc canem.*

Ob. 3ª. In hac propositione: " *homo est animal rationale* „ — *animal rationale* — est unum praedicatum et non duplex. Atqui praedicatum unum non duplicatur (per divisionem) pro duabus distinctis enunciationibus, sine falsitate. Ergo — *animal* separatum a *τό* — *rationale* — non potest praedicari dicendo: *homo est animal.*

Resp. *D.M.:* — *Animal rationale* — est unum praedicatum et non duplex, quatenus ratio animalis et ratio rationalis simul sumptae, in propositione " *homo est animal rationale* „ suscipiunt unam formam praedicati, *C.M.;* — *Animal rationale* — est unum praedicatum et non duplex, hoc sensu, quod non possit separatim *animal* et *rationale* praedicari distinctis enunciationibus de eodem subiecto, *N.M.* -- *Cdt. m.:* Praedicatum unum non duplicatur (per divisionem) pro duabus distinctis enunciationibus, sine *falsitate,* si constat partibus physicis, integralibus saltem in ratione significandi, *C.m.;* si constat partibus metaphysicis, quarum unaquaeque separatim sumpta importat illud idem totum, quod important partes simul sumptae, *N. m.* — *D.C,:* Si *animal* importaret partem integralem physicam, *C.C.;* si metaphysicam *sbd:* non praedicatur formaliter ut pars metaphysica *C.C.* secundum quod dicit totum *N.C.* — Et explico: cum enim dico: — *homo est animal* — vel — *homo est animal rationale* — videtur *animal* eodem modo dici, et in utroque casu importare totum; et profecto, definitio est ex genere et differentia, et *animal* in definitione hominis fungitur munere generis, et ponitur ut natura determinabilis, nec aliter se habet cum expresse apponitur differentia et cum non apponitur: *differentia quidem apposita* coarctat genus, sed extrinsece. — Aliud profecto est cum dico: — *homo constat ex corpore et anima* —; tunc enim

manifestum est quod *corpus* non sumitur ut totum quod est homo, et istae dicuntur partes hominis physicae. Genus vero proxime sumitur a toto, et differentia etiam a toto, ut patebit inferius. Verissimum est quod genus de specie praedicatur ut est totum; verissimum etiam quod, si significetur ad modum partis, ut fit in abstractis, de specie praedicari non potest, ut si dicerem — *homo est animalitas,* — quod dici non potest: sed non videtur verum quod, ut ponitur in definitione, non habeat rationem totius. Genus, species, differentia significant totam essentiam, sed non *exprimunt* complete et determinate, quod praestat solum species. Unde genus dicitur totum perfectibile, differentia totum perfectivum, species totum perfectum. [1])

Ob. 4[a]. Genus est pars metaphysica in definitione essentiali. Atqui quaelibet pars metaphysica, etiam seorsim ab alia, importat totam essentiam rei definitae, ideoque praedicari potest de ipsa. Ergo genus praedicari potest de inferioribus etiam secundum quod est pars.

Resp. *C.M.* — *D. I. p.m.:* Quaelibet pars metaphysica importat *de materiali* totam essentiam rei definitae *C. I. p. m.;* importat totam essentiam rei definitae *de formali* secundum quod constituitur in ratione unius definitionis per coniunctionem partium *N. I. p. m.* — *D. II. p. m:* praedicari potest de re definita id quod sub alia consideratione habet rationem *partis* ipsius *C. II. p.m.:* pars metaphysica *qua talis* praedicari potest de definito *N.* vel *sbd:* praedicari potest de definito *materialiter C:* praedicari potest de definito *formaliter* secundum quod subest definitioni. *N.* — *D.C.: genus,* licet sub alia consideratione habere possit rationem partis, praedicari potest de inferioribus *ut totum C.C.:* genus *secundum quod habet rationem partis* praedicari potest de inferioribus *N.C.* et *N. suppositum* quod sub ista

---

[1]) Cf. S. Th. *De Ente et Ess.* c. 3 et nota quod genus continet *differentias indeterminate* quatenus importat formam ex qua est aliqua perfectio v. g. *substantiae* vel *animalis,* quaecumque sit illa h. e. sive sequatur ex ea ulterior perfectio sive non sequatur. — Auctores solent dicere quod genus continet *differentias in potentia* h. e. non in actu, et hoc verum est saltem quatenus omne indeterminatum, pro modo quo est indeterminatum, est in potentia ad determinans.

consideratione habere possit inferiora. — Nulla pars praedicari potest de toto: hoc est principium omnino universale et nullam habet exceptionem: unde S. Thomas pro eodem habet asserere quod *animal* praedicetur de homine et negare quod habeat rationem partis [1]). Nihil tamen prohibet quin id quod secundum unam considerationem habet rationem totius, secundum aliam, habeat rationem partis: sed secundum quod habet rationem *partis,* nullo modo praedicatur de eo quod formaliter habet rationem *totius relate ad ipsum.* Sicut ergo *intentio generis* se habet ad modum partis relate ad intentionem *definitionis,* et ideo nullo modo preaedicatur de ipsa, (ut dicit S. Th. *ibid.*), eodem modo id quod habet rationem generis, puta *animal,* considerari potest secundum quod formaliter subest *intentioni generis* in *ordinem ad constituendum aliquod totum metaphysicum,* nempe definitionem: hoc modo genus non praedicatur de definitione. Sic e. g. *animal* praedicatur de *homine,* sed non praedicatur de *animali rationali* secundum quod *formaliter* animal rationale est ratio quaedam metaphysice composita ex *animali* (parte) et *rationali;* hoc ipso quod sub hac consideratione non identificatur cum ipso (toto) sed est pars eius. — Cf. [nota ad n. 205] et adverte quod definitio potest considerari non solum 1° secundum id quod significatur per definitionem et 2° secundum intentionem definitionis, sed etiam 3° secundum id quod significatur per definitionem praecise *secundum quod subest intentioni definitionis:* secundum hanc considerationem autem est totum, et ut tale, non recipit praedicationem partium.

528. Scholion. — S. Th. *(De Ente et Essentia* c. 3.) ostendit quomodo hoc nomen *corpus,* (sicut nomen — *animal*) potest sumi dupliciter, nempe ut totum et ut pars. (Cf. ea quae diximus in Logica Minori in nota [200]). Sed bene notandum quod non dicit hic S. Th. quod genus possit sumi *ut pars*, sed explicite negat quod si *corpus* vel *animal* sumantur *ut pars* (physica), possint habere rationem generis. " Si animal nominaret tantum rem talem quae habet quandam perfectionem ut possit sentire et moveri per principium in ipso existens — cum praecisione al-

[1]) I. D. XXV. q. I. a. 1. ad 2m.

terius perfectionis — tunc quaecumque alia perfectio superveniret, haberet se ad animal ad modum partis, *et animal non esset genus* ». Unde manifestum est quod non dicit *hic* S. Thomas quod genus ipsum possit sumi ut *totum* et *ut pars* sed quod ut aliqua ratio sit generica, debet omnino sumi non *ut pars* et cum praecisione, sed *ut totum;* et intendit excludere falsum intellectum illius qui ex eo quod genus sumitur a materia et differentia a forma, putaret quod ideo genus significaret tantum materiam et differentia formam: " genus, enim significat indeterminate id totum quod est in specie, non enim significat tantum materiam (idest significat totam rationem specificam resultantem a materia et a forma): similiter etiam differentia significat id totum quod est in specie et non tantum formam „. Nullo ergo modo intendit S. Thomas quod genus praedicetur de specie ut est *totum potentiale* hoc sensu quod praedicetur in quantum continet in se potentialiter seu virtualiter omnes species. Quando ergo post exhibitam rationem totius potentialis, quam habet genus relate ad omnes species quas continet, statuitur thesis (ut fit a quibusdam auctoribus) qua dicitur genus praedicari de specie ut est totum potentiale et non ut pars, receditur omnino a consideratione S. Thomae secundum quam *relate ad hanc individuam speciem* dicitur genus importare *totum quod ipsa est.*

THESIS IV.ª — 1º **Species, ut universalis, bene definitur abstracte :** " *Universalitas naturae perfectae „ ;* 2º **concrete :** " *Natura perfecta universalis „* **vel** " *Unum determinatum aptum inesse pluribus „ ;* 3º **ut praedicabilis, cum Porphyrio :** " *Id quod de pluribus numero differentibus in eo quod quid est praedicatur „ ;* 4º **ut est subiicibilis :** " *Id quod subiicitur generi „* **seu** " *id in quo est genus „ ;* 5º **denique ratione subiicibilitatis in praedicationibus :** " *Id de quo genus in eo quod quid praedicatur „.*

529. Prob. 1ª et 2ª pars. — 1º In definitione *speciei ut universalis,* si definitio datur *in abstracto,* oportet quod pro genere ponatur ipsum genus speciei, et loco differentiae proprium subiectum ipsius : atqui genus speciei est *universalitas,* et proprium ipsius subiectum est *natura perfecta* seu *determinata :* ergo species bene definitur abstracte : "*universalitas naturae perfectae*„. — 2º Si definitio datur *in concreto,* oportet quod pro genere

ponatur subiectum proprium speciei, et pro differentia, genus ipsius adiective : atqui subiectum speciei est *natura perfecta* seu *determinata,* et genus ipsius, adiective exhibitum, est *universalis :* ergo species bene definitur concrete *: " natura perfecta universalis „* vel *" unum determinatum aptum inesse pluribus „* quae ultima definitio, ut patet, omnino aequivalet praecedenti. Notandum est quod ly *determinatum* intelligi debet pertinens ad essentiam seu essentiale.

Prob. 3ª pars. — Definitio descriptiva propria (cuiusmodi est ista Porphyrii), ut sit bona, debet fieri per genus et proprium. Atqui in definitione *speciei ut praedicabilis,* pro genere ponitur *id quod,* et loco proprii *quod de pluribus etc.* (nam revera *praedicabilitas in eo quod quid de pluribus numero differentibus* est propria passio seu proprietas speciei). Ergo bene definitur species ut praedicabilis per definitionem Porphyrii.

Nota 1ª — Advertendum est quod haec definitio proprie non respicit nisi speciem infimam : nam subalternae species praedicari possunt de pluribus non tantum numero sed etiam specie differentibus, cum sint et ipsae genera relate ad inferiora.

Nota 2ª — Praeterea notandum quod propria differentia inter speciem et genus non est haec, quod genus praedicetur de speciebus, et species de individuis : sed quod genus praedicetur *de pluribus speciebus,* et species *de pluribus individuis.* Unde patet quod genus sit quid determinabile, species vero quid perfectum seu determinatum. Et cum dicitur species praedicari de individuis, intelligitur formaliter *ratione sui :* nam etiam genus potest praedicari de individuis, sed tantum *ratione speciei,* in qua ipsum includitur ; ut v. g. animal de Socrate.

Prob. 4ª et 5ª pars. — 1º Species *ut subiicibilis essentialiter* concrete definitur per proprium subiectum et formam propriam subiicibilitatis speciei : atqui in hac definitione, pro subiecto ponitur *id,* et pro forma propria subiicibilitatis speciei *quod subiicitur generi* vel *in quo genus est* (nam hoc non competit formaliter nisi speciei) : ergo bene definitur species ut subiicibilis : *" id quod subiicitur generi „* vel *" in quo genus est „*. — 2º *Descriptive* autem bene definitur ponendo loco subiicibilitatis speciei, praedicabilitatem generis de specie, sicut est in ultima

ex allatis speciei definitionibus. Nam haec praedicabilitas generis de specie est proprietas consequens necessario ipsam speciei subiicibilitatem. Ergo bona est definitio speciei ratione subiicibilitatis in praedicationibus : " *Id de quo genus in eo quod quid praedicatur* „.

THESIS V.ª — Natura generica, ut generica, salvari non potest, si non detur nisi una species ; specifica autem ut specifica salvari potest etiam in unico individuo.

530. Probatio. — Ratio est, quia generale, ut generale, nequit concipi nisi sit pluribus commune ; speciale autem, ut speciale, potest concipi etsi non sit pluribus commune. - Item natura determinabilis ea concipitur, quae concipitur in potentia ad plures determinationes ; contra, perfecta seu determinata etc. potest sistere in se. — Hinc S. Thomas (1º *Post. Anal.* l. 12.) ait : " posse reperiri aliquam speciem, quae non habeat nisi unicum individuum ; non tamen aliquod genus, quod non habeat plures differentias et species „. Et Aristoteles (4º *Top.* 3) : " Si generis non sit altera species, manifestum est quod omnino non erit genus „.

Nota 1ª — Species, quae non habeat nisi unicum individuum, concipi non potest ut universalis, nisi quatenus plura mente fingantur ad quae referatur.

Nota 2ª — *Individuum primo intentionaliter* sub propria ratione seu cum proprio principio individuationis definiri non potest : sed sub aliqua ratione communi, et proinde universali definitione, cum Porphyrio definitur : " *Id, cuius collectio proprietatum sic est in uno, ut numquam in alio fiat* „. Hae proprietates sunt : forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus. —

Secundo intentionaliter, ut subiicibile : " *Id, quod subiicitur speciei* „ seu " *in quo est species* „. *Proprie ut singulare :* " *Id, quod in uno tantum inest* „ ; seu abstracte : " *Relatio rationis naturae ad essendum in uno tantum* „ seu potius " *naturae singularis ad unum* „. Et *ratione praedicabilitatis :* " *Id, de quo species praedicatur* „. Quatenus subiicitur praedicationi et *ut singulare :* " *Id, quod de uno tantum praedicatur* „. (Porphyrius).

531. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Universale est unum aptum inesse pluribus. Sed species quae unicum habeat individuum, non est apta inesse pluribus. Ergo non potest esse universalis.

Resp. *C.M.* — *D.m.* non est apta secundum modum quo est in se, ut sit in pluribus individuis realiter esistentibus *C.m.:* non est apta secundum modum quo est in intellectu nostro, ut sit in pluribus individuis fictis a ratione *N.m.* - *D.C. eod. mod.*

Ob. 2ª. Natura necessario immultiplicabilis nequit fieri universalis. A. species cuius unicum est individuum, est necessario immultiplicabilis. E. nequit fieri universali.

Resp. *D.M.* Natura necessario immultiplicabilis tum secundum modum quo est in se, tunc secundum modum quo accipitur in intellectu *C.M.* (et *Nego suppositum* quod aliqua detur natura quae secundum modum quo accipitur ab intellectu nostro pro statu praesentis vitae, necessario accipiatur ut immultiplicabilis) ; quae est immultiplicabilis secundum modum quo est in se, non vero secundum modum quo accipitur ab intellectu *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.*

Omnis forma in supposito singulari existens, per quod individuatur, communis est multis vel secundum rem vel secundum rationem saltem : sicut natura humana communis est multis secundum rem, quatenus invenitur realiter multiplicata a parte rei (quamvis unitatem communitatis non habeat nisi ab intellectu). Natura autem solis, secundum veteres, non erat communis multis secundum rem, sed secundum rationem tantum : poterat enim natura solis intelligi ut in pluribus suppositis existens. Hoc autem ideo evenit quia intellectus intelligit naturam cuiuslibet speciei per abstractionem a singulari. Unde esse in uno supposito vel in pluribus est praeter intellectum naturae speciei. Unde servato intellectu naturae, potest intelligi ut in pluribus existens. Hoc autem nullo modo accidit quando agitur de nomine singulari. Nam singulare ex hoc ipso quod est singulare est divisum ab omnibus aliis. Unde omne nomen impositum ad significandum aliquod singulare est incommunicabile re et ratione : non enim potest in apprehensionem cadere pluralitas huius individui : et ideo nullum nomen significans aliquod individuum est communicabile multis *proprie,* sed solum secundum similitudinem : sicut aliquis metaphorice potest dici Achilles, in quantum habet aliquid de proprietatibus Achillis, scilicet fortitudinem. Formae vero quae non individuantur per aliud

suppositum sed per se ipsas quia scilicet sunt formae subsistentes, ut sunt Angeli, si intelligerentur secundum quod sunt in seipsis, non possent communicari nec re nec ratione, sed forte per similitudinem, sicut dictum est de individuis. Sed quia formas simplices per se subsistentes non possumus intelligere secundum quod sunt, sed intelligimus eas ad modum rerum corporearum habentium formas in materia, ideo imponimus eis nomina concreta significantia naturam in aliquo supposito. Unde quantum pertinet ad rationem nominum, eadem ratio est de nominibus quae a nobis imponuntur ad significandum naturas rerum compositarum, et de nominibus quae a nobis imponuntur ad significandum naturas simplices subsistentes.

Quod autem dicimus de formis separatis, nempe de Angelis, valet omnino eodem modo etiam pro Natura Divina. Cum enim hoc nomen *Deus* impositum sit ad significandam naturam divinam, natura autem divina multiplicabilis non sit, sequitur quod hoc nomen *Deus,* incommunicabile quidem sit secundum rem, sed communicabile secundum opinionem: si vero esset aliquod nomen impositum ad significandum Deum, non ex parte naturae, sed ex parte suppositi, secundum quod consideratur ut *hoc aliquid,* illud nomen esset omnibus modis incommunicabile. Cf. S. Th. 1. p. q. 13 a. 9.

THESIS VI.[a] — **Differentia, quae constituit tertium praedicabile, ea est quae dicitur per se et propriissima.**

532. Praenotanda. — *Differre* proprie est eorum, quae in aliquo conveniunt: quae in nullo conveniunt dicuntur esse *primo diversa* [1]). — Differentia autem est alia *per accidens,* alia *per se,* secundum quod aliqua differunt solum accidentibus aut essentialiter.

Accidentalis autem *differentia* a Porphyrio distinguitur in communem et propriam. *Communis* est quae utrique extremo potest accidere: sic differt homo sedens a currente. *Propria* est quae est per aliquod accidens inseparabile: sic homo habens nasum simum differt ab alio, qui non habet talem.

---

[1]) Cf. S. Th. 1[a] p. q. 3. a. 8. ad 3[m] — C. G. l. 1. c. 17.

Differentiam per se dicitur a Porphyrio *propriissima*, et est ipsa essentialis differentia, unde species distinguuntur.

Nota, quod essentialis differentia facit *aliud,* accidentalis *alterum* seu alteratum.

533. Probatio. — Differentia quae constituit tertium praedicabile ea est, quae de pluribus praedicatur ut *quid essentiale* determinans. Atqui differentia essentialis est ea, quae vocatur per se et propriissima. Ergo differentia, quae constituit tertium praedicabile, est differentia quae dicitur per se et propriissima.

Aliter. — Differentia communis attenditur secundum accidentalia: propria secundum proprietates (intelligendo eas, quae non supponunt differentiam essentialem, ut oculi nigri, capillus flavus, crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine laesus): propropriissima est quae attenditur secundum essentialia rei, ut rationalitas.

THESIS VII.ª — Differentia bene et essentialiter definitur; 1º in abstracto: " *Universalitas naturae determinantis* „; **2º in concreto:** " *Unum determinans aptum inesse pluribus* „; **3º ut praedicabilis:** " *Id quod de pluribus praedicatur in quale quid* „.

534. Prob. 1ª et 2ª pars. — 1º Differentia, cum concipiatur ad modum accidentis, juxta leges definitionis accidentium [n. 201, 5°], *in abstracto* bene definitur ponendo proximum genus in recto, et substantiam sive subiectum in obliquo: atqui in allata definitione *universalitas,* quae est ratio quaedam generica per quam differentia convenit cum genere et specie, ponitur in recto; et *natura determinans,* quae est subiectum proprium differentiae per quod differt a genere et a specie, ponitur in obliquo: ergo differentia in abstracto bene definitur: *Universalitas naturae determinantis* „, — 2º *In concreto* bene definiuntur accidentia per subiectum in recto positum, et per genus positum in obliquo: atqui in hac definitione differentiae *unum determinans,* quod est subiectum differentiae, ponitur in recto; et *universalitas,* quod est veluti genus, ponitur in obliquo (nam dicitur esse in obliquo etiam si exhibetur adiective): ergo differentia in concreto bene definitur: " *Unum determinans aptum inesse pluribus* „.

Prob. 3ª pars. — Differentia *descriptive* bene definitur per

genus et proprietatem. Atqui in hac definitione pro genere ponitur *id quod de pluribus,* et loco proprii *praedicatur in quale quid* (nam *praedicabilitas* est proprietas sive passio, quae consequitur essentiam differentiae ut praedicabile; et *in quale quid* ita coarctat istam proprietatem, ut non possit competere nisi tertio praedicabili, h. e. differentiae). Ergo differentia *ut praedicabilis* bene definitur: " *Id quod de pluribus praedicatur in quale quid* „.

535. Notanda. — I^m *Differentia non constituitur in esse universalis per ordinem ad speciem, sed per ordinem ad inferiora.* — Nam species non est aliquod inferius relate ad differentiam, sed *quid aequale;* inferiora vero speciei illa sunt, de quibus differentia tanquam de inferioribus in quale quid praedicatur.

II^m *Differentia alia dicitur suprema, alia infima, alia media seu subalterna.* Hoc clare ostendit arbor Porphyriana. — Differentia distinguitur etiam in *divisivam,* ut " corporea „ relate ad substantiam; *constitutivam,* ut " corporea „ relate ad corpus; et *repugnantem,* ut " irrationale „ respectu hominis.

III^m *Dantur differentiae infimae.* — Ratio est quia dantur infimae species.

IV^m *Inferior differentia non continet superiores; et superior non includit inferiores.* — Ratio primi est quia differentia est solum id, *quo* haec species differt ab aliis; una autem species non differt ab alia secundum superiores differentias, imo in illis omnes species, quae aliquod genus simul dividunt, conveniunt. Tamen identice et materialiter dici possunt se includere, cum differentia superior et inferior in natura specifica non sint res distinctae. — Ratio secundi est quia, si differentia superior includeret inferiorem, genus esset de essentia differentiarum et includeret illas actu, quod est absurdum. Si *sensibile* v. g. includeret *rationale, animal* esset de essentia rationalis, seu contineret actu *rationale,* et sic non contraheretur per *rationale.*

V^m *Licet differentia et genus sint idem realiter (materialiter), tamen recte dicuntur componere speciem, velut partes totum.* — Ratio est quia secundum intellectum accipiuntur seorsim ut determinans et determinabile, ex quorum compositione habetur determinatum. Tamen, ut ait S. Thomas (*De Ente et Ess.* c. 3.)

" si homo aliquo modo ex animali et rationali dicatur esse, non erit sicut tertia res ex duabus rebus, sed sicut intellectus tertius ex duobus intellectibus : ex quibus duobus intellectibus constituitur intellectus speciei seu definitionis „.

VI^m *Differentia est semper nobilior genere, ad quod se habet ut determinans (actus) ad determinabile (potentiam) ; non tamen semper trahit genus ad naturam toto genere nobiliorem. — Rationale* v. g. trahit *animal* ad gradum, qui non est sola determinatio in ipso genere viventis sensitivi, quod importatur per *animal,* sed ordinem intellectivi ingreditur ; unde in tali natura habetur quaedam operatio, quae ordinem generis omnino excedit, ut est intelligere et velle. Quandoque vero differentia determinat genus illudque perficit intra proprium ordinem, a quo illud non retrahit, ut est in speciebus diversis irrationalium. Audiatur S. Thomas (*De Sp. Creat.* a. 8. ad 9^m) : " Illud quod constituit in specie est nobilius eo quod constituit in genere, sicut determinatum indeterminato : habet enim se determinatum ad indeterminatum ut actus ad potentiam. Non autem ita, quod semper illud quod constituit in specie ad nobiliorem naturam pertineat, ut patet in speciebus animalium irrationalium. Non enim constituuntur huiusmodi species per additionem naturae nobilioris supra naturam sensitivam, quae est nobilissima in eis, sed per determinationes ad diversos gradus in illa natura ; et similiter dicendum est de intellectuali, quod est commune in Angelis „. [1])

Nota. — Quamvis a quibusdam auctoribus quaestio " *quomodo genus sumatur a materia et differentia a forma* „ ponatur hoc loco, tamen, cum recta intelligentia huius quaestionis *requirat* plures cognitiones metaphysicas, melius videtur ad Metaphysicam eam remittere.

THESIS VIII.^a — Proprium, quod constituit quartum praedicabile, illud tantum est, quod sumitur in oppositione ad commune atque absolute ; seu quod convenit omni, soli et semper.

536. Praenotandum. — Dupliciter in logicis usurpatur nomen *proprii:* 1° in oppositione ad *improprium* seu metapho-

---

[1]) Cf. S. Th. 1^a p. q. 50. a. 4. ad 1.^m

ricum atque analogum; 2° in oppositione ad *commune*. Non priori modo sed hoc secundo hic sumitur. Sic autem acceptum distinguitur ab Arist. [1]) in: *a)* proprium *ad aliquid, b)* proprium *aliquando,* et *c)* proprium *absolute*. Proprium *ad aliquid* dicitur illud, quod secundum se non pertinet tantum ad unum subiectum: sed, si subiectum, cui inest, comparetur cum aliquo, cui non inest, illi est proprium, et non commune cum alio. Sic *esse bipedem* non est solius hominis; sed facta comparatione hominis cum equo, esse bipedem proprium est hominis, nam non est commune homini et equo. Et huiusmodi proprium dicitur a Porphyrio, quod convenit omni individuo alicuius speciei, sed non soli. — Proprium *aliquando* est illud, quod convenit omni et soli individuo alicuius speciei, sed non semper. Sic proprium hominis dicitur *canescere;* omnis enim et solus homo canescit (sumendo hoc verbum cum ea restrictione, quam habet in usu communi loquendi), sed tantum tempore senectutis. — Proprium *absolute* est illud, quod convenit *omni* individuo alicuius speciei, et *soli,* et *semper;* ut est in homine *risibilitas*. — His addidit Porphyrius proprium, quod convenit *soli* individuo alicuius speciei, *non tamen omni:* sicut *esse grammaticum, philosophum,* nonnisi homini competit, sed non omni.

537. Probatio. — E praedictis solum *proprium absolute* dici debet constituere quartum praedicabile: reliqua vero simpliciter dicenda sunt pertinere ad quintum praedicabile, quod est *accidens*. Nam proprium quod quartum praedicabile constituit, ut constat ex dictis supra, oportet ut sit tale accidens, quod necessario dimanet ab essentia. — Atqui huiusmodi non aliud est nisi proprium *absolute,* quod sumitur in oppositione ad commune, seu quod convenit *omni, soli* et *semper*. Nam id, quod profluit necessario ab essentia: debet reperiri in *omni* habente talem essentiam: siquidem essentia semper est cum omnibus his, quae illam necessario consequuntur. Et non potest reperiri nisi in *solo* habente talem essentiam: nam cum essentia, respectu talis accidentis, rationem habeat proprii principii, nequit non adesse, ubicumque adest proprius effectus ipsius. Tandem debet esse

[1]) 1° *Top.* c. 4.

semper cum omnibus habentibus talem essentiam, scil. quandiu haec in illis perseverat: cum ipsa namque essentia perseverare debent etiam ea omnia, quae cum ea habent necessariam connexionem. — Ergo proprium, quod quartum constituit praedicabile, est illud quod convenit *omni, soli* et *semper,* seu quod sumitur in oppositione ad commune, ut proprium *absolute.*

Nota 1ª — Notandum autem est, hic sermonem esse de eo quod accidentaliter competit, et non essentialiter: unde cum dicitur proprium esse id, quod convenit omni, soli et semper, debet semper subintelligi, ut *quid accidentale.*

Nota 2ª — Praeterea advertendum, de ratione *proprii* esse, quod manet *a principiis essentialibus* seu *formalibus* rei: nam si manaret a principiis individuantibus et materialibus, etsi forte esset semper et in omnibus ac solis individuis alicuius speciei, non tamen esset propria passio speciei, sed eidem contingeret ratione individuorum, et pertineret ad *accidens commune,* quo constituitur quintum praedicabile. Quod notavit S. Thomas (*De Ente et Ess.* c. 7.), dicens: " Quia unaquaeque res individuatur ex materia, et collocatur in genere vel specie per suam formam, ideo accidentia, quae consequuntur materiam, sunt accidentia individui, secundum quae etiam individua eiusdem speciei differunt ad invicem. Accidentia vero, quae consequuntur formam, sunt propriae passiones generis vel speciei: sicut risibile consequitur in homine formam „. Et alibi *(1m Sent.* Dist. 17ª. a. 2. ad 2m.): " Quaedam sunt accidentia, quae causantur ex principiis speciei, et sic sunt propriae passiones, quae consequuntur totam speciem; vel ex principiis individui, et sic sunt communia „. Quae tamen non ita sunt intelligenda, quasi in compositis naturalibus sint aliqua accidentia, quae dimanent a sola materia prima, et alia, quae a sola forma. Sed sic, quod inter accidentia, quae a toto composito oriuntur, quaedam ab eo profluunt ratione materiae, et quaedam ratione formae: si tamen forma habet esse independenter a materia, ut anima humana, habet et quaedam accidentia independenter a materia.

THESIS IX.ª — Proprium definitur: 1º essentialiter in abstracto: " *Universalitas, quae accidit naturae necessario* „; **2º concrete:** " *Unum aptum inesse pluribus ut necessario accidens*

naturae „; 3° **descriptive ut praedicabile:** *“ Id quod praedicatur de pluribus ut necessario accidens naturae „;* **seu** 4° **cum Porphyrio:** *“ Id quod convenit omni, soli et semper „.*

538. Prob. 1ª et 2ª pars. — 1° Ut saepe notavimus, essentialis definitio accidentium *in abstracto* exhibetur per genus in recto et subiectum proprium in obliquo: atqui in allata definitione *universalitas* sumitur in recto pro genere, et *accidit naturae necessario* ut subiectum sive substantia: ergo bene in abstracto definitur proprium: *“ universalitas, quae accidit naturae necessario „.* — 2° *In concreto* vero definiuntur accidentia per subiectum in recto et genus in obliquo: atqui huiusmodi est allata definitio proprii: ergo bene definitur in concreto: *“ unum aptum inesse pluribus ut necessario accidens naturae „.*

Prob. 3ª pars. — Definitio *descriptiva* fit per genus et proprietatem: atqui hic sumitur pro genere *id quod de pluribus praedicatur* (nam in hoc proprium convenit cum reliquis praedicabilibus), et loco proprietatis sumitur praedicabilitas proprii in quantum est *necessario accidens naturae:* ergo bene definitur descriptive proprium ut praedicabile: *“ id quod de pluribus praedicatur ut necessario accidens naturae „.*

Prob. 4ª pars. — Definitio Porphyrii recidit in aliquam ex praecedentibus definitionibus. Nam verba *“ quod convenit omni „* idem sonant ac *“ id quod est in pluribus „* vel *“ id quod de pluribus praedicatur „*. Cum autem diversae acceptiones *proprii,* quae adducuntur a Porphyrio, omnes sint praeter id quod est essentiae intrinsecum, subintelligitur in hac definitione *accidentaliter.* Denique per verba *“ omni, soli et semper „* indicatur proprium esse aliquod *“ necessario accidens naturae „*. Licet enim convenire *omni, soli* et *semper,* saltem *exclusive,* de se non significet id quod est manans necessario ab essentia; tamen *affirmative* certe et hoc significat: et, prouti sumitur a Porphyrio, hoc tantum significat, cum sensus sit quod *“ nequit non convenire omni et soli et semper „.*

539. Nota 1ª — *Proprium strictissime sumptum non convenit nisi speciei infimae:* quatenus scil. ea, quae sunt proprietates specierum quae non sunt infimae, competunt pluribus speciebus. Tamen tenendum est quod etiam species supremae et subalternae habent suas proprietates, quae competunt *omni* (v. g. *animali)*

et *soli* et *semper;* sicut unumquodque genus et unumquemque gradum perfectionis in entibus acceptum consequuntur propriae passiones: sic, proprietas corporis est habere tres dimensiones.

540. Nota 2ª — Aliae sunt *proprietates physicae et reales,* aliae *logicae et attributales.* Illae sunt accidentia realia ab essentia realiter distincta, ab eaque dimanantia ad modum resultantiae, ut risibilitas in homine. — Logicae et attributales sunt quae sola ratione ab essentia distinguuntur eamque consequuntur solum iuxta modum intelligendi; et sic non sunt nisi rationes quaedam secundariae, quas intellectus ab essentia ipse distinguit eique attribuit, inde nomen *attributalium* et *logicalium* obtinent. Sic in divinis ponimus proprietates; sic mortalitas accipitur ut proprietas animalis etc.: non tamen est proprie *accidens* dimanans ab essentia.

541. Nota 3ª — *Proprium strictissime sumptum constituitur universale per respectum ad inferiora speciei,* quia de illis praedicatur *in quale necessario* tanquam de inferioribus; quamvis secundum rationem, quam exhibet, prius conveniat speciei, quam inferioribus eiusdem: ad speciem enim se habet tamquam ad unum, ad inferiora eius tamquam ad plura; quod necessarium est ad rationem universalis.

THESIS X.ª — Accidens quod est quintum praedicabile non sumitur in oppositione ad substantiam, sed in oppositione ad essentiam, et ad ea quae essentiam necessario consequuntur.

542. Probatio. — Dupliciter sumi potest *accidens. Primo modo* in oppositione *ad substantiam,* et significat quod habet *esse in alio tanquam in subiecto:* sicut e. g. *color* habet esse in aliqua substantia: et sic acceptum accidens dividitur in novem praedicamenta, quae ponentur post praedicamentum substantiae; et vocatur accidens *praedicamentale* et *physicum,* et de eo agemus ubi de Praedicamentis in Metaphysica. Hac acceptione accidens extenditur etiam ad *proprium:* non enim proprium est de ratione substantiae [1]; ideoque accidens hoc primo modo sumptum non potest constituere quintum praedicabile. — *Secundo modo* sumitur

[1]) Cf. S. Th. op. 48. c. 6.

accidens in oppositione *ad essentiam,* et significat quidquid est *in aliquo subiecto praeter essentiam ipsius nec cum essentia necessario connexum,* sive demum entitative sit substantia, sive accidens physicum, sive ens reale, sive ens rationis; sicut e. g. scientia accidit homini, albedo equo, existentia Petro, genus animali; et sic acceptum accidens distinguitur a proprio, et constituit quintum praedicabile, ac vocatur accidens *praedicabile* et *logicum,* de quo tantum hic agimus.

THESIS XI.ª — Accidens definitur: 1º essentialiter in abstracto: " *Universalitas eius, quod naturae advenit contingenter* „ ; 2º **in concreto:** " *Unum contingens aptum inesse pluribus* „ ; 3º **descriptive, ut praedicabile:** " *Id quod praedicatur de pluribus in quale contingenter* „ ; 4º **cum Porphyrio:** " *Id quod potest adesse vel abesse sine subiecti corruptione* „.

543. Prob. 1ª et 2ª pars. — 1º Definitio essentialis accidentium *in abstracto* fit per genus proximum in recto et substantiam sive subiectum in obliquo: atqui in allata definitione *universalitas* tenet locum generis proximi accidentis, et *quod naturae etc.* tenet locum subiecti sive substantiae: ergo accidens in abstracto bene definitur: " *universalitas eius, quod naturae advenit contingenter* „. — 2º *In concreto* accidentia definiuntur per substantiam sive subiectum in recto, et genus proximum in obliquo: atqui in hac definitione *unum contingens* sumitur in recto pro substantia sive subiecto, et *aptum etc.* pro genere proximo in obliquo (nam, cum sit adiective sumptum, consideratur tanquam quid obliquum): ergo accidens in concreto bene definitur: " *unum contingens aptum inesse pluribus* „.

Prob. 3ª pars. — Definitio descriptiva fit per genus et proprium: atqui in definitione allata *id quod praedicatur de pluribus* sumitur pro genere, et *in quale etc.* ut proprietas accidentis (nam *praedicabilitas in quale contingenter* est aliquid quod *omni, soli* et *semper* advenit quinto praedicabili idest accidenti): ergo accidens *ut praedicabile* bene definitur *descriptive:* " *id quod praedicatur de pluribus in quale contingenter* „.

Prob. 4ª pars. — Ampliori quadam explicatione indiget Porphyrii definitio, praesertim cum nonnulli eam non bene intellexerint. Ut sit bona, ista definitio debet complecti totam ra-

tionem accidentis logici seu praedicabilis, et idcirco etiam illud quod vocatur *inseparabile,* excluso tantum proprio. Porro illud *potest adesse vel abesse etc.* non potest intelligi de separatione reali accidentis a subiecto; quia tunc non comprehenderetur accidens *inseparabile,* quod est quidem accidens logicum, sed *realiter* non posset a subiecto separari, quin saltem aliquomodo ipsum subiectum corrumpatur. Intelligi ergo debet de separatione *composita* sive *secundo intentionali,* qua per solam intellectus operationem accidens a subiecto separatur. Et sic intellecta, bona est definitio Porphyrii, quod nempe accidens sit: " *id quod potest adesse vel abesse sine subiecti corruptione* „. [1])

544. Nota. — Separatio per intellectum duplex distingui potest: altera *simplex,* quae consistit in aliqua praecisione mentis, qua unum sine alio intelligitur, quin de illo hoc aliud affirmetur vel negetur. Altera *composita,* quae per secundam mentis operationem unum ab alio separatur. Simplici separatione possumus separare essentiam a proprio; et sic possum hominem intelligere ut animal rationale, non concipiendo tamen eius risibilitatem: at separatione composita potest quidem separari essentia ab accidente *realiter* inseparabili, cum sit et extra essentiam et non cum ipsa *necessario* connexum; sed non a proprio, quia non possumus negare de aliqua essentia id, quod necessario manat ab ipsa, quin illa destruatur, ut cum dico v. gr. *homo non est risibilis.*

545. Scholion. — *Accidens constituitur universale per ordinem ad subiecta, quae accidentaliter denominat; non vero per ordinem ad inferiora, quibus essentialiter convenit.* — Ratio est, quia accidens constitui debet in esse universalis per ordinem ad ea, de quibus praedicari potest ut id, quod adest vel abest sine subiecti corruptione. Atqui huiusmodi sunt subiecta, quae accidens *accidentaliter* denominat, ut *homo albus, equus albus, paries albus* etc.: *albedo* enim revera potest esse et abesse *ab homine, equo* et *pariete,* etc. quin horum essentia tollatur. Non autem esse possunt

---

[1]) Haec Porphyrii definitio facile converti potest in hanc Caietani: " *Accidens est id, cuius neque affirmatio neque negatio rationem subiecti tollit* „.

inferiora, quibus *essentialiter* convenit; ut *color albedini, viredini* etc., *qualitas colori* etc.; nam haec accidentia, puta *color, qualitas* etc., non possunt abesse ab huiusmodi inferioribus, quin ipsa inferiorum essentia destruatur. Ergo etc.

Tractatus II^us^

De his quae ad Praedicamenta pertinent.

QUAESTIO PRIMA

De Antepraedicamentis.

546. Introductio. — I. Ea, quae ab Aristotele dicuntur in antepraedicamentis, ad hoc sunt directa, ut ordo ipse praedicamentalis, est ratio eius bene percipi queat. Praedicamenta enim, si logice considerantur, sunt plures *series* seu coordinationes praedicabilium, a supremis generibus usque ad species infimas sub singulis generibus [cf. nn. 151,152]. Sic v. g. praedicamentum substantiae est coordinatio generum et specierum ab ipso supremo substantiae genere usque ad infimas species hominis, equi, leonis, etc. Porro hae plures praedicabilium coordinationes possunt: 1° omnes comparari cum ente quod dividunt; 2° deinde possunt singulae considerari secundum quod superiores rationes respiciunt inferiores; 3° possunt comparari ad invicem.

1° *Per respectum ad ens,* quod dividunt, praedicamenta haberi debent ut *analoga* (aequivoca a consilio).

2° *Per respectum superiorum rationum ad inferiores,* singula praedicamenta haberi debent ut *univoca.*

3° *Per respectum ad invicem,* novem praedicamenta haberi debent ut *denominativa* primi praedicamenti: nam *substantia* denominatur ab ipsis — *quanta, qualis,* etc. — Ergo in antepraedicamentis agendum est de *denominativis*, de *aequivocatione*, de *univocatione* et de *analogia.*

II. Quoniam autem attendere oportet tum res, quae in praedicamento ponuntur, tum modum significationis, quo poni

debent res ipsae in praedicamento, ideo duas divisiones Aristoteles instituit, scilicet:

1ª *Eorum, quae dicuntur.*

2ª *Eorum, quae sunt.*

Ea quae dicuntur, dividit in: *a) complexa,* et *b) incomplexa;* et per hanc divisionem separat ea, quae ponuntur in praedicamento, ab iis quae non ponuntur: non enim complexa, sed solum incomplexa subordinari possunt praedicamentaliter.

Ea, quae sunt, dividit in: *a) quae de subiecto dicuntur, et in subiecto sunt: b) quae sunt in subiecto, et de subiecto non dicuntur: c) quae de subiecto non dicuntur, et in subiecto non sunt: d) quae neque in subiecto sunt, neque de subiecto dicuntur;* qua divisione ostenditur, quomodo ea, quae extant in praedicamento tam substantiae quam accidentis, rationem habent praedicabilitatis et subiicibilitatis, etsi in aliis tamquam in subiecto non sint.

III. Deinde, quia ad bene conficiendum praedicamentum, oportet cognoscere, quomodo disponi debeant rationes superiores et inferiores, et quo pacto differentiae propriae alicuius superioris rationis possint competere, vel non, inferioribus; tradit Philosophus duas regulas, scil. *de praedicatione superioris de inferiori,* et *de divisione generum.*

VI. Tandem traditur divisio entis in decem praedicamenta, ut cognoscatur quot et quaenam sint rationes, quae praedicamentaliter disponi debent ut genera suprema, sub quibus ceterae rationes sint ordinandae secundum praedicabilitatem et subiicibilitatem. [1])

De his ergo singillatim est agendum.

---

[1]) *Aequivocum, univocum, denominativum, analogum* dicuntur tum *de vocibus,* tum *de rebus.* Definitiones, quae respiciunt *voces,* exhibitae sunt in Summulis seu in Logica minori. Hic autem dantur definitiones, quae respiciunt *res* secundum quod suscipiunt secundas intentiones univocatorum, aequivocatorum, etc. prouti habent ordinem ad voces univocantes, aequivocantes etc. Unde Aristoteles non dicit: " *aequivoca sunt, univoca sunt* „ etc.; sed: " *aequivoca, univoca etc. dicuntur* „ — Adverte quod, etiam hic, id quod proprie definitur est *intentio secunda aequivoci* etc.

Articulus I^us

De Aequivoco, Univoco, Denominativo.

THESIS I.ª — 1º **Aequivoca, seu Homonyma, bene definiuntur ex Aristotele:** " *Ea, quorum nomen solum commune est, secundum nomen vero substantiae ratio diversa* „ ; 2º **Univoca vero, seu Synonyma, bene definiuntur ex Aristotele:** " *Ea quorum nomen commune est, secundum nomen eadem substantiae ratio* „ ; 3º **Denominativa denique, seu Paronyma, bene ex Aristotele definiuntur:** " *Quaecumque, ab aliquo differentia casu, secundum nomen appellationem habent* „ **seu:** " *Ea, quae ab aliqua forma nomen habent sola terminatione diversum a nomine, quo ipsa illa forma significatur* „.

547. Prob. 1ª pars. — Optima est definitio, quae per genus proximum et differentiam ultimam exhibetur. Atqui in Aristotelica aequivocorum definitione ponitur id, in quo aequivoca conveniunt cum aliis, scil. habere *nomen commune,* per quod similia sunt univocis (et haec est quaedam ratio generica); et additur id, in quo aequivoca ab univocis differunt, quod est habere *diversam rationem essentiae,* quae a nomine exhibetur (et haec est veluti quaedam differentia). Ergo bene cum Aristotele definiuntur aequivoca: " *quorum nomen solum commune est, secundum nomen vero substantiae ratio diversa* „. — Sic ex. gr.: *animal* est aequivocum quoad hominem viventem et hominem pictum; quia licet uno eodemque nomine animalis significetur, est tamen alia ratio essentialis in homine vivente, et alia in homine picto. " Si enim quis assignet quid sit eorum utrumque *quo animal est,* propriam assignabit utriusque rationem „ (Arist. *De Praed.* c. 1).

Prob. 2ª pars. — " *Univoca* dicuntur, quorum et *nomen commune est,* et secundum nomen *eadem substantiae ratio:* sicut *animal* et *homo* atque *bos.* Communi enim nomine horum utrumque *animal* nuncupatur, et est ratio substantiae eadem. Si quis enim assignet utriusque rationem quid utrumque est *quo animal est,* eandem assignabit rationem „ *(ibid.).*

Prob. 3ª pars. — Tripliciter aliquid dici potest ab alio *denominari,* scilicet: *a) re et non voce,* sicut *probus* a *virtute; b) voce et non re,* sicut *studiosus* a *studio; c) et re et voce,* sicut *sapiens* a *sapientia.*

Proprie autem *denominativum* dici non potest nisi hoc postremum: quae enim vere ab alio denominantur, neque sunt res secundum esse rei, neque voces secundum entitatem realem vocis, sed tantum res secundum quod significantur per voces. Unde oportet, quod denominativum conveniat cum eo, a quo denominatur, tum secundum rationem rei significatae, tum secundum radicem nominis, et solum differant secundum quod postulat significari cum diversa desinentia in nomine. Ed ideo eorum natura satis ostenditur per definitionem allatam. [1])

548. Scholion. — Denominativa significant accidentia quaedam, et tamen denominant substantiam: sicut v. g. *homo,* qui non est *bonitas* neque *sapientia,* denominatur tamen a bonitate et a sapientia *bonus* et *sapiens.* Et sic denominativa quodammodo ut media se habent inter univoca et aequivoca. Denominativum enim desumitur ab aliqua forma, quae non est ipsum subiectum denominatum; sicut *sanum* denominat *animal,* quod non est *sanitas,* sed eius subiectum, et tamen significat sanitatem in concreto. Patet autem quod illud, quod respectu termini seu formae denominantis se habet ut denominativus terminus vel ut res denominata, si contra conferatur non cum forma denominante sed cum aliis eodem modo denominatis, poterit esse terminus univocus vel analogus; v. gr. *sapiens* est terminus

---

[1]) Tria quoad denominativa sunt distinguenda, scil.: *a) forma denominans,* ut *sapientia; b) res denominata,* ut *homo; c) ipsum denominativum,* ut *sapiens.* — Et etiam duo notanda sunt cum Caietano: 1° quod denominativum derivari debet secundum nomen a forma denominante secundum leges logicas, quibus *abstractum* habetur ut *prius concreto,* non vero semper iuxta leges grammaticales, quibus abstractum ducitur a concreto; quare denominativum semper debet esse concretum: 2° quod *differentia casus* inter denominativum et denominans requiritur quidem *per se,* sed potest contingere *per accidens* ut non adsit, sicut in *Musica,* quae accipi potest et pro forma artis quae denominat, et pro denominativum respectu mulieris.

denominativus relate ad sapientiam, quae est forma denominans, et univocus relate ad plures homines, qui dicantur sapientes, et analogus relate ad Deum et creaturas, cum de iis idem nomen dicitur.

549. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Id solum definiri potest, quod est unum. Atqui aequivocum non est unum, sed plura. Ergo aequivocum definiri non potest.

Resp. *D.M.:* Id solum definiri potest, quod est unum secundum rationem, sub quam definitur *C.M.;* id solum definiri potest, quod est unum absolute *N.M.* — *Ctd.m.* Aequivocum non est unum, sed plura, prouti sumitur ad significandum id, quod suscipit intentionem aequivocationis *C.m.;* aequivocum non est unum, sed plura, prouti significat ipsam secundam intentionem aequivocationis *N.m.* — *N.C.*

Ob. 2ª. Juxta Aristotelem, aequivoca dicuntur ea, *quorum nomen solum commune est, secundum nomen vero substantiae ratio diversa.* Atqui quaedam sunt aequivoca, quorum ratio substantiae est eadem: sic *canis* dicitur aequivocum respectu *terrestris* et *marini;* qui tamen conveniunt in ratione animalis, viventis, corporis et substantiae. Ergo aristotelica aequivocorum definitio non est bona.

Resp. *D.M.:* Aequivoca sunt ea, quorum nomen solum commune est, secundum nomen vero substantiae ratio diversa, ita tamen ut sufficiat quod sit omnino diversa ratio ipsa et sola, quae praecise per nomen significatur *C.M.;* aequivoca sunt ea etc., ita ut oporteat quod nihil habeant proprie commune *N.M.* — *Ctd.m.:* Quaedam sunt aequivoca, quorum ratio substantiae est eadem; sed tamen ratio, quae praecise per nomen significatur, est diversa (ut in allato exemplo, ratio ipsa essentialis per nomen *canis* significata non est eadem, sed omnino diversa in *terrestri* et in *marino,* licet conveniant in ratione animalis, corporis etc.) *C.m.;* quaedam sunt aequivoca, quorum ratio substantiae est eadem sicut et ratio per nomen significata *N.m.* — *N.C.*

Ob. 3ª. Univoca, iuxta Aristotelem, vocantur ea, *quorum nomen commune est, et secundum nomen eadem substantiae ratio.* Atqui etiam accidentia sunt univoca, quorum tamen nulla est

ratio substantiae. Ergo non bona est aristotelea univocorum definitio.

Resp. *D.M.:* Univoca sunt ea, quorum commune est nomen et secundum nomen eadem substantiae ratio, intelligendo illud *substantiae ratio* pro *essentia* sive quidditativa ratione *C.M.;* intelligendo illud *substantiae ratio* pro eo, *cui competit esse per se N.M.* — *Ctd.m.:* Etiam accidentia sunt univoca, quorum tamen nulla est ratio substantiae, nempe alicuius cui competat esse per se *C.m.;* nulla est ratio substantiae, scil. essentiae sive rationis quidditativae *N.m.* — *N.C.* [1])

Ob. 4ª. Iuxta Aristotelem denominativa dicuntur *quaecumque ab aliquo, differentia casu, secundum nomen appellationem habent.* Atqui dantur quaedam huiusmodi, quae tamen denominativa non sunt; ut *homo* ab humanitate, *animal* ab animalitate etc. Ergo non est bona aristotelica definitio.

Resp. — *D.M.:* Denominativa sunt ea, quae ab aliquo differentia casu secundum nomen appellationem habent, intelligendo illud *ab aliquo* ut formam denominantem, quae sit extra essentiam rei denominatae *C.M.;* denominativa sunt ea etc. intelligendo illud *ab aliquo* ut formam essentiae ipsius rei *N.M.:* nihil enim, stricte loquendo, comparari potest ad formam essentiae suae tanquam ad aliquid aliud a se. — *Ctd.m.:* Dantur quaedam quae ab aliquo, differentia casu, secundum nomen appellationem habent, et non sunt denominativa, intelligendo illud *ab aliquo* pro forma essentiae ipsorum, ut *homo* ab humanitate *C.m.;* dantur quaedam etc. intelligendo illud *ab aliquo* pro forma denominante quae sit extra ipsorum essentiam *N.m.* — *N.C.*

Articulus II[us]

De Analogo.

550. Introductio. — Quaestio *de Analogia* quamvis prima fronte inter inutiles disquisitiones amandanda videatur, tamen

---

[1]) *Substantiae ratio* etiam in definitione aequivocorum eadem prorsus significatione accipitur, qua hic in definitione univocorum.

viro sapienti maximi momenti esse apparebit pro tota philosophia ac praesertim pro metaphysica.

Cum enim ens, ut videbimus, sit analogum proportionalitatis, et tota methaphysica sit de ente eiusque passionibus quae et ipsae analogae de necessitate esse debent; et sit de communibus, quae ad omnia se extendunt et nequeunt eodem modo dici de diversissimis; omnino manifestum est usum analogiae maximi esse momenti in metaphysica. Idque clarius etiam patet, si consideretur quod ex una parte, metaphysica se extollit ad primas causas entium considerandas, et quod ex altera parte nos nequimus immaterialia et spiritualia percipere nisi secundum analogiam quamdam ad materialia et corporalia.

Qui analogiae usus, frequentissimus est etiam in communi hominum locutione; nam ex. gr. saepissime *vita spiritualis* dicitur *via Domini, in qua oportet progressum facere, et in qua non progredi regredi est.*

Aliquando autem metaphora ingreditur ipsam analogiam, quae proinde erit *analogia metaphorica,* ut ex. g. cum dicimus " pratum, coelum, fortunam ridere „. Sed, licet possit haberi analogia, quin sit coniuncta cum metaphora, ut cum *ens* praedicamus de Deo et creaturis, nunquam tamen habetur metaphora sine analogia, nam metaphora importat aliquid, cui res, de qua agitur, non convenit nisi secundum proportionalitatem ad aliquod unum: in quam definitionem coincidit ipsa definitio analogiae. Cum enim dicitur de aliquo homine quod sit " *tigris* „, intelligitur quod ille homo convenit cum tigre secundum proportionalitatem ad aliquod unum, quod est " *crudelitas* „.[1])

Nunc autem proprium est analogiae importare aliquid notius quoad nos, cuius consideratione et comparatione res, quae minus cadunt sub sensu, aliquomodo apprehendimus et intelligimus. Sic spiritualia intelligere non possumus, nisi ad similitudinem rerum materialium, in quarum phantasmate res spirituales consideramus et in earum *aliqualem* cognitionem pervenimus. Ita

[1]) Notandum est quod cum analogia, praesertim metaphorica, adhiberi possit non tantum ad intelligentiam rerum, sed etiam ad sermonis ornatum, nos in logica non consideramus nisi priorem analogiae speciem.

etiam cum dicimus aliquem velociter progredi in via Domini, ex hoc quod nobis notius est, nempe *ex festinatione in deambulando* assurgimus ad considerandam analogam quamdam festinationem in virtute acquirenda. Nullo tamen modo intelligimus quod in virtute acquirenda fiat aliqua materialis festinatio, sed quod fiat aliquid solummodo analogum festinationi materiali. Et in quibusdam quidem rationibus intelligimus eas per prius competere rebus primo cognitis, aliis vero competere solum vel per posterius vel per metaphoram aliquam ; quandoque autem intelligimus aliquam rationem prius secundum rem competere iis quae a nobis cognita sunt per posterius.

Sed praeterea notandum est quod analogia non solum complectitur simplicia seu incomplexa, sed extenditur quoque ad ipsa complexa.

Sic agentes de definitione, vidimus ipsas definitiones, analogatis terminis, analogari. Item principia ipsa, ratione terminorum, analoga dici possunt. V. g. principium hoc " *Idem non potest simul esse et non esse* „ tam amplam habet analogationem, quam amplam habet *ens,* in cuius ratione fundatur et valet in omnibus. Item cum dico " *Totum est maius sua parte* „ principium hoc, analogatis terminis, ad omnia prorsus se extendit, sed in diversis generibus alia atque alia est ratio totalitatis et consequenter ratio partis et ratio etiam, quae exprimitur per illud " *maius* „. Ratione ergo terminorum, quibus constant, principia ipsa analogationem habent. Et si quis huiusmodi analogiam non calleat, dum ab illis universalissimis principiis descendit ad exempla in variis materiis seu rerum generibus facienda, tunc aut exceptiones innumeras principiis apponit, aut prorsus illa vera esse negat. Ut enim negari debeat principium universalissimum sufficit dare instantiam in uno. Et putant quidam se instantiam dare quoties principium non eodem modo in hoc genere valet sicut in alio, dum tamen alio et alio modo in diversis generibus applicari debet principium quod terminis generalissimis exhibetur.

Serio ergo quaestio de Analogia, nobis nunc est pertractanda. Sed hic fatendum est quod ut mentem S. Thomae in hac quaestione assequamur, immediate apud ipsum non vero apud

eius discipulos doctrina ipsius erit nobis perquirenda. Nam omnes fere, in hac re secuti sunt Caietanum, qui, ut nobis videtur, doctrinam S. Thomae de analogia, aliquantulum obscuravit.

Melius ergo erit ad fontem ipsam immediate accedere: et quidem ad Summam Theologicam praecipue nobis erit recurrendum. Non enim videtur credibile S. Thomam, dum ex professo in Summa Theologica agit v. g. de analogia nominum quae dicuntur de Deo et de creatura, aliquid omisisse quod ad conceptum analogiae habendum foret omnino necessarium, vel sine quo, manca omnino et insufficiens foret de analogia (saltem quae intercidit inter Deum et creaturam) tractatio. Alia autem poterimus addere, quatenus fuerit opportunum, quae in aliis operibus habet: et sic eliminatis iis quae possent rectam S. Doctoris intelligentiam aut impedire aut impossibilem reddere (quandoquidem minimum quid, dissonum et alienum a mente Angelici, reddit impossibilem eius intelligentiam) satis perspicua, ut speramus, doctrina ipsius apparebit.

THESIS I.ª — 1º **Analogum est quod secundum proportionem aliquam dicitur de pluribus, idest secundum habitudinem ad unum;** 2º **quod potest esse vel tertium aliquod praeter analogata, vel alterum ex ipsis;** 3º **et hoc ultimum necessario contingit quandocumque analogia attenditur inter Deum et creaturam;** 4º **in qua etiam necessario aliter attenditur primum secundum rem et secundum cognitionem et nominis impositionem.** (Cfr. S. Th. 1ª p. q. 13; per totum).

551. Praenotanda. — Quatuor in propositione asseruntur:

1ᵘᵐ quod analogia est " proportio ad unum „, quod valet, quod in *omni* analogia invenitur ordo seu respectus ad unum, ita ut idem sit dici secundum analogiam et secundum respectum seu proportionem ad unum, cui reliqua sunt analoga secundum illam rationem, quae per nomen significatur. Ratio est quia sine hoc, nihil de analogia recte decerni posse videtur, et non posse intelligi, quae habet S. Thomas de ea, praesertim in posterioribus operibus: praesertim si ordo ad unum ponatur solum in aliqua analogia, quae dicatur esse per solam extrinsecam attributionem seu denominationem.

2ᵘᵐ quod *consequenter* divisio illa analogiae " *unius ad*

alterum „ et " *duorum ad tertium* „ non est ponenda sub attributione, sed sub analogia ut sic. Dico " consequenter „ quia ideo divisionem illam quidam relegaverunt sub attributione, quod in sola attributione putabant esse intrinsecum ordinem ad unum.

3um et 4um asseruntur praesertim relate ad analogiam, quae attenditur inter Deum et creaturam : proinde attende ad illud " *necessario* „.

552. Probatur 1a pars. — "*Analogia est proportio ad unum* „.

I. *Ex auctoritate S. Thomae ;* nam

a) " Dicendum est igitur, quod huiusmodi nomina dicuntur de Deo et creaturis secundum analogiam, idest proportionem.... Neque enim in his, quae analogice dicuntur, est una ratio, sicut est in univocis, nec totaliter diversa, sicut in aequivocis ; sed nomen quod sic multipliciter dicitur, significat diversas proportiones ad *aliquid unum* „. (1a p. q. 13 a. 5. — Cfr. etiam *ibid.* a. 6).

b) " Tertium est quod nomina de Deo et aliis rebus dicta non omnino univoce, nec omnino aequivoce dicuntur.... Dicuntur *igitur secundum analogiam, idest secundum proportionem ad unum* „ (*Comp. Theol.* c. 27).

c) " In pure aequivocis non dicitur aliquid de uno per respectum ad alterum. Omnia autem quae dicuntur de Deo et creaturis, dicuntur de Deo secundum aliquem respectum ad creaturas, vel e contrario.... Unde impossibile est, quod sit pura aequivocatio..... Et ideo aliter dicendum est, quod de Deo et creatura nihil praedicatur univoce ; non tamen ea quae *communiter* praedicantur, pure aequivoce praedicantur, sed analogice... (QQ. DD. *De Pot.* q. 7 a. 7).

d) " Sic igitur ex dictis relinquitur, quod ea quae de Deo et rebus aliis dicuntur, neque aequivoce, neque univoce praedicantur, sed analogice ; *hoc est secundum ordinem vel respectum ad aliquod unum* „ C. G. l. I. c. 34.

e) " . . . aliquid dicitur secundum analogiam tripliciter. Vel secundum intentionem tantum et non secundum esse ; et hoc est quando una intentio refertur ad plura per *prius* et *posterius,* quae tamen non habet esse nisi in uno ; sicut intentio sanitatis refertur ad animal, urinam et diaetam diversimode, secundum

prius et *posterius,* non tamen secundum diversum esse, quia esse sanitatis non est nisi in animali. Vel secundum esse..... (non facit ad rem).... Vel secundum intentionem et secundum esse; et hoc est quando neque *parificantur* in intentione communi, neque in esse, sicut ens dicitur de substantia et accidente; et de talibus oportet quod natura communis habeat aliquod esse in unoquoque eorum de quibus dicitur, sed differens secundum rationem *maioris vel* minoris perfectionis. Et similiter dico quod bonitas, et omnia huiusmodi dicuntur analogice de Deo et creaturis „ (1. D. 19. q. 5. a 2. ad 1.m)

Ex istis verbis patet omnino quod analogia essentialiter dependet ab hoc quod est dici " *secundum prius et posterius seu non parificari* „. Et de analogis secundum intentionem et secundum esse dicit quod *in talibus oportet quod natura communis habeat aliquod esse in unoquoque eorum sed differens* (nec quomodocumque differens sed) *secundum rationem maioris vel minoris perfectionis.* Atqui hoc quod est " *maius* „ vel " *minus* „ " *prius* „ vel " *posterius* „ " *par* „ vel " *impar* „ de pluribus dictum, important omnia respectum ad aliquod primum relative vel absolute. Ergo impossibilis est analogia seu proportio quae non sit ad unum. Et confirmatur: nam si de hoc quaero: est ne prius vel posterius? Reponis: respectu cuius? Si quaero an magis vel minus perfectum? Reponis: Quo? Si quaero an parificentur? iterum reponis: Cui? Ergo haec omnia important respectum ad unum. Ergo secundum S. Thomam ista analogia dicit ordinem ad unum. [1])

II. *Ex ratione.* — 1° Nomine quodam appello primo rem aliquam, et dein, eodem nomine, rem aliam simpliciter diversam. Hoc vel est a casu, vel a consilio; si primum, puram aequivocationem habeo; si secundum, est propter aliquam rationem. Sed haec ratio imponendi idem nomen rebus simpliciter diversis, non potest esse identitas rerum significatarum, quo in casu univocationem haberemus, quia supponimus res significatas eodem nomine, esse simpliciter diversas. Ergo debet esse aliquid aliud h. e. similitudo quaedam, vel quaelibet alia proportio aut

---

[1]) Cf. I p. q. 33 a. 2 ad 4m — *De Veritate* q. 2. a. 3. ad. 4.m

habitudo, sed numquam identitas. Si investigo quae proportio requiratur ad hoc ut possit rationabiliter imponi idem nomen pluribus rebus simpliciter diversis, invenio quod esse possunt habitudines diversissimae dummodo sint *ad unum ;* quia *sicut ratio unius non est nisi unum, ita etiam ratio imponendi unum nomen est aliquid unum.* Ergo ordo ad unum essentialiter habetur in omni analogia, h. e. in analogia considerata ut sic.

Declaratur argumentum exemplis. — Voco " hominem „ id quod nos oculis cognoscimus. Statim ac video picturam vel statuam, quae sint repraesentationes eius quod primo " hominem „ appellavi, et ipsis attribuo nomen " hominis „ Cur? quia pictura et statua habitudinem similitudinis habent ad illud cui primo *nomen hominis* imposui. In hoc casu quodnam est illud *unum,* cui habitudinem habent cetera omnia, quae, ut analogato, eodem nomine hominis nominantur? Est ly *" animal rationale „* quod cognoscimus. Substantiae materiali, quae primo cadit in mea apprehensione, impono nomen *" entis „* quia concipio illam ut aliquid cui competit esse. Deinde cuilibet alteri rei, quae, quamvis simpliciter diversa, adsimilatur substantiae materiali, in hoc quod est esse suo modo (non eodem modo) aliquid cui competit esse, impono idem nomen proportionaliter i. e. analogice ad ipsam materialem substantiam. Et sic illud *" unum „* cui cetera entia, secundum impositionem nominis, habitudinem habent, est ipsa substantia materialis, cui primo imposui nomen entis.

Idem dicas de nomine " sanum „ quod primo animali sano impono, et dein illis rebus omnibus quae, quomodocumque, habitudinem habent ad sanitatem animalis. Sanitas animalis in hoc casu est illud unum cui habitudinem habent cetera analogata.

2° Omnis proportio est ad unum; unde a S. Thoma *(5° Eth. l. 6)* definitur = *habitudo unius quantitatis ad aliam.* = Atqui omnis analogia dicit proportionem; nam analogia graece, idem sonat quod latine convenientia secundum proportionem; unde analogum idem est quod proportione respondens [1]). Ergo etc.

3° Analogum omne dicitur de analogatis secundum prius et posterius, secundum magis et minus. Atqui " maius „ et

[1]) Cf. S. Th. XII *Metaph.* l. 4.

" minus „ " prius „ et " posterius „ de pluribus dicta important respectum ad unum. Ergo etc. (cf. hic. S. Th.).

Probatur 2ª pars. — *(Unius ad alterum, duorum ad tertium).* Cum proportio omnis, et proinde omnis analogia necessario sit ad unum, dupliciter hoc contingere potest in nominibus, vel quia multa habent proportionem ad *unum extra seriem* eorum quae hic et nunc considerantur — ut si consideretur color sanus, medicina sana, locus sanus, aer sanus, etc. — vel in quantum unum duorum vel plurium quae consideratur, seu potius omnia reliqua quae considerantur et singula eorum habent *ordinem* et *proportionem ad unum ex his quae considerantur* — ut si consideretur medicina sana, color sanus etc., et animal sanum seu ad *unum intra seriem.* Ergo omnis analogia dividi potest in " *duorum ad tertium* „ et " *unius ad alterum* „.

Declaratur. — 1º Illud unum ad quod habetur proportio, aliquando est extra seriem eorum quae hic et nunc considerantur. V. g. voco sanam medicinam, sanum colorem; illud unum respectu cuius hae res dicuntur proportionaliter sanae, est *quid tertium* et *superius ipsis* in hac ratione analoga, scilicet est *sanitas animalis.* 2º Quandoque contra, illud unum est in serie eorum quae considerantur. V. g. impono nomen entis, boni, veri etc. Deo et creaturis; omnino evidens est quod non potest inveniri tertium aliquid superius et prius *secundum rem* per respectum ad quod sumant Deus et creaturae rationem entis vel boni etc.; sed ipse Deus est illud unum, secundum rem, per respectum ad quod, cetera omnia, secundum magis et minus dicuntur entia. In primo casu analogia dicitur " *duorum vel multorum ad tertium* „ in secundo " *unius ad alterum* „. [1])

---

[1]) Istae notiones inservire possunt ad melius intelligendum id quod dicitur de perfectionibus *simplicibus* ac *mixtis:* quamvis revera quaestio magis respiciat *modum significandi* quam diversas perfectiones; et ideo S. Thomas de iisdem agit ubi *de nominibus Dei.* Uno verbo: Omnis perfectio quae est in creatura (praescindendo a modo significationis) praeexistit in Deo? *Omnes omnino.* Eodem modo? *Nulla prorsus,* sed omnes eminenter. Et haec est responsio adaequata *quantum ad rem.* Sed oportet considerare modum nostrum *concipiendi et significandi* aut *nominandi:* et tunc sic est dicendum: nomen istud significat perfectionem quamdam: et hoc bene est: sed expri-

Audiatur S. Thomas (*De Pot.* q. 7. a. 7.) — " Et ideo aliter dicendum est, quod de Deo et creatura nihil praedicatur univoce ; non tamen ea quae communiter praedicantur, pure aequivoce praedicantur, sed analogice. Huius autem praedicationis duplex est modus. Unus quo aliquid praedicatur de duobus per respectum ad substantiam. Alius modus est, quo aliquid praedicatur de duobus per respectum unius ad alterum, sicut ens de substantia et quantitate. In primo autem modo praedicationis oportet esse aliquid prius duobus ad quod ambo respectum habeant, sicut substantia relate ad quantitatem et qualitatem ; in secundo autem non, sed *necesse est unum esse prius altero* „.

Probatur 3ª pars. — Omnis analogia quae attenditur in nominibus quae dicuntur de Deo et creaturis est *unius ad aliud* non *duorum ad tertium ;* quia, ut diximus in 2ª p., non datur tertium aliquod prius Deo et creatura per ordinem ad quod aliquid de Deo et creaturis dici possit. Proinde S. Thomas sic ait *(ibid)* " Et ideo cum Deo nihil sit prius, sed ipse sit prior creatura, competit in divina praedicatione secundus modus analogiae et non primus „. (En habes scopum huius distinctionis, et etiam habes quomodo haec non sit subdivisio solius attributionis).

Probatur 4ª pars. — Primum in analogatis, quod est illud unum per respectum ad quod ceteris imponitur idem nomen, potest attendi vel secundum impositionem nominis, vel secundum rem.

Primum secundum impositionem nominis est illud ex analogatis quod primo cadit in cognitionem. — (Primum nunc dico in ordine cognitionis vel *per se* secundum modum communem et connaturalem nostrae cognitionis ; vel *per accidens,* relate ad illum qui imponit nomen secundum quod ipse per accidens cognoscit — quod non cadit sub arte sed sub lege) — Sic v. g.

---

mit illam limitatam ad certum modum, an praescindit ab omni modo ? Si exprimit limitatam *ad certum modum* non est analogabilis ad Deum nisi per metaphoram. Si praescindit *ab omni modo,* analogabilis est etiam absque metaphora, et ideo praedicari poterit de Deo cum proprietate et exprimit quod Deus habet perfectionem illam *suo modo,* idest eminentissimo modo.

primo secundum nominis impositionem et ordinem cognitionis suscipit rationem entis quidditas rei materialis, quam primo cognoscimus, et reliqua omnia per respectum seu proportionem ab ipsam. Unde S. Thomas 1. p. q. 13. a. 1. ait " .... Secundum Philosophum voces sunt signa intellectuum, et intellectus sunt rerum similitudines. Et sic patet quod voces referuntur ad res significandas mediante conceptione intellectus. Secundum igitur quod aliquid a nobis intellectu cognosci potest sic a nobis potest nominari. Ostensum est autem supra quod Deus in hac vita non potest a nobis videri per essentiam, sed cognoscitur a nobis ex creaturis secundum habitudinem principii, et per modum excellentiae et remotionis. Sic igitur potest nominari a nobis ex creaturis „ (non aliter cf. etiam ad 2[m]) et a. 2. huius quaestionis ait " Cum igitur dicitur — Deus est bonus — non est sensus, Deus est causa bonitatis; vel Deus non est malus. Sed est sensus: " *id quod bonitatem dicimus in creaturis, praeexistit in Deo: et hoc quidem secundum modum altiorem* „. Secundum igitur modum nostrum concipiendi prius cognoscimus perfectionem aliquam in creaturis deinde hanc Deo attribuimus, non autem divinam quasi prius cognitam tribuimus creaturae.

Primum e contra *secundum rem* est illud, cui cetera analogata habent habitudinem seu proportionem, respectum naturalem. V. g. omnes fractiones naturaliter habitudinem seu respectum habent non ad tres septimas unitatis partes ($^3/_7$), sed ad unitatem cuius sunt fractiones; et omnes numeri non ad septem (7), sed ad unitatem respectum habent, cui accedunt vel a quo recedunt plus vel minus. Sic etiam, quamvis res cui primo impono nomen " *entis* „, sit substantia materialis quam primo cognosco, et per respectum seu proportionem ad ipsam imponam nomen " *entis* „ substantiae separatae et Deo; tamen secundum rem, illud primum per accessum ad quod, vel per recessum a quo, omnia alia habent *suo modo* rationem " *entis* „, est primum ens quod est primum secundum rem, scilicet Deus. Hic etiam nota quod sicut omnes fractiones naturalem relationem (rapporto) habent ad unitatem, quae fractio non est, sed quae tamen exprimi potest et ipsa ad modum fractionis $^1/_1$ unum divisum uno: sic etiam omnes illae res, diversae inter se, quae

habitudinem habent proportionalem ad proprium esse, diversam semper pro unaquaque earum, habent secundum prius et posterius habitudinem (rapporto) similitudinis ad Deum, qui proprie loquendo non est aliquid cui competit esse, seu quod habeat determinatam habitudinem cuiuscumque generis ad suum esse, sed est ipsum. Esse subsistens, quamvis possit considerari inter eius essentiam et eius esse habitudo omnimodae identitatis $^1/_1$ unum divisum uno. [1])

553. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Etiamsi non ponatur ordo ad unum in analogia ut sic, non impeditur intellectio S. Thomae. Ergo non est recedendum a doctrina Caietani, et ceterorum Thomistarum, qui ponunt ordinem ad unum, tantum in analogia *secundum intentionem et non secundum esse,* quam ipsi vocant attributionis.

Resp. *N. assertum.* — Nam si statuitur v. g. quod in sola analogia attributionis invenitur ordo ad unum, quandocumque invenies S. Thomam loquentem de aliqua analoga ratione, quae de Deo et creatura dicatur, sed secundum ordinem creaturae ad Deum, vel de analogia, quae dicitur unius ad alterum, necessario putabis agi de analogia attributionis. Sed iterum statuitur quod quando agitur de huiusmodi analogia, ratio significata per nomen est intrinseca uni tantum, in reliquis solum habetur extrinseca quaedam denominatio. Iamvero S. Thomas perpetuo asserit omnia entia dici per ordinem ad unum primum ens; erit ergo ratio entis intrinseca uni tantum, reliqua dicuntur entia solum per extrinsecam denominationem; quod est omnino absonum.

Ob. 2ª. Quando S. Thomas asserit omnia entia dici per ordinem ad unum primum ens, tunc ens sumit in vi participii ut significat ipsum esse. Atqui ens hoc modo sumptum est intrinsecum uni tantum. Ergo nullum inconveniens si ordo ad unum attendatur tantum in analogia attributionis.

Resp. *N.M.* Nam 1º quod gratis asseritur, gratis negatur. 2º nisi velis contendere S. Thomam in illis locis nihil concludere, debes admittere quod non agitur de ente participialiter

---

[1]) Confirmatur demonstratio auctoritate S. Thomae. C. G. l. 1. c. 34.

sumpto, sed de ratione entis nominaliter connotative sumpta, quae intrinseca est, omnibus analogatis. 3° apud S. Thomam etiam tunc quando agitur de ratione aliqua quae intrinsece inest pluribus, et non per extrinsecam tantum denominationem pluribus attribuitur, debet nihilominus ratio illa attendi in illis pluribus secundum prius et posterius, per accessum ad primum aliquod, sive secundum nominis impositionem, sive secundum rem cum agitur de ratione analoga. Ergo etiam in analogia secundum intentionem et secundum esse attenditur ordo ad unum. Aperias S. Thomam ubicumque, praesertim in Summa Theol., agit de nominibus Dei vel de attributis divinis, et videbis hanc considerationem necessariam. En verba S. Doctoris (C. G. l. 1. c. 34): " Sic igitur... ea quae *de Deo et rebus aliis dicuntur* neque aequivoce neque univoce praedicantur, sed analogice; hoc est *secundum ordinem vel respectum ad unum.* Quod quidem dupliciter contingit; Uno modo secundum quod multa habent respectum ad aliquid unum .... Alio modo, secundum quod duorum attenditur ordo vel respectus non ad aliquid alterum sed ad unum ipsorum .... Huiusmodi ergo nomina (omnia quae dicuntur de Deo et creaturis) de Deo et creaturis aliis non dicuntur analogice secundum primum modum, oporteret enim aliquid Deo ponere prius; sed secundo modo „. — En habes aperte quod omnis analogia importat ordinem seu respectum *ad unum;* et consequenter quod omnis analogia potest subdividi in eam quae est duorum ad tertium et unius ad alterum ut posuimus in thesi.

Ob. 3ª. Analogia secundum intentionem et secundum esse dicitur analogia proportionalitatis. — Atqui analogia proportionalitatis, potest stare sine respectu *ad unum:* nam proportionalitas definitur a S. Thoma (5. *Eth.* l. 5): " aequalitas proportionum, cum scilicet aequalem proportionem habet hoc ad hoc, et illud ad illud „ — Ergo non omnis analogia importat habitudinem ad unum.

Resp. *Transeat maior* — *D.m.* proportionalitas *transeat* — analogia proportionalitatis, *N.m. Ad rationem additam D.:* et S. Thomas definit proportionalitatem tantum *C.;* definit analogiam proportionalitatis *N.* — *N.C.*

Nam omnis analogia, ut vidimus, dicit necessario propor-

tionem. — Quod S. Thomas (*De Verit.* q. 2. a. 11.) de analogia proportionis et proportionalitatis habet, non est contra nos : ibi enim Angelicus facit quandam particularem considerationem. Dicit nempe quod *aliquid dici secundum analogiam idem est ac dici secundum proportionem.* Convenientia enim secundum proportionem potest esse duplex : ... est enim (I°) quaedam convenientia inter ipsa quorum est ad invicem proportio (nempe habitudo) eo quod habent determinatam distantiam, vel *aliam habitudinem* ad invicem, sicut binarius cum unitate, eo quod est eius duplum. Convenientia (II°) etiam quandoque attenditur duorum ad invicem inter quae *non sit proportio* (intellige — habitudo — ; dixit enim supra quod et ista est subdivisio convenientiae *secundum proportionem*), sed magis similitudo duarum ad invicem proportionum : sicut senarius convenit cum quaternario ex hoc quod sicut senarius est duplex ternarii, ita quaternarius est duplex binarii. Prima ergo convenientia est *proportionis, secunda autem proportionalitatis.* Ex quibus verbis patet quod *proportio ad unum* (quae est analogia ut sic) potest haberi vel *propter proportionem* seu habitudinem *unius* directe ad aliud (et haec vocatur analogia proportionis simpliciter), vel propter similitudinem unius habitudinis (seu proportionis) cum alia (et haec vocatur analogia proportionalitatis). In ista ergo, *proportio ad unum* non resultat ex habitudine unius ad aliud (sicut binarii ad unitatem), sed ex *similitudine* unius habitudinis ad aliam (sicut habitudinis senarii cum ternario ad habitudinem quaternarii cum binario), ita tamen ut semper verificetur quod una habitudo sit illa per ordinem ad quam ceterae omnes dicuntur ; insuper in hoc ipso loco affirmat analogiam importare proportionem, ut patet.

Ob. 4ª. Quando S. Thomas agit de analogia inter Deum et creaturas, loquitur solum de nominibus quae significant perfectionem aliquam eo modo quo in Deo. Atqui talia nomina, creaturis attribui non possunt nisi secundum extrinsecam denominationem. — Ergo etc.

Resp. *Nego Antecedens.* Nam prius cognoscimus perfectiones creaturarum et ex effectu Deum nominamus. Considera v. g. haec verba S. Thomae (C. G. l. 1. c. 34) : " In huiusmodi autem

analogica praedicatione, ordo attenditur (quandoque) idem secundum nomen et secundum rem, quandoque vero non idem. Nam ordo nominis sequitur ordinem cognitionis, quia est signum intelligibilis conceptionis. Quando igitur id quod prius est secundum rem, invenitur etiam cognitione prius, idem invenitur prius et secundum nominis rationem et secundum rei naturam. Sic substantia prior est accidente *natura,* in quantum substantia est causa accidentis; et *cognitione* in quantum substantia in definitione accidentis ponitur. Et ideo ens dicitur prius de substantia quam de accidente et *secundum naturam* et *secundum nominis rationem.* Quando vero illud quod est prius secundum naturam, est posterius secundum cognitionem, tunc in analogicis non est idem ordo secundum rem et secundum nominis rationem.... Sic igitur quia ex rebus aliis, in Dei cognitionem pervenimus, res nominum de Deo et rebus aliis dictorum per prius est in Deo secundum *suum modum,* sed ratio nominis per posterius: unde et nominari dicitur a suis causatis. „ Tantum abest a mente S. Thomae quod nomina per prius imposita ad significandam perfectionem divinam, per meram extrinsecam denominationem attribui soleant creaturis, saltem communiter. [1])

Ob. 5ª. S. Thomas quandocumque affirmat analogiam esse secundum habitudinem ad unum, semper vel fere semper affert ut exemplum — *analogum sanum* — quod dicitur de medicina, de cibo, de colore, de animali secundum prius est posterius. — Atqui tale exemplum non habet locum nisi in analogia secundum intentionem et non secundum esse — (analogia attributionis) — ergo ordo ad unum non datur nisi in analogia secundum intentionem tantum.

---

[1]) Cf. S. Thom. 1. p. q. 13. a. 6. Dixi — saltem communiter — ad excludendas quasdam specialissimas considerationes secundum quas res v. g. bonae vel verae dicantur a bonitate vel a veritate divina: ut revera facit S. Thomas 1. p. q. 6. a. 4; et q. 16. a. 6. Porro sicut generatim omnino absonum est affirmare universaliter id quod tantum valet de aliquo particulari in quantum tali, h. e. inquantum consideratur sub aliqua specialissima ratione; ita profecto absonum est affirmare de analogia ut sic, id quod S. Thomas solum affirmat de aliquo casu specialissimo inquantum tali.

Resp. *C.M.* — *C.m.* et *N.C.* — Manifestum est enim quod si loquendo v. g. de aliquo genere, exemplum fero, hoc erit de aliqua specie ; si de specie, exemplum erit de aliquo individuo ; si de genere analogo, exemplum de necessitate erit unum ex analogatis, quae sub analogatione veniunt. Porro sicut si loquendo de animali ut sic, ferrem pro exemplo canem, concludendum non esset me ergo agere de bruto et non de animali ut sic ; ita non esset concludendum ex analogo = *sanum* = quod S. Thomas fert agendo de analogia, quod ipse agat de analogia secundum intentionem tantum, et non de analogia ut sic ; quia res aliter contingere potest. Cur autem S. Thomas praeferat analogum *sanum* ad exemplum, ratio est quia in hoc, clarior est ordo ad unum, quem importat omnis analogia.

554. Corollarium. — *In omnibus nominibus quae de pluribus analogice dicuntur, necesse est quod omnia dicantur per respectum ad unum ; et ideo illud unum oportet quod ponatur in definitione omnium.* — (S. Thomas I. p. q. 13. a. 6. et C. G. l. 1. c. 32.)

Manifestum enim est quod quandocumque aliqua res secundum suam essentiam importat habitudinem ad unum, illud unum oportet quod ponatur in definitione eius : definitio enim debet aperire essentiam rei. — Atqui analoga cuiuscumque speciei important habitudinem ad unum secundum quod ipsa, ut vidimus Ergo etc.

Audiatur S. Thomas (I. p. q. 13. a. 10.) — " Univocorum est omnino eadem ratio, aequivocorum est omnino ratio diversa ; in analogicis vero oportet quod nomen secundum unam significationem acceptum ponatur in definitione eiusdem nominis secundum alias significationes accepti ; sicut ens de substantia dictum, ponitur in definitione entis secundum quod de accidente dicitur ; et sanum dictum de animali, ponitur in definitione sani secundum quod dicitur de urina et de medicina. Huius enim sani quod est in animali, urina est significativa, et medicina factiva . . . Et sic manifestum est quod alia et alia est significatio nominis, sed *una illarum significationum clauditur* in significationibus aliis „.

555. Nota. — Cum definitio fiat ex notioribus v. g. cum declaramus quomodo Deo competit aliquid, in definitione eius

quod Deo competit ponitur id quod est in creatura unde assurgimus ad cognitionem aliquam perfectionis divinae. Unde cum dico : Deus est sapiens, Deus est vivens, sensus est : id quod sapientiam vel vitam dicimus in creaturis, praeexistit in Deo et infinite excellentius. Unde est quod etiam cum vult S. Thomas determinare de vita Dei, vel de divina sapientia semper praemittit conceptum proprium horum ut sunt in creaturis a quibus analogamus ad Deum.

THESIS II[a]. — Analogia 1° nominis identitatem importat; 2° rationis vero a nomine significatae, diversitatem simul cum identitate ; 3° diversitatem nempe simpliciter et identitatem secundum quid.

556. **Probatur 1[a] pars.** — Ratio est quia analogia non secus ac univocatio et aequivocatio, intentio quaedam secunda est, quae *rebus tribuitur secundam quod vocibus significantur,* nec analogia haberi potest nisi per ordinem ad nomen aliquod commune quod pluribus tribuatur secundum proportionem aliquam ; analogia enim graece, latine proportio dicitur.

Probatur 2[a] pars. — Ratio est quia si haberetur diversitas tantum sine ulla identitate cuiuscumque generis, haberetur aequivocatio pura : si vero non haberetur ulla diversitas haberetur pura univocatio.

Probatur 3[a] pars. — Analoga nequeunt in ratione significata per nomen esse simpliciter eadem et simpliciter diversa : cum hoc contraddictionem involvat, sicut manifestum est. Neque dici possunt esse nec simpliciter eadem, nec simpliciter diversa, sed secundum quid eadem et secundum quid diversa : unumquodque enim oportet, ut habeat proprium esse simpliciter, sicut aperte constat. Quaestio igitur esse potest utrum dicenda sint simpliciter diversa et secundum quid eadem, an potius simpliciter eadem et diversa secundum quid. Verum adverti debet quod ea, quae simpliciter sunt eadem habent aequalitatem, quam aequalitatem non tollit diversitas secundum quid. Sed ea quae inter se dicuntur habere proportionem, cuiusmodi sunt analoga, oportet ut aequalitatem non habeant ; nam proprie loquendo proportio in illis invenitur, in quibus simpliciter praesupponitur inaequalitas. Ergo analoga non possunt esse simpliciter eadem

et diversa secundum quid; sed debent esse simpliciter diversa, et solum secundum quid eadem. Et hoc est dicere quod analogia, in ratione quae significatur per nomen, importare debet diversitatem simpliciter et secundum quid identitatem.

557. Scholion 1° — *Analogia logica, seu proprie dicta, distinguenda ad analogia physica seu improprie dicta.* — Analogia quae a Thomistis vocatur physica illa est quae a S. Thoma dicitur — *secundum esse et non secundum intentionem* — et attenditur inter ea quae tantum secundum esse important diversitatem et identitatem quandam, secundum intentionem vero important omnimodam identitatem ac proinde simpliciter — univoca — dici debent. Audiatur S. Thomas (1. D. 19. q. 5. a. 2 ad I^{m}.) " Aliquid dicitur secundum analogiam tripliciter. Vel secundum intentionem etc.... Vel secundum esse, et non secundum intentionem; et hoc contingit quando plura parificantur in intentione alicuius communis, sed illud commune non habet esse unius rationis in omnibus, sicut omnia corpora parificantur in intentione corporeitatis „ luxta S. Thomam haec analogia non ad quaecumque extenditur, sed ponebatur pro corporibus incorruptibilibus, quae in desuetudinem abierunt. Quod ita sit, patet ex istis verbis S. Thomae quae, l. c. immediate subsequuntur iam relata. " Unde logicus qui considerat intentiones tantum, dicit hoc nomen corpus de omnibus corporibus univoce praedicari: sed *esse huius naturae* non est eiusdem rationis in corporibus *corruptibilibus et incorruptibilibus.* Unde quantum ad Metaphysicum et Naturalem, qui considerant res secundum suum esse, *nec hoc nomen corpus nec aliquid aliud dicitur univoce de corruptibilibus et incorruptibilibus* „ quia nempe genus sumitur a materia, et haec iuxta veteres non communicabant in materia sensibili.

558. Scholion. 2° — *Analogia logica importat diversitatem cum identitate secundum intentionem, idest secundum primam intentionem obiectivam exhibitam per nomen.* — Ratio est quia logicus, qui considerat per se solas intentiones, non habet pro analogis nisi ea quae ipsa sua intentione univocationem excludunt, et diversitatem continent cum quadam identitate; proinde analoga definiri possunt: — quorum nomen commune est, ratio

vero per nomen significata simpliciter diversa, et eadem secundum quid.

THESIS III[a] — Analogia, ut sic, bene dividitur in analogiam "secundum intentionem tantum et non secundum esse„ seu "attributionis„ et in analogiam "secundum intentionem et secundum esse„ seu "proportionalitatis„.

559. Praenotio. — Cum thesis ista desumpta sit ex S. Thoma (I. D. 19. q. 5. a. 2. ad 1[m].), ad eius intellectionem, oportet ostendere, 1° quomodo in analogia attributionis inveniatur diversitas ed identitas secundum intentionem tantum, et 2° in analogis proportionalitatis tum secundum esse, tum secundum intentionem.

560. I. **Explicatur analogia "secundum intentionem tantum et non secundum esse„ nempe attributionis.**

Audiatur S. Thomas:

" Ad primum igitur dicendum, quod aliquid dicitur secundum analogiam, tripliciter. Vel *secundum intentionem tantum et non secundum esse:* et hoc est quando una intentio refertur ad plura secundum prius et posterius, quae tamen non habet esse nisi in uno; sicut intentio sanitatis refertur ad animal, colorem et diaetam diversimode secundum prius et posterius; non tamen secundum diversum esse, quia esse sanitatis non est nisi in animali „ *(ibid).*

Ad huius loci declarationem oportet ostendere quid proprie significetur per nomen analogum analogia attributionis. Dicimus ergo:

1° Nomen analogum analogia attributionis, v. g. *sanum,* non significat proprias naturas analogatorum, v. gr. medicinae, coloris, animalis, absolute consideratas. Nam nulla unitas datur, qua secundum quid conveniant illae rationes; et sic nomen esset mere aequivocum.

2° Neque significat illas naturas respective, nempe secundum respectum, quem dicunt, ad unam formam sanitatis. Nam tunc nullo modo ipsa analogia dici posset secundum intentionem tantum, cum et illae naturae sint reales et realiter diversae, et realiter habeant intrinsecas habitudines ad unam formam sanitatis. Praeterea si quis interrogetur, quid intelligat cum me-

dicinam sanam vocat, nemo dicet se essentiam medicinae velle significare neque absolute neque respective.

3° Neque significat ipsas habitudines analogatorum, quae sunt invicem diversae, sed identificantur in termino, quia adhuc explicari non posset quomodo tunc diversitas et identitas non accipiatur secundum esse, sed tantum secundum intentionem. Verum quidem est, quod si quis interrogetur, cur vocet sanam medicinam respondebit fortasse; " *quia iuvat sanitatem* „: sed tunc per ly *quia* non assignabit nisi rationem tribuendi medicinae nomen sanitatis, non vero ipsam rationem, quae per tale nomen significatur.

4° Neque dicendum est absolute, quod per tale nomen analogum exprimatur tantum forma, quae est in principe analogo, puta quod nomen *sani* in allato exemplo exprimat solam sanitatem animalis. Nam, cum sanitas sit una intentio, non assignantur plures rationes simpliciter diversae, quae tamen ad analogiam omnino requiruntur. Secus, cum *sanum* dicitur de colore et medicina, aut est merum nomen, quod attribuitur ipsis sine ulla significatione, et hoc est absonum; aut est eadem sanitas omnino, quae est in animali, et tunc videtur univocum nomen illud, non analogum.

5° Sed dicendum, quod nomen analogum hac analogia significat formam ipsam, quae est in uno tantum, puta sanitatem animalis, sed *secundum prius et posterius,* idest secundum quod per prius invenitur in ipso animali, et denominative et quodammodo diminute in ceteris. Nam si bene consideretur quid fiat ab intellectu, cum secundum analogiam attributionis aliqua denominat, patebit quod nomen primo impositum ad significandum formam, quae est in uno tantum, transfertur ad alia quae non habent talem formam, fere sicuti in metaphora accidit, sed non cum eodem fundamento, nec omnino eodem modo. Nam in metaphoris transfertur nomen ab uno in aliud *propter similitudinem* quandam imperfectam et proportionalem, quam hoc habet ad illud, sicuti cum Christus dicitur *Leo* propter similitudinem, qua secundum quandam proportionalitatem refertur ad fortitudinem leonis. Nomen autem metaphoricum dictum de aliquo significat, etsi non vi primae impositionis, ra-

tionem intrisecam in illo: sicut v. g. *Leo* dictus de *Christo* significat eius divinam fortitudinem, et *ridens* dictum de *prato* significat eius amaenitatem, quae intrinsece ei inest a parte rei et non per operationem intellectus. At contra, cum nomen *sani* derivatur ab animali in *medicinam* vel *colorem,* fundamentum translationis nominis non est similitudo ulla medicinae vel coloris cum animali sano, sed sunt aliae diversae relationes medicinae vel coloris ad sanitatem animalis, in quantum nempe prima est eius restaurativa, alter mere significativus. Et nomen *sanum,* dictum de colore vel medicina, non significat illas relationes sed *aliqualem sanitatem denominativam,* quae intelligitur proveniens a sanitate animali *propter relationem,* quam dictae res habent ad ipsam.

6º Et confirmatur: nam intellectus non derivat sanitatis nomen ab animali in alia, quibus illud nomen communicat, quin ipsam formam, quae tali nomine significatur, etiam concipiat communicari minoribus analogatis; et sicut nomen his per posterius communicat, sic et formam significatam. Sed hoc ipso, quod forma ipsa concipitur *per posterius* derivari ad minora analogata, iam non potest concipi ut eadem omnino, quae est in principe analogo, sed quasi participata et diminuta et diversa proportionaliter ad diversitatem relationum, quae sunt ratio et fundamentum derivationis nominis et intentionis significatae ad varias res analogas.

7º Et ut melius intelligatur modus, quo procedit intellectus in concipiendo huiusmodi analogiam, iuverit revocare in mentem, quomodo ipse intellectus procedat in cognoscendis univocis. Quae enim univoca sunt, dicunt inter se a parte rei aequales relationes perfectae similitudinis, seu sunt perfecte similia secundum essentiam vel secundum aliquem essentialem gradum. Hinc intellectus desumit fundamentum concipiendi illa tanquam communicantia in aliqua natura, quae sit perfecte una et eadem. Contra, quae sunt analoga attributionis, non sunt similia secundum essentiam importatam per nomen analogum, sed tamen a parte rei ad talem formam diversis habitudinibus referuntur, et sic quodammodo unificantur in hoc, quod diversimode spectent ad unum ordinem, sicuti *medicina, color, diaeta* realiter spectant

ad ordinem sanitatis: et sanitas una numerò est *forma inhaereus animalis,* et est *effectus medicinae,* et est *significatum coloris.* Propter istam unificationem diversarum relationum in termino, communicat intellectus illam rationem, quam diversa analogata spectant, intendendo et referendo quasi communem pluribus rationem illam, v. g. sanitatem, quae non habet esse nisi in uno, ita tamen ut *per prius* talem rationem ponat in eo, in quo reipsa est, et *per posterius* (ideoque quasi diversam et diminutam, scil. participatam secundum intentionem) in aliis. Resultat ergo quaedam communitas, *non simpliciter* ut in univocis, sed *secundum quid;* quod exprimitur a S. Thoma per illa verba: " *Una intentio refertur ad plura per prius et posterius, quae tamen non habet esse nisi in uno* „.

8° Hinc patet, quomodo in analogis attributionis, identitas et diversitas non inveniatur secundum esse, sed tantum secundum intentionem: tantum enim secundum intentionem, et nullo modo secundum esse, habetur diversitas et identitas *rationis, quae per nomen importatur.* Rationes enim simpliciter diversae et secundum quid eaedem, quae importantur per nomen analogum, sunt: 1° forma, quae proprie est solummodo in principe analogo; 2° diversae rationes denominativae, quas intellectus apprehendit in minoribus analogatis propter eorundem relationes ad formam, quae est in principe. Sic v. g. nomen *sanum* significat: 1° quandam animalis dispositionem cui proprie et primo nomen sani impositum est; 2° Cibi, medicinae, coloris sanitates, quae intelliguntur provenientes diversimode ad diversa a sanitate animalis, propter relationem quam dictae res habent ad ipsam. Ex quo patet, quod tales diversae sanitates denominativae habent unitatem *in intentione,* eo quod omnes sint aliquales sanitates seu participationes denominativae illius eiusdem sanitatis numero unius, quae est in principe, et quodammodo illa sint diversimode comunicata.

561. II. **Explicatur analogia secundum intentionem et secundum esse, nempe proportionalitatis.**

Prosequitur S. Thomas *ibid.*:

" ... vel secundum intentionem et secundum esse; et hoc est quando neque parificantur in intentione communi, neque in

esse, sicut ens dicitur de substantia et accidente, et de talibus oportet quod natura communis habeat aliquod esse in unoquoque eorum, de quibus dicitur, sed differens secundum rationem maioris vel minoris perfectionis „. Nempe :

1° In huiusmodi analogis diversitas rationum magis vel minus perfectarum datur tum secundum esse, tum secundum intentionem. Est igitur natura analoga hac analogia communis seu una secundum quid, quia existit *suo modo* magis vel minus perfecta in analogatis, proportionaliter ad aliqua singulis respondentia. Sic *ens* significat essentiam in concreto, connotando esse. At essentia, quae significatur, est in singulis diversa simpliciter secundum esse et etiam in intentione, eadem tamen proportionaliter seu respective ad esse in utroque ordine, quia tum in intellectu tum in re ita se habet essentia accidentis ad suum esse, sicut essentia substantiae ad suum.

2° Hinc haec analogia vocatur *analogia proportionalitatis,* quia fundatur in similitudine proportionum, quas plura diversa habent ad aliquid, quod singulis respondet diversum.

3° Semper tamen et in hac analogia habetur ordo ad unum, quia omnes proportiones pendent ab una prima, et primum semper attenditur secundum ordinem cognitionis nostrae et impositionis nominis.

4° Dividitur haec analogia in *propriam* et *impropriam.* Si intervenit aliqua metaphora in nomine analogo dicto de pluribus secundum intentionem et secundum esse, tunc est analogia impropria, si secus est propria. Audiatur S. Thomas (1. p. q. 13. a. 6). " ... Sic ergo omnia nomina quae metaphorice de Deo dicuntur, per prius de creaturis dicuntur quam de Deo ; quia dicta de Deo nihil aliud significant quam similitudines ad tales creaturas. Sicut enim *ridere* dictum de prato nihil aliud significat quam quod pratum similiter se habet in decore, cum floret, sicut homo cum ridet, secundum similitudinem proportionis, sic nomen " *leonis* „ dictum de Deo, nihil aliud significat quam quod Deus similiter se habet ut fortiter operetur in suis operibus, ut leo in suis „. E contra cum plura dicuntur entia, nulla intervenit metaphora, ac proinde analogia est propria.

562. Scholion 1° — *Respectu diversarum intentionum, unum*

et idem potest esse analogum analogia secundum intentionem tantum et analogia secundum intentionem et secundum esse.

Nam nihil obstat quod v. g. *ens* sit analogum utroque modo secundum diversam considerationem nominis. Nam si sumitur *nominaliter connotative,* est analogum secundum intentionem et secundum esse ; si participialiter, est analogum secundum intentionem tantum.

563. Scholion 2° — *In omni analogia, analogum stat pro famosiori significato.* — Nam omnis analogia dicit ordinem ad unum. Hinc illud unum pro quo stat famosius significatum, vocari potest " *principale analogum* „ vel " *princeps analogum* „ cetera vero " *minora analogata* „. — Unde S. Thomas dicit: " Quando aliquid dicitur absolute, intelligitur de eo quod simpliciter est, sicut ens absolute dictum significat substantiam „. (1. D. 9 q. 1. a. 1. ad 2.m)

564. Obiectiones. — **Ob. 1a.** Analoga attributionis definiuntur a S. Thoma in 12 *Metaph.* lect. 8a " quorum nomen est commune, ratio vero substantiae secundum illud nomen, est eadem secundum terminum et diversa secundum habitudines ad illum „. Atqui ista definitio videtur importare quod ratio ipsa significata per nomen respiciat diversas habitudines analogorum ad unum. Ergo falsum est quod ratio per nomen significata sit ipsa ratio quae ab uno est diminuta et derivata in cetera.

Resp. *C.M.* — *D.m.:* idest ratio significata per nomen est eadem quodammodo et diversa respondenter ad diversas habitudines *plurium ad unum C.m.;* ratio significata identificatur cum praedictis diversis habitudinibus *N.m.* — *N.C.* Definitio praedicta non est intelligenda quasi diversae rationes quae per nomen analogum importantur, sint ipsae reales habitudines analogorum ad unum et multo minus illae res quae habent tales habitudines, sed sic ut ratio per nomen significata v. g. sanitas quae tribuitur animali et medicinae et colori sit *eadem propter* identitatem termini talium relationum, et sit *diversa quia* diversimode concipitur se extendere ad analogata *secundum,* nempe, *propter* diversum fundamentum, quod quidem fundamentum sunt diversae relationes in singulis analogatis ad eundem terminum. Definitio igitur est optima, sed rite in ea intelligenda est par-

ticula illa *secundum,* et idem dicendum de similibus locutionibus quae adhibentur circa analoga attributionis ad manifestandum quomodo ratio per nomen importata, se habeat a parte rei, et quodnam sit fundamentum communitatis *secundum quid* talis rationis, quae communitas ab intellectu fit proportionaliter ad fundamentum.

Ob. 2ª. Dictum est quod in analogis attributionis ratio per nomen significata, est intrinseca in uno tantum et in aliis per meram denominationem extrinsecam. Atqui secundum explicationem datam in thesi, omnibus analogatis intrinsece inest ratio quaedam diversimode derivata ab uno (e. g. diversae sanitates in medicina colore etc.). Ergo data explicatio est falsa.

Resp. *D.M.* Intrinsece inest in *uno tantum* ratio propria ac primo per nomen significata *C.M.;* ratio diminuta et derivata ab illo *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* Advertendum est quod per meram *denominationem extrinsecam* non debet intelligi mera communicatio nominis formae extrinsecae, sed simul cum communicatione nominis, quaedam communicatio formae ipsius per nomen significatae, quae tamen in minoribus analogatis non est nisi per rationem, et est forma denominativa atque impropria relate ad veram et propriam quae est intrinseca in solo principe analogo.

Ob. 3ª. Secundum S. Thomam, analoga omnia attributionis, talia sunt per *unam numero formam.* Atqui hoc non potest dici si in singulis analogatis, intrinsece inesset diversa forma seu ratio derivata a primo. Ergo falsa iterum est haec positio.

Resp. *D.M.:* Et per illud *una numero forma* intelligitur fundamentum analogiae, seu forma quae secundum esse non est nisi in uno et est causa ut alia a se denominentur *C.M.;* intelligitur forma derivata *Sbd,* dummodo intelligatur una unitate secundum quid *C.M.:* unitate simpliciter *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* — Ut dicit S. Thomas (1ª 2ae q. 20. a. 3º ad 3m) " Quando aliquid derivatur ab uno in alterum secundum analogiam vel proportionem, tunc est tantum *unum numero:* sicut a sano quod est in corpore animalis derivatur forma ad medicinam et colorem; nec alia sanitas est medicinae et colori quam sanitas animalis, quam medicina facit et color significat „. Tamen etiam

in intellectu et vi analogiae dici potest aliquo modo forma significata per nomen esse una numero, id est una numero *unitate secundum quid* in quantum nempe eadem est numero forma v. g. sanitas animalis quae per intellectum *refertur ad plura,* quamvis diversimode et ideo ut simpliciter diversa. Sanitas enim animalis concipitur esse sanitas denominativa medicinae ita ut haec dicatur *certo modo* sana eo quod sanitas animalis est quam medicina facit; et sanitas animalis concipitur ut sanitas denominativa coloris ita ut hic *alio modo* dicatur sanus eo quod sanitas animalis est quam color significat. Et sic eadem sanitas animalis concipitur quasi simpliciter multiplex propter varias relationes ad multa, sicut multiplex concipitur punctum eo quod terminat plures lineas; et ideo secundum varias relationes concipitur ut sanitas *diversa* denominativa uniuscuiusque analogati, excepto principe, in quo concipitur ut sanitas formalis; et ipsa eadem sanitas concipitur ut *secundum quid una* in omnibus, quia eadem est quae informat in animali, et in colore denominat uno modo et alio modo in cibo vel medicina.

THESIS IV.ª — 1º **In analogia attributionis, ratio per nomen significata invenitur intrinsece in uno tantum, in reliquis vero per extrinsecam denominationem;** 2º **in analogia autem proportionalitatis invenitur intrinsece in omnibus.**

565. **Probatur 1ª pars.** — Nam in hac analogia, ut dictum est, ratio significata per nomen invenitur in pluribus secundum prius et posterius, quatenus ab uno derivatur quodammodo ad cetera. Ergo tantum unum habet ad rationem significatam per nomen, habitudinem proprii subiecti. Atqui tantum id, quod habet ad aliquam rationem habitudinem proprii subiecti, ab illa denominatur *intrinsece.* Ergo in analogia attributionis, unum tantum denominatur intrinsece a ratione significata per nomen: reliqua vero per extrinsecam denominationem.

Probatur 2ª pars. — Nam analogia proportionalitatis non est secundum intentionem tantum, sed est etiam secundum esse. V. gr. ratio *entis* intime pervadit unumquodque analogatorum; diversa tamen simpliciter pro unoquoque et eadem secundum quid, h. e. non solum propter proportionem, quam unumquodque habet ad proprium esse, sed etiam propter habitudinem di-

versam, quam unumquodque de necessitate habet ad unum. Unde etiam iterum patet, quod analogum secundum intentionem et secundum esse, non secus ac analogum secundum intentionem tantum, dicitur de analogatis secundum prius et posterius, secundum magis et minus, ac proinde ordine quodam importat propria analogata, et *non importat aeque immediate omnia,* scilicet primum importat illud unum, ad quod omnia analogata dicunt ordinem, postea cetera omnia, ordine quodam.

566. Nota. — In analogia metaphorica, ut patet, ratio *proprie* significata per nomen non invenitur intrinsece nisi in uno tantum : in omnibus vero metaphorice analogatis intrinsece inest ratio quaedam proportionaliter similis illi, quae proprie non inest nisi uni. Sic nullus dicit, quod ratio *propria risus* intrinsece insit in *prato;* sed revera prato inest *intrinsece* aliqualis risus metaphorice dictus, scil. similitudinarius.

567. Corollarium 1° — *Analogum, in analogia secundum intentionem tantum, distinguitur simpliciter ab analogatis minoribus, et secundum quid a principe analogo. In analogia vero secundum intentionem et secundum esse, distinguitur ab analogatis solum secundum quid.* — Ratio primi est, quia ratio per nomen significata in analogia attributionis est extrinseca minoribus analogatis, et ea extrinsece tantum denominat. Sed quod est extrinsece denominans distinguitur simpliciter ab illis, quae denominantur. Ergo. Ratio secundi est, quia princeps analogum in analogia attributionis habet intrinsece rationem significatam. Unde ex. gr. *sanum* non potest simpliciter distingui ab *animali sano.* Tamen analogum minus clare exhibet id, quod dicit principale analogatum : *sanum* enim ex. gr. minorem determinationem habet in conceptu quam *animal sanum.* Unde potest analogum a principali analogo distingui *secundum quid,* ratione scilicet diversi modi concipiendi. Ratio tertii est, quia analogata exhibent suas entitates absolute sumptas in seipsis; analogum vero exhibet has ipsas entitates, sed sumptas prout proportionabiliter sibi respondent ; seu non secundum eorum absolutam rationem, sed secundum rationem proportionalem. Sic ex. gr. *substantia* et *accidens* dicunt absolute entitates diversae rationis : *ens* autem dicit substantiam ipsam et accidens secundum quod habent pro-

portionalitatem. Porro quaelibet ratio sumpta proportionabiliter ad alias non differt *simpliciter* a seipsa sumpta absolute, sed differt solum *secundum quid*. Ergo. — Hinc apparet quod in his, in quibus analogum et analogatum distinguuntur secundum quid et non simpliciter, non distinguuntur ut alius et alius gradus; sed solum ut alius et alius modus concipiendi unum eundemque gradum.

568. Corollarium 2° — *Analogum proportionalitatis propriae potest esse medium demonstrationis, non vero analogum attributionis et proportionalitatis metaphoricae.* — Nam medium demonstrationis debet distribui ad inferiora sic, ut intrinsece inveniatur in ipsis. Atqui hoc solum verificatur in analogo proportionalitatis propriae. Ergo tantum tale analogum potest esse medium demonstrationis.

569. Corollarium 3° — *Nullum analogum ab analogatis abstrahitur ut ratio communis ab eis praecisa. Ratio tamen analoga in analogia secundum esse et secundum intentionem, potest dici abstracta et praecisa secundum quid, si comparatur ratio proportionalis ipsis rationibus absolute consideratis.* — Nam in analogis attributionis vel proportionalitatis metaphoricae, propria ratio significata non invenitur nisi in uno tantum. Ergo impossibile est quod abstrahatur praecisive ab omnibus: nihil enim abstrahitur nisi inde, ubi aliquo modo est. In analogis vero proportionalitatis propriae, ratio quae in singulis invenitur intrinsece, est simpliciter diversa: quare repugnat quod simpliciter ab omnibus abstrahatur ut quid unum proprie commune. — Tamen in analogia proportionalitatis propriae, si consideretur ratio proportionalis per respectum ad analogata absolute accepta, potest dici *secundum quid abstracta,* quia una et eadem res, prouti accipitur in sua proportionabilitate ad aliam, potest dici quodammodo abstracta a seipsa prouti accipitur absolute in seipsa: et sic *ens* e. g. cum dicat *substantiam et accidens* non absolute in seipsis, sed secundum ipsorum proportionabilitatem, dici potest quodammodo abstractum a substantia et accidente absolute inspectis.

570. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Ens dicitur analogum attributionis inter Deum et creaturam, substantiam et accidens. Atqui ratio entis intrinsece in his omnibus invenitur. Ergo ratio si-

gnificata per nomen in analogia attributionis non est intrinsece in uno tantum.

Resp. *D.M.:* Etiam *C.M.;* tantum *N.M.* — *D.m.* Et secundum quod intrinsece in omnibus his invenitur ratio entis, consideratur ut analogum analogia proportionalitatis *C.m.;* proportionis *N.m.* — *N.C.*

Ob. 2ª. Si ratio analoga in analogia proportionalitatis invenitur intrinsece in omnibus analogatis, deberet esse univoca, sicut univoca est *ratio dupli* in hac proportionalitate*: sicut se habet octo ad quatuor, ita se habet decem ad quinque.* Ergo etc.

Resp. *N. seq. Ant.* — *Ad exemplum* dico quod male adducitur, ac si exprimeret analogiam aliquam proportionalitatis: sed si nomen aliquod imponeretur ad significandum tum *octo tum decem* non ratione numeri, neque ratione octonarii, neque ratione denarii, sed ratione aequalitatis, quam habent proportiones praedictae, illud posset haberi ut analogum proportionalitatis propriae. Notandum tamen quod etiam inter proportiones, quae habent determinatam habitudinem, v. g. dimidii, ordo quidam attenditur ad unam primam, sicuti inter has: 1 : 2 et 2 : 4 et 2 : 6 etc.

THESIS V.ª — 1º **Divisio analogiae logicae in analogiam attributionis et proportionalitatis est adaequata;** 2º **est divisio analogi in analogata.**

571. Probatur 1ª pars. — Nam *a)* si attenditur differentia inter utramque in hoc, quod una est " secundum intentionem et non secundum esse „ alia vero " secundum intentionem et secundum esse „ patet quod divisio ista est adaequata. Analogia enim " secundum esse et non secundum intentionem „ (quae adhuc concipi posset) non pertinet ad logicam considerationem. *b)* Si attenditur differentia inter utramque in ipsa ratione *proportionis ad unum,* quae communis est utrique analogiae, tunc dicendum est, quod in analogia attributionis proportio ad unum resultat ex diversa derivatione, facta ab intellectu, unius eiusdemque formae ad plura secundum prius et posterius, respondenter ad diversas habitudines plurium ad unum, quae tamen diversae habitudines ad unum non significantur per nomen analogum: contra in analogia proportionalitatis, nomen ipsum analogum significat diversas proportiones non solum sibi

invicem similes, sed etiam suo modo respondentes uni primae habitudini, quae attenditur in primo. Atqui significare proportionem resultantem in rebus consequenter ad operationem intellectus, et significare proportionem quae est in rebus antecedenter ad intellectum, sunt significationes adaequate distinctae. Ergo.

Probatur 2ª pars. — *Divisio praedicta est analogi in analogata.* Nam quando aliqua diversificantur inter se secundum ipsam participationem alicuius rationis communis secundum prius et posterius, non possunt convenire univoce in tali ratione communi [1]). Atqui analoga attributionis et proportionalitatis diversimode participant ipsam rationem communem analogiae. Nam ratio ipsa diversitatis simpliciter et identitatis secundum quid non est eadem in utraque analogia, hoc ipso quod in una inveniatur tantum in intentione, in alia vero etiam secundum esse. Ergo. [2])

572. **Obiectiones.** — **Ob. 1ª.** Omnia analoga debent esse sibi respondentia proportione. Sed haec sunt analoga proportionalitatis. Ergo omnia analoga dici debent analoga analogia proportionalitatis.

Resp. *D.M.* Ita ut ratio, secundum quam attenditur proportio, possit esse vel intrinseca uni tantum vel omnibus *C.M.;* ita ut semper ratio secundum quam attenditur proportio, debeat esse intrinseca omnibus analogatis *N.M.* — *Ctd.m.* Analoga proportionalitatis sunt sibi respondentia proportione propter rationem proportionalem omnibus intrinsecam *C.m.;* propter deriva-

---

[1]) S. Th. 1m Perih. l. 8.

[2]) Quaeri hic potest utrum ratio ipsa communis (analogiae) per prius competat analogiae attributionis an analogiae proportionalitatis: et videtur dicendum, quod per prius competit analogiae proportionalitatis, quia haec est analogia tum secundum intentionem tum secundum esse, et ideo in hac attendi potest similitudo idest convenientia quaedam secundum prius et posterius in forma significata per nomen, in qua similitudine consistit ratio analogiae. Contra in analogia attributionis non habentur revera plures rationes similes, nisi secundum quod *una atque eadem ratio* diversificatur quodammodo per intellectum in multis, quibus per intellectum ipsum communicatur. (Cf. Caietanum, *Opus. de Anc.* c. 1.; Soto *de aequiv.* a. 2.

tionem secundum magis et minus unius formae seu rationis, quae intrinseca insit uni tantum *N.m.* — *N.C.*

Ob. 2ª. Omnia analoga logica oportet ut sint diversa simpliciter et eadem secundum quid. Sed sub hac ratione non est invenire divisionem aliquam. Ergo analoga logica non possunt esse nisi unius eiusdemque rationis.

Resp. *D.M.* Ita ut diversitas et identitas quandoque attendatur tantum secundum intentionem, quandoque vero tum secundum intentionem tum secundum esse, et consequenter ipsa ratio diversitatis et identitatis non sit eadem in utroque casu *C.M.:* secus *N.M.* — *Ctd.m.* — *N.C.*

Ob. 3ª. Logicus non considerat nisi communitatem vel diversitatem secundum intentionem. Atqui praedictae analogiae conveniunt in identitate et diversitate secundum intentionem. Ergo conveniunt in ea ratione, secundum quam tantum considerari debent a logico, ideoque non distinguuntur inter se.

Resp. *D.M.* Et tamen ipsa identitas et diversitas secundum intentionem, aliter atque aliter accipi debet secundum quod respondet vel non respondet identitati et diversitati secundum esse *C.M.* secus *N.M.* — *Ctd.m.* Et tamen identitas et diversitas secundum intentionem, quae accipitur consequenter ad identitatem et diversitatem secundum esse, essentialiter differt ab identitate et diversitate, quae attenditur tantum secundum intentionem *C.m.;* secus *N.m.* — *N.C.* — Logicus non considerat identitatem et diversitatam quae sit *tantum* secundum esse: sed quando identitas et diversitas quae est secundum esse, ipsa est quae attenditur *etiam* secundum intentionem, profecto talis identitas et diversitas *etiam secundum intentionem* differt ab illa quae est *tantum secundum intentionem.* Ipsa enim ratio intrinseca analogiae est diversa, ut patet ex praedictis.

Ob. 4ª. Etiam in analogia attributionis identitas et diversitas non est tantum secundum intentionem, sed etiam secundum esse : nam etiam in analogia attributionis inveniuntur a parte rei plures habitudines diversae, quae unificantur in termino: sic e. g. plures relationes sunt medicinae, cibi, coloris etc. ad unum animal. Ergo analogia attributionis non differt ab analogia proportionalitatis.

Resp. *N. Ass.: ad rat. ad. D.* Et tales habitudines diversae ad unum terminum, quamvis fundent denominationem analogam, nullo tamen modo significantur a nomine analogo *C.;* significantur a nomine analogo (sicut significantur proportiones diversae a nomine analogo analogia proportionalitatis) *N.* — *N.C.*

Ob. 5ª. Saltem nullum est discrimen inter analogiam attributionis et proportionalitatis impropriae: nam in utraque, ratio per nomen significata invenitur intrinsece in uno tantum.

Resp. *N. Assert.* — *D. rat. ad.* Et tamen in analogia proportionalitatis metaphoricae, quamvis non inveniatur intrinsece ratio proprie et primo per nomen significata, invenitur intrinsece aliqua ratio secundario et improprie per nomen ipsum significata, quod non verificatur in analogia attributionis *C.:* secus *N.* — Bene ergo advertenda est differentia inter utramque analogiam. Nam, quamvis in analogia proportionalitatis metaphoricae non inveniatur intrinsece in omnibus analogatis ratio *proprie* per nomen significata, invenitur tamen intrinsece aliqua ratio *similis proportionaliter* formae illi, quae proprie est in uno: *et haec ipsa ratio significatur quoque per nomen ipsum,* quamvis secundario et improprie. Contra ratio, quae per intellectum ponitur in minoribus analogatis analogia attributionis, nullo modo concipitur ut similis formae, quae est in principe: non enim medicina dicitur sana, quia habet in seipsa aliquid simile ne proportionaliter quidem aut metaphorice formae illi per quam animal dicitur sanum. Sed id, quod intrinsece invenitur in medicina, nempe *esse restaurativum sanitatis animalis,* causa et ratio est, cur *illa ipsa forma,* quae est in principe analogo (non aliquid simile proprie loquendo) concipiatur per posterius derivata in medicina et denominans ipsam uno modo; sicuti *esse significativum sanitatis animalis* causa est, cur *illa eadem forma,* quae est in principe, concipiatur per posterius derivata in colore et denominans illum alio modo.

573. Scholion 1º — *Quomodo communitas attendatur in univocis et in analogis.* — Univoce communicat intellectus pluribus rationem aliquam ab uno abstractam, quando eam illis pluribus eodem modo communicat; si contra, rationem ab uno aliqualiter abstractam (vel etiam abstractam simpliciter, ut accidit in

his, quae transcendentia non sunt) communicat pluribus non eodem modo, sed secundum prius et posterius, non habetur univocatio, sed analogia. Quod si ratio haec a solo intellectu sic pluribus communicetur secundum prius et posterius, realiter autem non insit illis nec etiam secundum prius et posterius, analogia erit solum secundum intentionem intellectus ; quod si ratio per nomen significata et ab uno aliqualiter abstracta insit revera secundum prius et posterius, secundum magis et minus in illis pluribus, analogia erit non solum secundum intentionem, sed etiam secundum esse. Quod enim essentiale est analogiae, est quod aliquid de pluribus dicatur secundum prius et posterius, secundum scilicet accessum vel recessum ab aliquo uno. — *Aliis verbis:* Cum agitur de terminis universalibus proprie, seu potius de universali ipso proprie dicto, intellectus id quod abstrahit ab uno, pluribus communicat, nec communicat solum nomen, sed rationem ipsam, *intelligens quod eodem modo illa ratio in illis pluribus invenitur* quemadmodum explicavimus ubi de universalibus. Quum vero e contra agitur de analogia, intellectus tunc primo rationem aliquam efficit quodammodo communem per analogiam, quod rationem aliquam, quam percipit in uno (sive sit ratio ab illo uno abstracta abstractione proprie dicta, sive ratio transcendens et solum secundum quid abstracta et praecisa), pluribus communicat secundum prius et posterius, ita ut in unoquoque ex analogatis consideret aliquid analogum huic, quod in primo aliquo consideravit, vel a primo aliquio abstraxit. — Explico : quando agitur de ratione aliqua, quae non sit transcendens, ut ratio animalis vel leonis, *prius ab uno abstrahitur,* dein pluribus communicatur vel habentibus eandem prorsus rationem, quia prorsus eandem formaliter habere cognoscuntur, vel habentibus rationes simpliciter diversas, quae tamen secundum quandam proportionem se habeant ad illam, quae ab illo primo abstracta est, et tunc non communicatur illa ratio significata per nomen eodem modo omnibus, sed secundum prius et posterius, et suo modo unicuique. Et hoc, quod est v. g. communicare, secundum prius et posterius, aliquam rationem leonis etiam leoni picto, etiam homini forti, etc., est rationem leonis analogare ad plura : et sicuti unum communicare pluribus facit

universalitatem propriam, ita unum analogare pluribus, universalitatem quamdam impropriam, in qua non habetur aliquid proprie commune, quia non habetur aliquid formaliter idem. — Quandoque intellectus ad talem communicationem improprie faciendam non invenit nisi fundamentum aliquod in ea, seu respectum aliquem ad illud, quod primo cognovit, in quo rationem aliquam, v. g. sani, percepit ; quandoque autem rationem aliquam revera similem secundum proportionem. Et sic aliquando analogia est secundum intentionem tantum, aliquando vero et secundum intentionem et secundum esse ; nam illi communicationi impropriae, quam intellectus facit, secundum prius et posterius, quandoque correspondet in rebus aliquid, quod secundum prius et posterius illis revera inest. Sic v. g. revera " *diversae rerum species gradatim naturam entis possident* „ cf. S. Th. c. G. l. II. c. 95. — Quandoque vero impropriae illi communicationi, qua intellectus secundum prius et posterius communicat sanitatem medicinae, colori etc., non correspondet in re sanitas aliqualis, etiam solum per posterius dicta, sed unice fundamentum aliquod, unde ansam arripit intellectus ad aliqualem sanitatem communicandam mere secundum ordinem intentionis. — Hic vero secundus modus analogiae parum confert directe ad res cognoscendas, si comparetur cum primo. Saepissime vero ad exemplum cuiusvis analogiae adhibetur, quia in eo manifestior est ordo ad unum, propter quem nomen aliis communicatur.

574. Scholion 2° — *Nullum nomen dicendum est analogum vel univocum nisi per comparationem ad ea, de quibus dicitur.* — Patet enim, quod nomen *homo* e. g. significat *animal rationale,* et non significat aliquid univocum neque analogum, nisi comparative ad ea, de quibus dicitur : si dicitur de pluribus animalibus rationalibus, erit univocum, si dicitur de homine vero et de picto, est analogum. Eodem modo *ens* non est dicendum analogum, nisi sumatur comparative ad ea, de quibus dicitur. Manifestum est enim, quod *univocum* dicit aliquid *eiusdem rationis,* et *analogum* dicit aliquid *conveniens seu simile:* quae rationes non possunt intelligi, nisi comparative ad plura, quae conveniant *identice* vel *proportionaliter* in aliqua forma seu ratione.

Hinc habitudo ad plura non pertinet ad ipsam rationem signi-

ficatam per nomen (sive univocum sive analogum), sed accidit tali rationi, secundum quod accipitur per comparationem ad ipsa plura, ut apta identice vel secundum prius et posterius in ipsis inveniri. Sed hic magna est differentia inter univoca et analoga: nam in univocis nulla est differentia inter significationem nominis secundum quod sumitur absolute, et secundum quod sumitur ut universale (semper enim eodem modo definiendus est *homo,* sive sumatur absolute, sive ut universale respiciens plura; quia non praedicatur de pluribus nisi *identice*). Contra, cum analoga praedicentur de pluribus secundum prius et posterius, ipsa ratio significata per nomen mutatur, secundum quod sumitur absolute, vel ut universale (suo modo) respiciens plura. Si enim sumitur absolute, ratio *vitae* e. g. significat *principium motus,* si sumitur prouti analogatur ad Deum, tunc significat aliquid aliud, semper tamen per ordinem ad id, quod importatur per absolutam significationem nominis: unde si vellem sic definire vitam, deberem dicere: — id, quod vitam dicimus in creaturis (principium motus), praeexistit in Deo excellentissimo modo. — Simili modo ens absolute sumptum (ut vidimus cum S. Thoma) significat substantiam: si vero sumatur formaliter inquantum ad alia analogatur, tunc significabit aliud, semper tamen per ordinem ad id, quod significatur absolute per illud nomen. Unde ens hoc modo acceptum est illud omne, quod respicit actum essendi, modo quodam respondente illi modo, quo substantia materialis (quam prius notam habeo) se habet ad actum essendi.

Sic ergo iterum patet, quomodo analoga semper dicantur per ordinem ad unum, quomodo simpliciter stent pro famosiori significato, et consequenter definiri non possint (formaliter ut analoga), nisi in eorum definitione ponetur illud unum, cui primo convenit ratio significata per nomen.

Articulus III[us].

De reliquis antepraedicamentis.

575. I. **De complexis et incomplexis.** — " Eorum quae dicuntur alia quidem *secundum complexionem* dicuntur, alia vero *sine complexione.* Ea igitur, quae secundum complexionem di-

cuntur, sunt, ut *homo currit, homo vincit.* Ea vero, quae sine complexione dicuntur, sunt, ut *homo, bos, currit, vincit* „. (Arist. *de praedic.* cap. 1).

Dividuntur hic non voces, sed res, quarum diversitas per modum etiam loquendi complexe vel incomplexe significatur. — Sensus divisionis est: rerum aliae incomplexae sunt, quae scil. unico conceptu repraesentantur et unica voce incomplexa significantur, quae sunt *simpliciter* unae, ut *homo, bos* etc. Aliae sunt complexae, quae scil. unico conceptu concipi non possunt, sed pluribus conceptibus postulant repraesentari, et per plures voces significari, quae unitatem habent solum *secundum quid,* ut *homo albus, homo currit* etc. — Scopus huius distinctionis est, ut moneamur quaenam res pertineant ad praedicamenta, et quaenam excludi debeant. Ponuntur enim in praedicamento ea, quae *incomplexa* sunt, non vero quae *complexa.* Quod tamen non ita intelligi debet, quod sufficiat esse incomplexum, ut aliquid in praedicamento ponatur: sed quod requiratur omnino, quod sit incomplexum.

576. II. **Bona est divisio Aristotelica eorum quae sunt in quatuor membra** — [cf. n. 145].

Probatur. — Nam quidquid est, vel est substantia vel accidens, et praeterea unaquaeque natura considerari potest dupliciter, nempe vel secundum se, vel ut subest actui intellectus praedicantis unum de alio. Sed consideratio rerum secundum quod sunt in seipsis non pertinet ad Logicum, sed ad Philosophum Primum. Ergo ad Logicum pertinet considerare ea quae sunt (ideoque substantiam et accidens), tantum secundum quod subsunt intellectui praedicantis unum de alio. — Sed cum omnis praedicatio superioris de inferiori terminetur ad individua, dupliciter ea quae sunt, possunt a Logico considerari: nempe vel ut quaedam universalia, vel ut quaedam singularia terminantia praedicationem universalium. Ergo quatuor sunt genera eorum quae sunt, nempe:

1° quod *de subiecto dicitur* (tanquam superius de inferiori) et *in subiecto non est,* idest substantia secunda.

2° quod *neque in subiecto est neque de subiecto dicitur,* nempe substantia prima.

3° *quod est in subiecto et de subiecto dicitur,* et hoc est accidens universale.

4° *quod est in subiecto et de subiecto non dicitur* et est accidens singulare.

577. III. **Vera est prior regula antepraedicamentalis,** *nempe: quando alterum de altero praedicatur ut de subiecto, quaecumque de eo quod praedicatur dicuntur, omnia etiam de subiecto dicuntur.* — Notandum est quod haec regula vera est in praedicabilibus *per se:* per se autem praedicatur de aliquo, quod praedicatur secundum propriam rationem: quod vero non praedicatur secundum identitatem rationis sed tantum *secundum identitatem rei,* non praedicatur per se. Ratio autem regulae est quia schema cuiusque praedicamenti confici sic debet ut omnia superiora conveniant inferioribus: nam unumquodque schema est arbor porphyriana, ac proinde series seu ordinatio praedicabilium superiorum et inferiorum ab uno supremo genere quod praedicatur de omni inferiori usque ad individuum quod subiicitur omni superiori.

Nota 1ª. — Cum dicitur *essentia divina est Paternitas* — non praedicatur paternitas de essentia divina propter *identitatem rationis* sed propter *identitatem rei:* unde non sequitur ex hoc quod essentia divina eodem modo sit Filiatio, Paternitatem esse Filiationem. [1])

Nota 2ª. — Semper quoque in praedicatione attendenda est suppositio. Unde licet Trinitas dicatur de Deo et Deus de homine, non potest dici quod homo sit Trinitas propter evidentem mutationem suppositionis. [2])

578. IV. **Vera quoque est secunda regula antepraedicamentalis** — *Diversorum generum et non subalternatim positorum, diversae sunt differentiae, subalternorum vero generum nihil prohibet easdem differentias esse.*

Sensus istius secundae regulae est quod genera quorum unum non continetur sub alio (sive quia pertinent ad diversum praedicamentum ut substantia et quantitas, sive quia dividunt unum genus ac proinde inter se condistinguuntur et opponuntur

---

[1]) *De Pot.* q. 8 a. 2. ad 6m.

[2]) III. p. q. 16 a. 2. ad 2m.

sub aliquo tertio, ut v. g. substantia materialis et substantia immaterialis quae ambae conveniunt in genere supremo substantiae) habent differentias essentialiter diversas ; e contra genera quorum unum continetur sub altero, ut v. g. substantia — corpus — vivens — animal, possunt habere easdem differentias.

Ratio primi est, quia eadem species non potest esse sub diversis generibus, quorum unum non sit sub alio, — atqui per differentiam, aliquid constituitur in specie — Ergo diversa genera, quorum unum non est sub alio, non possunt habere easdem differentias. — Insuper si eadem esset differentia essentialis diversorum generum non subalternatorum v. g. substantiae materialis et substantiae immaterialis, cum differentia importet illud idem quod genus, sub diverso tamen respectu, importaret contradictoria, ut patet ex exemplo.

Ratio secundi traditur ab ipso Philosopho dicente = Superiora enim de his, quae sub ipsis sunt generibus, praedicantur; quare quodcumque differentiae praedicati fuerint, totidem et subjecti erunt. = Possunt autem duorum generum subalternorum esse eaedem differentiae: 1° quia quae sunt differentiae divisivae generis superioris, eaedem sunt constitutivae inferioris ; 2° quia quae sunt divisivae inferioris, saltem mediate dividunt superius: nam genus inferius nihil est aliud quam genus superius cum differentiis additis ; 3° quia quae sunt constitutivae superioris, mediate sunt etiam constitutivae inferioris.

Ex dictis patet quod diversis ordinibus erunt disponendae lateraliter differentiae in praedicamentis secundum subalternationem aut non subalternationem generum.

QUAESTIO SECUNDA

De Praedicamentis.

THESIS Ia. — **Ens reale finitum adaequate dividitur in decem suprema genera; quae recte praedicamenta vocantur; ad quae directe vel indirecte reducuntur omnia quae in creatis sunt.**

579. Praenotanda. — 1. Ut in metaphysica videbimus, cum praedicatur de aliquo " *est substantia* „ " *est homo* „ " *est album* „

semper ens praedicatur cum determinatione alicuius modi (diversificatur enim esse secundum diversitatem naturae cuius est actus) et omnes aliae conceptiones animae accipiuntur ex additione ad ens (praedicatum enim exhibet intellectum seu animae conceptionem de aliquo); nam prius intelligo aliquid esse, dein esse animal, esse hominem seu esse tali determinato modo, seu esse aliquid cui competit esse cum tali determinato modo essendi qui proportionatur tali subiecto seu tali naturae.

2. " Unum genere sunt, — ait S. Thom. (5 *Metaph.)* l. 8 — quae conveniunt in figura praedicationis, idest quae habent unum modum praedicandi. Alius enim est modus quo praedicatur substantia et quo praedicatur qualitas vel actio, sed omnes substantiae habent unum modum praedicandi, in quantum praedicantur non ut in subiecto existentes „.

580. Probatur 1ª pars. — Quot sunt modi primo diversi quibus aliquod praedicatum se habere potest ad subiectum, tot sunt (circa ens reale finitum) suprema rerum genera — Atqui modi primo diversi quibus (in rebus finitis) aliquod praedicatum se habere potest ad subiectum sunt decem — Ergo suprema genera in quae ens adaequate dividitur sunt decem: quod est dicere: ens reale finitum adaequate dividitur in decem suprema genera.

Probatur minor. — I. Nam praedicatum ad subiectum se habere potest ita, ut sit id quod subiectum *(Substantia);* ut *non* sit id quod subiectum, sed insit subiecto. Hoc autem potest esse dupliciter: nam vel ita inest ut praedicatum sumatur ab eo quod inest subiecto; aut sumatur ab eo quod est extra subiectum. Si primum, potest inesse vel per se et absolute vel in respectu ad aliud *(Relatio).* Si per se et absolute, potest contingere dupliciter: vel ut consequens materiam *(Quantitas)* vel ut consequens formam *(Qualitas).*

Si secundum, (nempe si sumatur ab eo quod est extra subiectum) vel sumitur ab eo quod est extra *omnino,* vel quod est extra ita quod secundum aliquid *sit in subiecto.*

Si sumitur ab eo quod extra omnino, tunc vel non est mensura *(Habitus)* vel est mensura. Si mensura, vel est secundum tempus *(quando)* vel secundum locum. Si secundum locum, est,

vel secundum ordinem partium in loco *(Situs)* vel non secundum ordinem partium in loco *(Ubi)*. Si vero sumitur ab eo quod sic est extra quod secundum aliquid est in subiecto, dupliciter esse potest; nempe vel quod sit in subiecto secundum principium *(Actio)* vel quod sit in subiecto secundum terminum *(Passio)*.

II. Aliter. — Quidquid est, vel in seipso subsistit vel est in alio; quod subsistit in se est *Substantia;* quod in alio est, est accidens substantiae. Quod autem accidit substantiae, vel eam extendit, vel refert, vel qualificat, modificat in se, et sic habetur — *Qaantitas* — *Relatio* — *Qualitas;* vel connotat aliquid extrinsecum, quod si est principium habetur *Actio,* si terminatur ad subiectum *Passio.* Si est mensura durationis *quando,* si extensionis *Ubi,* attento ordine *Situs;* si ad modum ornamenti *Habitus.*

Probatur 2ª pars. — Dicuntur enim praedicamenta ex eo quod sunt coordinationes praedicatorum et distinguuntur secundum diversum modum praedicationis.

Probatur 3ª pars. — *Directe* veniunt sub praedicamento entia realia, completa, finita, quia quod terminationem non habet nec differentiam nec genus potest habere. — *Indirecte,* incompleta quae sunt horum; ut formae, motus, etc. scilicet directe in praedicamento aliquo non ponuntur nisi quae directe ponuntur sub genere proprie dicto quod est genus univocum; praedicamenta enim sunt suprema genera: reliqua omnia *reductive.*

581. **Obiectiones.** — **Ob. 1ª.** Dicit Philosophus tot modis dici unum oppositorum, quot modis dicitur alterum. Atqui substantia et accidens opponuntur. Ergo quot modis dicitur accidens, dici debet et substantia: et sic praedicamenta sunt plura quam decem.

Resp. *D.M.* In oppositis, quorum eadem est ratio multiplicationis *C.M.;* quorum non est eadem *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.*

Ob. 2ª. Sicut homo dicitur habere vestimentum; ita dicitur habere quantitatem, qualitatem et alia accidentia. Sed habere vestimentum constituit unum praedicamentum. Ergo et habere quantitatem etc.

Resp. *D.M.* Non tamen eodem modo *C.M.;* eodem modo *N.M.* — *Cdm.* Habere vestimentum constituit unum praedicamentum, quia *habere* sic sumptum est medium inter habentem

PROSPECTUS

Praedicatum ad subiectum se habere potest ita

- ut sit id quod subiectum **(Substantia)**
- ut non sit id quod subiectum, sed insit subiecto ita
  - ut sumatur ab eo quod inest subiecto
    - per se et absolute
      - ut consequens materiam **(Quantitas)**
      - ut consequens formam **(Qualitas)**
        1. *Habitus et dispositio*
        2. *Potentia et impotentia*
        3. *Passio et patibilis qualitas*
        4. *Forma et figura*
    - quod est extra omnino ita
      - quod sit mensura
        - secundum tempus **(Quando)**
        - secundum locum
          - considerato ordine partium in loco **(Situs)**
          - non considerato ordine partium in loco **(Ubi)**
      - quod non sit mensura **(Habitus)**
  - ut sumatur ab eo quod est extra subiectum.
    - in respectu ad aliud **(ad aliquid seu Relatio)**
    - quod est extra ita quod secundum aliquid sit in subiecto
      - quod sit in subiecto secundum principium **(Actio)**
      - quod sit in subiecto secundum terminum **(Passio)**

et id quod habetur per modum actionis vel passionis, quod non contingit inter habentem alia accidentia et ipsa accidentia *C.m.;* secus *N.m.* — *N.C.* — *Habere,* secundum quod dicitur respectu cuiuscumque quod habetur, non constituit speciale praedicamentum, cum non importet aliquid medium inter habentem et habitum; et hoc modo non ponitur a Philosopho inter praedicamenta. Sed *habere* dictum per respectum ad vestimentum, importat aliquid medium inter habentem et habitum, non ut actio vel passio, sed ad modum actionis et passionis, prout unum est ornans et tegens, et aliud ornatum et tectum, quomodocumque significetur tale medium vel ad modum actionis, ut cum dicitur *habere,* procedendo ab homine ad vestem, vel ad modum passionis, ut cum dicitur *haberi,* procedendo e contra. scil. a veste ad hominem. [1])

Ob. 3ª. Si habitus est medius inter habentem et vestimentum, multo magis habens debet dici habere habitum, quam vestimentum. Atqui ex hoc, quod habet vestimentum, constituitur unum praedicamentum. Ergo etiam ex hoc, quod habet habitum debet constitui unum praedicamentum.

Resp. *D.M.* Habens debet dici habere habitum *ut quo* habetur *CM.; ut quod* habetur *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* — Illum habitum rei habitae non habet homo alio medio habitu, quia sic procederetur in infinitum. Sicut homo facit factum factione media, sed ipsam mediam factionem non facit aliqua factione media, hoc ipso, quod factio est *id quo* facit factum : eodem modo relationes, quibus subiectum, refertur ad aliud, non referuntur nec ad subiectum nec ad oppositum, aliqua alia relatione media: sic paternitas nec ad patrem nec ad filium refertur aliqua alia relatione media; quod si aliquae relationes mediae dicuntur, sunt rationis tantum et non rei. [2])

Ob. 4ª. Ordo ad locum constituit duo praedicamenta, nempe *ubi* et *situs.* Sed eadem videtur esse ratio ordinis ad tempus. Ergo etiam iste debet constituere duo praedicamenta.

Resp. *C.M.* — *N.m.* — Nam ordo partium in tempore im-

---

[1]) Cfr. 5° *Metaph.* 20.

[2]) Cf. 5° *Metaph.* l. 20.

portatur in ipsa ratione temporis, cum sit numerus motus secundum prius et posterius. Hoc autem non contingit in ratione loci. [1])

Ob. 5ª. Causalitas agentis constituit unum praedicamentum. Sed eadem est ratio etiam aliarum causarum. Ergo etiam aliae causae debent singulae constituere unum praedicamentum.

Resp. *C.M.* — *N.m.* — Nam causae intrinsecae sunt partes essentiae, unde praedicatio, quae posset fieri secundum ipsas, pertinet ad praedicamentum substantiae: ut si dico quod homo est rationalis, et homo est corporeus. Causa autem finalis non causat seorsum aliquid ab agente: in tantum enim finis habet rationem causae, in quantum movet agentem: unde relinquitur sola causa agens a qua aliquid potest denominari tanquam ab exteriori. Et ideo secundum quod aliquid denominatur a causa agente, est praedicamentum passionis; nam pati nihil aliud est, quam suscipere aliquid ab agente; secundum autem quod causa agens denominatur ab effectu, est praedicamentum *actionis,* nam actio est actus ab agente in aliud [2]).

Ob. 6ª. Sicut homo dicitur vestitus, calceatus etc., ita et alia animalia dicuntur armata etc. Sed esse vestitum respectu hominis, constituit speciale praedicamentum. Ergo esse vestitum, armatum, etc. respectu aliorum animalium constituit aliud praedicamentum.

Resp. *D.M.* Dicuntur armata etc., sed non modo omnino eodem *C.M.;* dicuntur armata etc., eodem modo ac dicitur homo vestitus, armatus etc. *N.M.* — *C.m.* — *N.C.* — Nam, ut dicit S. Th. (3º, *Phys.* l. 5.) " cum talia animalia dicuntur armata vel vestita vel calceata, quodammodo non denominantur ab aliquo extrinseco, sed ab aliquibus suis partibus; unde hoc refertur in his ad praedicamentum substantiae, utputa si diceretur, quod homo est manuatus vel pedatus „. Et ratio est, quia ea, secundum quae animalia vocantur armata etc., ut cornua, corium grossum et pilosum, ungula etc., data sunt illis ab ipsa natura

---

[1]) Cf. omnino 3º *Phys.* l. 5.
[2]) Cf. *Phys.* 3º l. 5.

et consequuntur ipsorum essentiam: quod non accidit in homine, qui " cum dicitur armatus, vel vestitus, vel calceatus, denominatur ab aliquo extrinseco, quod non habet rationem neque causae, neque mensurae, unde est speciale praedicamentum, et dicitur habitus. Sed attendendum est quod etiam aliis animalibus hoc praedicamentum attribuitur, non secundum quod in sua natura considerantur, sed secundum quod in hominis usu veniunt ut si dicamus equum phaleratum, vel sellatum, seu armatum „. (S. Th. *ibid.*)

THESIS II[a] — Praedicamenta formaliter sumpta, scilicet secundum quod subiiciuntur secundae intentioni praedicamenti, in quo sensu sunt decem series primo diversae praedicabilium, ad logicam spectant.

582. Probatur. — Praedicamenta, graece — categoriae — a *κατηγορεύω* quod est idem ac praedico, dupliciter considerari possunt [Cf. n. 149 seq.] Primo secundum quod *praedicamentum* est nomen primae intentionis, scilicet secundum quod spectat rerum entitatem extra animam, distinctionem ad invicem, et proprium cuiusque essendi modum: h. e. secundum quod praedicamenta sunt decem modi essendi primo diversi in quos dividitur transcendens ipsa ac universalissima ratio entis realis ac finiti, et sub hoc respectu ad metaphysicam spectant non ad logicam. Nam exhibent ordinem realem ac naturalem rerum, non vero intentionalem, h. e. exhibent res reales quamvis finitas, secundum ordinem realem ac naturalem quem a natura habent independenter ab operatione intellectus; nam revera quidquid est reale finitum, antecedenter ad quodlibet opus intellectus est vel *substantia vel accidens.* Et si est accidens, vel est quantitas, vel relatio, vel qualitas, vel actio, vel passio, vel quando, vel ubi, vel situs, vel habitus; quidquid est reale finitum unum ex istis esse debet, et si est unum, non est nec esse potest alterum.

Secundo prouti praedicamentum est nomen secundae intentionis, h. e. secundum quod mens nostra sub unoquoque praedicamento metaphysice sumpto conficit arborem porphyrianam, seu accipit rationes supremas, subalternas, infimas generum,

differentiarum et specierum, usque ad individua, et sub hac consideratione ad logicam spectat uti est manifestum.

Hinc patet quod praedicamentum logice acceptum non est genus generalissimum tantum, sed tota series praedicabilium essentialium complectens genus generalissimum, genera, differentias et species subalternas ac infima et individua: unde definiri potest cum S. Thoma: Ordinatio praedicabilium in ordine praedicamentali, seu: Ordinatio praedicabilium secundum subiectionem et praedicationem.

583. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Si praedicamenta pertinent ad logicam, sunt entia rationis. Atqui hoc est inconveniens. Ergo praedicamenta non pertinent ad logicam.

Resp. *D.M.* sunt entia rationis sub aliquo respectu *C.M.* sub omni *N.M.* — *Cdm.* esset inconveniens si sub omni respectu essent entia rationis *Cm.* si sub aliquo tantum *Nm.* — *NC.* — Audiatur S. Thomas. "Sciendum est quod praedicamentum seu genus generalissimum, dupliciter accipi potest. Uno modo pro ipsa intentione praedicamentali seu universalitatis. Alio modo pro ipsa re in qua tali intentio fundatur. Primo modo praedicamentum est ens rationis, secundo modo est ens reale „. *Opus* 48. tract. II. cap. I.

Ob. 2ª. Si ita est, praedicamentum logice sumptum, non distinguitur a praedicabili. Atqui hoc est inconveniens. Ergo praedicamentum non pertinet ad logicam.

Resp. *N.M.* — Nam praedicabilia important diversos modos praedicandi consequentes quinque species universalis in essendo; praedicamenta vero logice accepta, sunt coordinationes praedicabilium secundum praedicata superiora et inferiora, magis et minus universalia, quaeque (praedicata) proinde vocantur *gradus,* quia per ipsa ascendimus et descendimus in ipsis praedicatis constitutivis rei. Ipsa igitur ordinatio seu series praedicabilium, secundum subiectionem et praedicationem, seu conveniens dispositio alternorum generum et specierum usquè ad individua sub uno supremo genere, suscipit intentionem quamdam secundam praedicamenti.

584. Queres quaenam est differentia inter praedicamenta metaphysice accepta et praedicabilia.

Resp. Si comparationem instituis inter praedicamenta metaphysice accepta et praedicabilia *formaliter* considerata ; habes differentiam quae intercedit inter ens reale et ens rationis; nam praedicamenta metaphysice accepta sunt entia realia ; praedicabilia vero formaliter considerata sunt entia rationis. Si vero comparationem instituis inter praedicamenta metaphysice dicta, et praedicabilia *materialiter* considerata, posito quod importent entia realia (quod tamen non est necesse, quia et ipsum universale materiale potest esse ens rationis ut vidimus) adest ista differentia : quod praedicamenta exhibent ordinem quo res reales naturaliter sunt dispositae a parte rei, independenter a quavis operatione intellectus creati; e contra praedicabilia exhibent ordinem quos res, reales si vis, sunt dispositae, ordinatae in nostro intellectu, uti abstractae, praecisae a rebus, scilicet in genera, in species in differentias, in proprium, in accidens, quod est per operationem intellectus.

Nota. Hic agendum esset *de categoriis Kantianis:* sed de his videbimus infra post expositionem Idealismi Transcendentalis Emmanuelis Kant.

QUAESTIO TERTIA

De Postpraedicamentis.

585. Introductio. — Postpraedicamenta sunt rationes quaedam quae intelliguntur dum comparatio instituitur inter diversa praedicamenta, unde ad nullum determinatum pertinent. Quinque autem ab Aristotele numerantur, scilicet: *oppositio, prioritas, simultas, motus et modus habendi.*

Tria priora quodammodo in omnibus praedicamentis inveniuntur; nam omnia genera dividuntur per oppositas differentias, et in pluribus sub eodem genere accipiuntur species contrariae. Genera autem et species considerari possunt cum quadam *prioritate* et *simultate.* Motus sequitur ad quatuor praedicamenta scilicet substantiam, quantitatem, qualitatem, et ubi. Habere autem praesertim ad substantiam pertinet, cuius est habere accidentia.

Articulus I^us

De oppositione.

THESIS I^a. — Oppositio definitur " repugnantia ad determinatum extremum ".

586. Praenotandum. — Oppositio, quae primum postpraedicamentum constituit, est oppositio rerum, quae alia est ab oppositione terminorum et enunciationum, de qua actum est in *Logica Minori.*

Probatur. — Ad notionem oppositionis exhibendam, tria concurrunt 1° *Distinctio:* non enim esse potest oppositio nisi inter ea quae distincta sunt ab invicem; 2° *Repugnantia:* qua unum non possit esse simul cum alio opposito in eodem subiecto; 3° *Determinatio* extremi ad quod est repugnantia, qua inter plura quae simul non possunt uni subiecto convenire, unum sit contra quod aliud ponitur. Distinctio est velut genus remotum ad oppositionem sed non sufficit: plura enim sunt distincta quae non opponuntur ut Plato et Socrates. Repugnantia est genus proximum sed et ipsa non sufficit. Nam etiam quae sunt disparata ut homo et aurum habent repugnantiam sed non ideo opponuntur. Determinatio autem est differentia qua repugnantia contrahitur ut sit vera oppositio.

THESIS II^a. — 1° Quadruplex est oppositio: scilicet contradictoria, privativa, contraria, relativa; 2° Quarum prima est contradictoria; 3° maxima vero est contraria.

587. Probatur 1^a pars. — Nam oppositio vel est inter ens et non ens: vel inter ens et ens. Si est inter ens et non ens vel inter ens et non ens simpliciter ut v. g. inter album et non album et habetur oppositio *contradictoria;* vel est inter ens et non ens in determinato subiecto ut v. g. inter visum et caecitatem, et habetur oppositio *privativa:* Si est inter duo entia, vel est inter duo entia quae mutuo se expellunt, ut inter album et nigrum, et est oppositio *contraria:* vel ut inter entia quae se mutuo respiciunt et est oppositio *relativa,* ut inter magistrum et discipulum.

Alio modo. — Aliquid opponitur alteri aut ratione dependentiae, qua dependet ab ipso, et sic habetur oppositio *relativa,* aut ratione *remotionis,* quod contingit tripliciter: removet, nihil relinquens et sic est *negatio* (contradictio) aut relinquit solum subiectum et est *privatio,* aut relinquit subiectum et genus et sic est *contrarium.* [1])

Probatur 2ª pars. — Opposita secundum quodcumque oppositionis genus, impossibile est simul existere. Atqui hoc involvit *oppositionem contradictoriam:* nam contigit ex hoc, quod alterum oppositorum de *sui ratione* habet negationem alterius. Sicut de ratione caeci est quod sit non videns. Et de ratione nigri, quod non sit album. Et similiter de ratione filii est quod non sit pater eius, cuius est filius. Ergo.

Probatur 3ª pars. — Quae habent differentiam maximam in eodem genere, plurimum differunt absolute [2]). Atqui contraria sunt quae in eodem genere habent differentiam maximam [3]). Ergo etc.

Probatur Maior. — Quecumque enim differunt, aut differunt genere, aut differunt specie. Illa autem quae differunt genere non sunt comparabilia ad invicem, sed magis distant quam possit in eis accipi magis et minus differre. Hoc enim accipitur in illis quorum est transmutatio ad invicem. Intelligitur enim processus quidam et via mutationis de uno in aliud per hoc quod primo magis differunt, et postea minus, et sic quousque unum transmutatur in alterum. In illis autem quae differunt genere, non est accipere huiusmodi viam transmutationis unius in alterum. Unde in eis non est accipere magis et minus differre, et per consequens nec maxime differre; et sic in differentibus genere non est maxima differentia: ideoque differentia

---

[1]) Cf. 10 *Met.* l. 4: 5 *Met.* l. 12.

[2]) Cf. S. Th. X. *Metaph* l. 6.

[3]) Primo ostendit Phil. aliquam esse differentiam maximam, hoc modo. In quibuscumque est invenire magis et minus est invenire maximum, cum non sit procedere in infinitum; Sed contingit differre aliquid ab altero magis et minus. Ergo et contingit aliqua duo maxime differre. (Cf. S. Th. X. *Metaph.* l. 5.)

maxima *absolute* non potest accipi nisi ubi est *differentia maxima in eodem genere.*

Probatur minor. — Nempe contraria sunt quae in eodem genere habent maximam differentiam. Nam generationes mutuae sunt ex contrariis sicut ex ultimis. Atqui distantia ultimorum semper est maxima. Ergo contraria sunt quae maxime differunt in eodem genere.

Declaratur ultima maior. Nam medium generatur quidem ex extremo, aut e converso aut etiam medium ex medio, ut pallidum ex nigro vel ex rubro: non tamen huiusmodi generationes sunt ex duobus quasi ultimis. Cum enim in generatione ex nigro procedit pallidum, adhuc ulterius potest procedere ad aliquid magis differens. Sed cum pervenerit ad album, non potest ulterius procedere ad aliquid magis differens a nigro. Et sic est status sicut in ultimo. Et propter hoc dicit *(Phil.)* quod generationes fiunt ex contrariis sicut ex ultimis.

588. **Corollaria.** 1m. — *Contrarietas est differentia perfecta.* Nam maximum in unoquoque genere est idem quod perfectum est: eadem omnino videtur esse differentia maximi et perfecti, quia maximum est quod non exceditur, perfectum vero est id extra quod non potest aliquid sumi: omnia enim dicuntur perfecta eo quod deveniunt ad finem: extra finem autem nihil est, quia finis est id quod est ultimum in omni re, et quod continet rem. Ergo cum contrarietas sit maxima differentia, sequitur quod sit differentia *perfecta.* (ib. l. V).

Tamen quia contraria dicuntur multipliciter, non omnia contraria dicuntur perfecte differentia absolute, sed ita perfecte differentia sicut competit eis esse contraria: quibusdam scilicet prima, quibusdam vero secundaria.

2m. *Plura non possunt esse contraria uni* hoc ipso quod contrarietas est maxima et perfecta differentia quasi ultimorum. Unius autem distantiae non possunt esse plura ultima quam duo, sicut unius rectae lineae, duo tantum sunt puncta extrema. (ib. lect. VI).

3m. *Principium contrarietatis est privatio et habitus,* quia in omni contrarietate privatio et habitus includitur: tamen non omnis privatio est contrarietas, quia privatum contingit multi-

pliciter privari: quocumque enim modo, id quod natum est habere aliquam formam, non habeat illam, dici potest esse privatum, sive sit in dispositione propinqua ad formam, sive remota. Sed contrarium est semper in dispositione remota: aliquid enim dicitur privari albedine si non sit album, sive sit pallidum sive quocumque alio colore coloratum; sed non ideo dicitur esse contrarium nisi quando est maxime distans ab albo, sl. quando est nigrum. (ib. l. VI).

4m *Contrarium requirit determinatam dispositionem in subiecto, non vero privatio.* Nam contrarium requirit determinatam dispositionem secundum quam maxime distet a forma; e contra privatio nihil aliud requirit nisi absentiam formae, supposita tantum habitudine in subiecto, sine hoc quod determinet aliquam dispositionem in subiecto, per quam subiectum sit propinquum formae vel distans ab ea (ib. l. VI).

5m *Privatio est quaedam contradictio.* Et quidem, quod sit contradictio patet ex hoc quod aliquid dicitur privatum ex hoc quod non habet. Sed quod non sit contradictio absoluta, sed contradictio quaedam, patet ex hoc quod contradictio de sui ratione non requirit neque aptitudinem, neque etiam essentiam alicuius subiecti; nam verificatur de quocumque ente. Dicimus enim quod animal non videt, et lignum non videt, et quod non ens non videt. Sed privatio de *necessitate* requirit aliquod subiectum, et *quandoque* etiam requirit aptitudinem in subiecto [1]); nam quod est omnino non ens non dicitur privatum, et *ideo privatio aut est in determinata potentia, scilicet cum aptitudine ad habitum,* aut saltem *cum subiecto,* licet non habente aptitudinem ad habitum; sicut si v. g. dicamus vocem invisibilem, aut lapidem rem mortuam.

THESIS IIIa. — 1° **In oppositione contradictoria nullo**

---

[1]) Privatio enim sumi potest *late* et *stricte:* late sumpta requirit subiectum, at non aptitudinem in subiecto: " Dicitur enim privatio uno modo, quando aliquid *non habet quod nullo modo natum est habere:* ut si diceremus quod lapis non habet visum: alio modo dicitur aliquid privari, si non habet quod natum est habere: sicut animal si non habet visum „.

modo potest esse medium; 2° in contraria vero, relativa et privativa dari potest medium; 3° sed non de necessitate.

589. Praenotanda. — Omnia media sunt in *eodem genere cum his, quorum sunt media,* quia media sunt inter quae prius venit illud quod mutatur de uno extremorum, quam in alterum extremum: sed in his quae sunt in diversis generibus non fit transmutatio ex invicem. Ergo media et extrema debent esse in eodem genere.

590. Probatur 1ª pars. — Nam contradictio est oppositio, cuius altera pars ex necessitate adest cuicumque subiecto, sive sit ens, sive non ens. De quolibet enim ente vel non ente necesse est dicere quod sedet vel non sedet. Et sic patet quod contradictio nullum habet medium [1]).

Probatur 2ª pars. — *a)* pro *contraria* patet, quia media sunt inter contraria *tantum* [2]).

b) pro *relativa* item, quia sunt quaedam relativa, quae participant de contrarietate, scilicet quae referuntur ad invicem ex aequo, sicut dominus et servus, et dicuntur *ad aliquid ut contraria* [3]).

c) pro *privativa* patet, quia (ut dictum est in thesi praecedenti Cor. V.) oppositio privativa requirit determinatum subiectum et ideo non est necesse dici de omni, quod sit habens vel privatum, sed tantum in *susceptivo habitus.* Medium ergo inter habitum et privationem potest esse id quod neutrum habet,

---

[1]) Cfr. S. Th. X *Metaph.* l. 9ª. et l. 6ª.

[2]) Cfr. S. Th. X *Metaph.* l. 9ª.

[3]) "Dupliciter dicuntur aliqua esse ad *aliquid.* Quaedam namque referuntur ad invicem ex aequo, sicut dominus et servus, pater et filius, magnum et parvum: et haec dicuntur esse ad aliquid ut contraria, et sunt ad aliquid secundum seipsa, quia utrumque eorum hoc ipsum quod est, ad alterum dicitur. Alia vero sunt ad aliquid non ex aequo, sed unum eorum dicitur ad aliquid non quod ipsum referatur, sed quia aliquid refertur ad ipsum, sicut in scientia et scibili contingit. Scibile enim dicitur relative, non quia ipsum refertur ad scientiam, sed quia scientia refertur ad ipsum. Et sic patet quod huiusmodi non sunt relativa secundum se, quia scibile non hoc ipsum quod est, ad alterum dicitur, sed magis aliud dicitur ad ipsum„. (S. Th. X *Metaph.* l. 3.ª Cfr. etiam: *ibid.* l. 9ª.)

eo quod non est susceptivum determinatum talis habitus, et consequenter nec talis privationis. [1])

Probatur 3ª pars. — *Non de necessitate; ideoque aliquando non datur medium.*

Nam 1º *per respectum ad contrariam.* Quandocumque in contrariis, unum contrariorum habetur per qualemcumque privationem seu carentiam alterius, talia contraria medium non habent. Sic v. g. " par et impar in numeris non habet medium; quia numerus dicitur impar ex hoc, quod quocumque modo caret paritate „. (S. Th. *ibid.* lec. 6ª).

Propter oppositam rationem e contra, inter bonum et malum medium est. Est enim aliquis homo neque bonus, neque malus. Dicitur enim bonus homo, si virtutem habet; nam virtus est quae facit bonum habentem. Non autem *omnis, qui caret virtute, malus est;* nam puer caret virtute et tamen non dicitur malus: sed si in aetate, in qua debet habere virtutem, non habeat, malus dicitur [2]).

2º *per respectum ad relativa.* Nam ait S. Thomas; " Eorum autem, quae sunt ad aliquid, quaedam se habent ut contraria, quae ex aequo ad invicem referuntur; et ista habent medium. Quaedam vero non se habent ut contraria, quae non ex aequo ad invicem referuntur, sicut scientia et scibile, et ista non habent medium. Cuius causa est, quia media et extrema sunt in eodem genere. Haec autem non sunt in eodem genere cum unum secundum se referatur, ut scientia, non autem aliud, ut scibile „ [3]).

3º *per respectum ad privativa.* Nam oppositio privationis est immediata in determinato susceptivo. Sicut enim dictum est, privatio in hoc differt a contradictione, quod cum requirat subiectum, admittit medium extra determinatum subiectum; nam necesse est omne aut *aequale* aut *non aequale* esse, sive sit ens, sive non ens: sed non est necesse dici de omni quod sit aequale vel non aequale, sed solum hoc necesse est *in susceptivo aequalitatis.* Sic igitur oppositio contradictionis *omnino* est imme-

---

[1]) Cfr. S. Th. X *Metaph.* l. 6ª.
[2]) Cfr. ibid.
[3]) Cfr. ibid. l. 9ª.

diata; oppositio vero privationis est immediata in determinato susceptivo, non autem est immediata simpliciter. Ex quo patet, quod contrarietas, quae nata est habere medium, propinquior est privationi quam contradictioni, non tamen habetur quod privatio sit contrarietas [1]).

591. Corollaria : 1m — *Contradictorie, privative, et relative - non - contrarie opposita non sunt in eodem genere.*

Ratio primi est, quia negatio nihil ponit. Ratio 2di est, quia privatio non est nisi negatio in subiecto aliquo. Ratio 3tii est, quia, ut dictum est, quae sic sunt relative opposita, non sunt eiusdem generis.

2m *Contraria sunt in eadem ordinatione praedicamentali.* Ratio est, quia contraria sunt in eodem genere: porro quae sunt in eodem genere, veniunt sub eodem praedicamento.

3m *In relativis contrarie oppositis neutrum oppositorum est sine reliquo; in relativis e contra non contrarie oppositis, unum quidem potest stare sine altero, sed non e converso.*

Nam in relativis contrarie oppositis, utrumque oppositorum secundum se dicitur ad aliquid. Atqui quod talia sunt, neutrum est sine reliquo: non enim sine servo dominus, nec servus sine domino. Ergo.

E contra relativa non contrarie opposita, sunt ad aliquid (relativa) solum hoc sensu, in quantum unum dicitur relative, quia alterum refertur ad ipsum: sic. e. g. opponuntur unum et numerus praedicamentalis, in quantum *unum* est mensura et *numerus* est mensurabilis. Atqui natura horum relativorum est quod unum potest esse sine altero, sed non e converso; sic. v. g. si est numerus, oportet quod sit unum, sed non oportet quod ubicumque est unum, sit numerus [2]).

4m *In relativis unum oppositorum non necessario removet aliud, nec est imperfectum relate ad ipsum.*

Nam in aliis oppositis, unum dicitur alteri opponi in quantum ipsum removet: negatio enim removet affirmationem, et secundum hoc ei opponitur; oppositio vero privationis et ha-

---

[1]) Cfr. ibid. l. 6a.

[2]) Cf. S. Th. X *Metaphic.* l. 8.

bitus et contrarietatis includit oppositionem contradictionis. Non autem est hoc in relativis: non enim per hoc opponitur filius patri quod ipsum removeat, sed propter rationem habitudinis ad ipsum. Et ex hoc causatur secunda differentia: quia in aliis oppositis, semper alterum est imperfectum, quod accidit ratione negationis quae includitur in privatione et altero contrariorum. Hoc autem in relativis non oportet, immo utrumque considerari potest ut perfectum, sicut patet maxime in relativis aequiparantiae, et in relativis originis, ut aequale, simile, pater et filius [1]).

Nota, quod oppositio relativa *minimum distinguit* quia propinquior est unitati [2]).

5m *Idem contingit esse causam contrariorum.*

Audiamus S. Thomam in V. *Metaphis.* l. 2 " Dicit (Philosophus) quod idem contrariorum contingit esse causam. Quod etiam difficile videbatur vel impossibile, si similiter ad utrumque referatur; sed dissimiliter est causa utriusque. Illud enim, quod per sui praesentiam est causa huius, quando est absens " causamur „ idest accusamus ipsum " de contrario „ idest dicimus ipsum esse causam contrarii. Sicut patet, quod gubernator per suam praesentiam est causa salutis navis, dicimus eius absentiam esse causam perditionis. Ne autem putetur quod hoc sit referendum ad diversa genera causarum.... ideo subiungit quod utrumque istorum reducitur ad idem genus causae, scilicet ad causam moventem. *Eodem enim modo oppositum est causa oppositi, quo* (modo) *haec est causa huius „.*

Articulus IIus

De reliquis Postpraedicamentis.

THESIS Ia. — Prioritas bene describitur atque dividitur.

592. Declaratur 1a pars. Prioritas describitur: id quo aliquid praecedit aliud ita ut hoc, aliquo saltem modo non sit simul cum illo, sed posterius.

Nam prioritatem dicimus habere aliquid per respectum ad

---

[1]) Cf. S. Th. *De Poten.* q. 7. a. 8 ad 4m: q. 8. a. 1 ad 13m.
[2]) Cf. S. Th. 1. p. q. 40. a. 2. ad 3.m.

aliquid aliud, quando aliquo sensu aliquo modo venit ante, praecedit. — Ergo prioritas bene describitur etc.

Declaratur 2ª pars. — Quintuplex namque prioritas distinguitur ab Aristotele:

Prima est *prioritas temporis,* secundum quod unum tempore antiquius est altero, ut Romulus Augusto.

Secunda est *prioritas consequentiae,* secundum quod aliquid est tale, ut alio posito, et ipsum sit necessario ponendum: si vero ipsum ponitur, non sit ponendum aliud necessario. Sic *unum* habet prioritatem consequentiae respectu numeri, nam si datur numerus, necessario datur et unum, ut vidimus; at si datur unum, non debet necessario dari et numerus.

Tertia est prioritas ordinis, quatenus aliquid habet respectu alterius talem habitudinem ut in ordinatione quae inter ipsa instituatur debeat esse altero prius. Sic in oratione proœmium est prius narratione: uno verbo, semper in ordinatione plurium est aliquod primum, ordine, a quo ordo ipse procedit.

Quarta est prioritas dignitatis, quae attenditur secundum excellentius et honorabilius esse, sicut e. g. homo habet prioritatem dignitatis super omnes visibiles creaturas.

Quinta est prioritas naturae. Quid sit ista prioritas accipe immediate ab Aristotele ipso *(de Praedicam).* c. 9. 12. " Videtur autem esse praeterea aliud eius genus. Eorum enim quae vicissim retro commeant, cum ex uno alterum esse concluditur, quod causa est quomodocumque cur sit alterum, id recte prius naturae ordine dicitur. Esse autem eius generis quaedam, hinc intelligi potest, quod esse hominem, et vera de eo oratio, sic reciprocantur, ut si homo sit, vera sit oratio, " esse hominem „ et si " esse hominem „ vera sit oratio, sit homo. Vera autem oratio minime causa est cur res sit, resque potius causa est quodammodo cur vera sit oratio. Nam quia res sit aut non sit, idcirco vel vera vel falsa oratio dicitur. Quinque ergo modis alterum altero prius habetur „.

Tamen etiam aliis modis usurpatur prioritas naturae; sed de hoc in thesi sequenti.

THESIS IIª. — Dicitur aliquid prius alio natura quadrupliciter; 1º ratione causae; 2º ratione comitatis et dependen-

tiae; 3° secundum ordinem substantiae et accidentis; 4° secundum divisionem entis in actum et potentiam.

593. Praenotandum. — Nota haec verba S. Thomae (V. *Metaph.* l. 13) relate ad prioritatem et posterioritatem in genere: .... " Significatio prioris dependet a significatione principii. Nam principium in unoquoque genere est id, quod est primum in genere. Prius autem dicitur, quod est propinquius alicui determinato principio. Huiusmodi autem ordo principii, et eius quod est principio propinquum, potest attendi multipliciter. Aut enim aliquid est principium et primum simpliciter et secundum naturam, sicut pater est principium filii. Aut est principium " ad aliquid „ idest per ordinem ad aliquid extrinsecum; sicut dicitur id, quod est secundum se posterius, esse prius quantum ad aliquid; vel quantum ad cognitionem, vel perfectionem, vel dignitatem, vel aliquo tali modo. Vel etiam dicitur aliquid esse principium et prius quantum ad ubi. Aut etiam aliquibus aliis modis „. Deinde ait: " *Et sicut id quod est propinquius principio est prius, ita quod remotius a principio est posterius* „ [1]).

594. Probatur 1ª pars. — Prioritas naturae ratione causae habetur quando ex duobus quae forte sunt simul tempore, et interdum inter se convertuntur quantum ad essendi consequentiam, unum intelligitur et est causa essendi alterius. V. g. sol et lux solis sunt simul tempore et convertuntur quantum ad essendi consequentiam, nam si est lux solis est sol, et si est sol est lux solis; tamen sol intelligitur et est causa essendi lucis solis. Ergo sol habet prioritatem naturae respectu lucis solis: idem dic de homine et risibilitate, de luce et calore, etc. Similiter fingamus Deum creavisse ab aeterno aliquam creaturam; inter Deum et talem creaturam non esset certe prioritas durationis nec inter se converterentur quantum ad essendi consequentiam, nam verum

---

[1]) Postea agit de prioritate:
1° Secundum ordinem in loco.
2° Secundum ordinem temporis.
3° Secundum ordinem in motu.
4° Secundum ordinem in rebus discretis.
5° Secundum ordinem cognitionis sive intellectivae sive sensitivae.
(Cf. etiam *Quodl.* V, a. 1 q.).

esset dicere: *est creatura, ergo est Deus;* sed non esset verum dicere: *est Deus, ergo est creatura,* et tamen Deus per respectum ad talem creaturam haberet prioritatem naturae, nam esset causa essendi eius.

Probatur 2ª 3ª et 4ª pars. — Quaedam dicuntur esse priora idest secundum naturam et substantiam idest secundum naturalem ordinem in essendo. Et hoc tripliciter. *Primo ratione comitatis aut dependentiae* secundum quod priora dicuntur, quae possunt esse sine aliis et illa non possunt esse sine eis, et *hoc est prius a quo non convertitur essendi consequentia,* ut dicitur in praedicamentis . . .

Secundus modus attenditur *secundum ordinem substantiae et accidentis.* Quia enim ens multipliciter dicitur, et non univoce, oportet, quod omnes significationes entis reducantur ad unam primam, secundum quam dicitur ens, quod est subiectum aliorum entium per se existens. Et propter hoc primum subiectum dicitur esse prius, unde substantia prius est accidente.

Tertius modus attenditur *secundum divisionem entis in actum* et *potentiam.* Nam uno modo dicitur aliquid esse prius secundum potentiam, et alio modo secundum actum: Secundum potentiam quidem dimidium rei est prius re ipsa, et quaelibet pars toto, et materia quam substantia, idest quam forma. Haec enim omnia sic comparantur ad ea, respectu quorum sic dicuntur priora, ut potentia ad actum: secundum actum vero dicuntur praedicta esse posteriora. Nam praedicta non efficiuntur in actu nisi per dissolutionem: resoluto enim toto in partes, incipiunt partes esse in actu. (S. Thomas, V. *Metaph.* l. 13ª).

Nota 1ª — Omnes modi prioris et posterioris possunt reduci ad modum qui consideratur ratione comitatis aut dependentiae, *quia omnia priora aliquo modo possunt esse sine posterioribus, et non e converso:* h. e. illo sensu quo aliquid est prius potest stare sine posteriore: v. g. sol per respectum ad lucem suam potest stare sine ipsa, non tempore, quia tempore simul sunt, sed natura, scilicet intellectus solis potest stare sine intellectu lucis solis, sed non e converso [1]).

---

[1]) S. Th. V. *Metaph.* l. 17. in fine. — *De Ente et Essentia* cap. 3.

595. Scholion. — *Ordo naturae non est confundendus cum prioritate naturae et potest esse absque prioritate.* — Ordo enim semper dicitur per comparationem ad aliquod principium. Unde sicut dicitur principium multipliciter, scilicet secundum situm, ut punctus ; secundum intellectum, ut principium demonstrationis, et secundum causas singulas, ita etiam dicitur ordo. Unde si dari potest principium sine prioritate, dari quoque potest ordo sine prioritate. Porro dari potest principium secundum originem sine prioritate ut patet in divinis. Ergo dari quoque potest ordo secundum originem sine prioritate. Porro ordo secundum originem vocatur *ordo naturae.* Ergo ordo naturae non est confundendus cum prioritate naturae, et potest esse absque ulla prioritate naturae. [1])

Nota. — Quando *ordo naturae* dicitur de Deo, tunc statim intelligi debet *absque prioritate,* quia per illud — *naturae* — importatur ratio *originis* quae in Deo accipi debet absque ulla prioritate. Unde Augustinus dicit quod *ordo naturae* (in Deo) *est non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero.* Ubi notat S. Thomas (I D. 20. q. 1. a. 3) quod in divinis, species ista *(ordo naturae)* salvatur quantum ad rationem differentiae, scilicet originem, et non quantum ad rationem generis scilicet ad prioritatem et posterioritatem quae de se est de ratione *ordinis* ut sic. Et nota quod non est contradictio inter ea quae supra dicta sunt (ex *Summae* I. p. q. 42. a 3) et ea quae hic dicimus. Nam non concedit absolute S. Th. *in Summa* quod dari possit *ordo sine prioritate,* sed dicit quod dari potest *ordo originis* absque prioritate.

596. Dices. — In quibuscumque est ordo naturae, unum est prius altero, *saltem* secundum naturam et intellectum — Ergo ordo naturae non est absque quacumque prioritate.

---

[1]) Cf. S. Th. 1. p. q. 42. a. 3; q. 33. a. 1 ad 3^{m}. Cf. Billot, *De Deo Trino* Th. 49. Unde *ordo naturae* generatim idem est ac *ordo originis :* porro origo *de se* non dicit quod aliquid sit *post aliud* sed tantum *ex alio :* unde ratione differentiae, ordo naturae non dicit ullo modo prioritatem : sed ratione generis dicit prioritatem. Tamen quando origo est absque prioritate, tunc ipse *ordo originis* est absque prioritate, quia ratio generica non amplius attenditur, imo tollitur per positionem talis differentiae.

R. In rebus creatis, etiam cum id, quod est a principio, sit suo principio coaevum secundum durationem, tamen principium est prius secundum naturam et *intellectum, si consideretur id quod est principium*; sed si considerentur ipsae relationes causae et causati, et principii et principiati, manifestum est quod relativa sunt simul natura et intellectu, in quantum unum est in definitione alterius [1]).

Hinc patet quod nullo modo est admittenda prioritas Scotistica, quam ipse vocat prioritatem originis, qua Pater est principium a quo est Filius. Sed de hoc in Theologia dogmatica.

THESIS III[a]. — Simultas, quae prioritati ac posterioritati opponitur, duplex est, scilicet temporis et naturae.

597. Probatur. — En verba Aristotelis *(Categ.* cap. X): Simul vero dicuntur ea simpliciter quidem et strictissime, quorum generatio in eodem tempore est. Neutrum enim illorum prius est aut posterius. Simul vero secundum tempus haec dicuntur.

Natura vero simul dicuntur, quae reciprocantur quidem secundum consequentiam, qua ea esse dicuntur, quorum tamen alterum nequaquam alteri causa est, ut sit; velut in duplo et dimidio; nam haec reciprocantur; duplum enim cum sit, dimidium est, et dimidium cum sit, duplum est; neutrum vero causa est, ut sit. Et quae ex eodem genere per divisionem mutuo sibi opponuntur, simul natura esse dicuntur. Opponi autem per divisionem mutuo dicuntur, quae secundum eandem divisionem opposita sunt, ut volatile pedestri et aquatico. Haec enim mutuo per divisionem opposita sunt, ex eodem genere cum sint. Animal enim in haec dividitur, in volatile, pedestre et aquaticum; et nullum illorum prius est aut posterius, sed natura haec simul esse videntur. Dividi autem posset unumquodque illorum iterum in species; ut pedestre et volatile et aquaticum. Erunt ergo et haec simul natura, quaecumque ex eodem genere secundum eandem divisionem sunt. Genera vero speciebus semper priora sunt; non enim reciprocantur secundum consequentiam, qua sunt; velut aquaticum si est, animal est; animal vero cum est, non est

---

[1]) Cf. S. Th. 1. p. q. 42. a. 3. ad 2[m]. — 1. p. q. 13 a. 7. ad 6[m].

necesse aquaticum esse. Simul ergo natura esse dicuntur, quae reciprocantur quidem secundum consequentiam, qua sunt, quorum autem nequaquam alterum alteri causa est, ut sit, et quae ex eodem genere per divisionem sibi invicem opposita sunt. Simpliciter autem simul esse dicuntur, quorum generatio in eodem tempore est.

598. Scholion 1m — *Motus est actus entis in potentia in quantum huiusmodi.*

Probatio erit in Cosmologia. — Species motus sunt sex : *generatio, corruptio* (in praedicamento substantiae) — *augmentatio, diminutio* (in praedicamento quantitatis) — *alteratio* (in praedicamento qualitatis) — *mutatio loci* (in praedicamento *ubi*). — Sed de omnibus his in Cosmologia.

599. Scholion 2m — *Habere, quod omnino distinguitur a praedicamento " Habitus „ valet possidere aliquid quocumque modo.*

Hoc patebit ex ipsa enumeratione praecipuorum modorum quibus aliquid habet aliquid. — Primus est habere ad modum *quantitatis,* sicut turris habet altitudinem. — Secundus est habere ad modum *qualitatis,* sicut homo habet *iustitiam.* — Tertius ad modum *relationis,* ut pater habet filium. — Quartus ad modum *passionis,* sicut aqua habet calidum. — Quintus ad modum *situs,* sicut homo habet sessionem. — Sextus ad modum *mensurae* quae esse potest vel temporis, vel loci, sicut homo habet annos et distantiam secundum locum. — Septimus ad modum *partis,* ut homo habet manum. — Octavus ad modum *dominii,* ut homo habet pecuniam. — Nonus ad modum *contenti,* ut lagena habet vinum. — Decimus ad modum *actus,* sicut materia habet formam. — Undecimus ad modum *potentiae,* sicut forma habet materiam.

PARS SECUNDA

De secunda mentis Operatione.

Tractatus Ius.

De Veritate formali eiusque opposito.

QUAESTIO PRIMAM.

De ipsa Veritate formali.

600. Introductio. — Sicut quaestio de Universalibus pertinet ad ea, quae determinantur circa primam intellectus operationem, ita quaestio de Veritate pertinet ad ea, quae circa secundam quaeruntur.

Et primo quidem, ut bene perpendantur quae ad hanc quaestionem pertinent, notandum est, quod quaestio de Veritate quantum ad conclusiones, quae demonstrantur, (scil. quantum ad determinandum an sit veritas v. gr. in apprehensione, in iudicio etc.) perquam facilis est; sed contra valde difficile est assignare *propter quid,* seu propriam causam eorum, quae in his conclusionibus asseruntur, et eorundem intimam tradere explicationem, quae communiter ab omnibus per communem sensum tenentur. — Si enim vel rudissimum interroges, an verum dicam, cum profero has voces: *homo, lapis, decem,* vel aliquid huiusmodi, absolute sine relatione ad aliquid determinatum (v. gr. ad id, quod digito ostendam), neque verum, neque falsum in his esse indubitanter respondebit. E contra si dixeris " *homo est animal rationale, Petrus currit* „ etc., et interroges, an in huiusmodi sit veritas vel falsitas, absque ulla haesitatione respondebit affirmando. Item quid sit veritas omnes norunt confusa quadam cognitione; determinare autem eius propriam naturam et defini-

tionem, et eam, quae a sapientibus data est, plene intelligere, hoc opus, hic labor est. Sicut et in aliis quibusdam contingit, de quibus quid sint, rudi quodam modo, ab omnibus communiter scitur, accurate tamen de iisdem determinare et propriam eorum definitionem investigare, aut investigatam ab aliis plene intelligere non est sine labore et difficultate. Exemplo sit loci et temporis propria ratio, in qua investiganda non parum desudant philosophi, cum tamen quid sit tempus, quid locus, confusa quadam cognitione omnibus notum sit; ita ut dicere quis possit cum S. Augustino: " Si non interrogas me de huiusmodi, scio quid sint, si autem petas, ut exprimam definitione accurata quid sint, prorsus nescio „.

In huiusmodi autem quaestionibus, ante omnia curandum est, ne a sensu communi recedamus; in fine enim laboriosae etiam tractationis, si a vero non aberraverimus, inveniemus quam consonum veritati illud sit, quod communiter etiam a rudibus, quasi natura duce, tenetur. Et hoc signum est veritatis vel maximum, quod ea, quae quis subtiliter de aliqua re est speculatus, eadem apprime concordent cum iis, quae communiter tanquam vera habentur etiam a quocumque rudi homine, quem pseudophilosophia naturali criterio destitutum et plane orbatum non effecerit.

Cum autem ad rectam intelligentiam quaestionis de Veritate, plures omnino requirantur notiones, quae per singulas theses distributae, nimis forsan mentem obruerent, non inutile visum est, sub intuitu quodam generali aliqua hic praemittere, quae et intelligentiam thesium faciliorem reddant, et ex thesibus ipsis ulteriorem recipiant confirmationem.

Notiones generales.

601. I° **De Veritate in simplici apprehensione.** — 1° *Veritas proprie et perfecte non invenitur in simplici apprehensione: invenitur tamen imperfecte, et ita quidem ut intellectus simpliciter apprehendens sit semper verus.* — Veritas, ut infra probabimus, definitur " *adaequatio intellectus et rei* „: unde patet quod tantum in iudicio et in enunciatione, quae est eius signum, *proprie* et

perfecte reperitur veritas; nam tantum in iudicio et enunciatione habentur *duo termini,* quorum alter exibet *rem,* alter *intellectum ;* et *copula,* quae exhibet *adaequationem* seu habitudinem inter haec duo. Contra, *Universalia incomplexa,* de quibus egimus, utpote quae pertinent ad primam mentis operationem, non exhibent proprie verum vel falsum; et ideo generatim dicitur quod *in prima simplici apprehensione veritas formalis non est.* V. gr. cum dico " *homo* „ neque verum aliquod, neque falsum assero. — Notandum est tamen, quod aliud est notio aliqua, quae apprehenditur *in se absolute,* et aliud est apprehendere aliquid non absolute, sed *de aliquo.* Unde, quando dicitur quod prima simplex apprehensio a veritate deficere non potest per se, intelligitur hoc de veritate, quam habet simplex apprehensio ut est *de aliquo,* nempe de eo, a quo immediate et primo hauritur talis conceptus. Cum intellectus apprehendit v. gr. *hominem, lapidem, leonem* etc., neque verum neque falsum exhibet; sed si *leo* apprehenditur *de cane,* quem totonderunt leonis modo, iam ista simplex apprehensio deficit a veritate, et aliquod falsum exhibet. Et sic quando video aliquid, quod mihi videtur animal, sed tale non clare apparet, non dubito de veritate conceptus animalis, quem primo hausi ab alio, sed tantum dubito an etiam istud, quod video, sit revera animal; et de hoc quaero certificari, non autem de primo, a quo illum conceptum hausi. Impossibile enim est quod intellectus deficiat in intelligendo id, cuius similitudine directe informatur, scil. in intelligendo *quod quid est* [1]). Ad rem S. Thomas (C. G. lib. I. c. 59):

" Cum aliquod incomplexum vel dicitur vel intelligitur, ipsum quidem incomplexum, quantum est de se, nec est rei aequatum, nec rei inaequale, cum aequalitas et inaequalitas secundum comparationem dicantur. Incomplexum autem, quantum est de se, non continet aliquam comparationem, vel applica-

---

[1]) Scire de aliquo *quid est,* contingit multipliciter. " In rebus, quarum definitiones cognoscimus (idest " *possumus* cognoscere „ ut patet ex contextu) primo eas *in genere* collocamus, per quod scimus *in communi* quid est, et postmodum *differentias* addimus, quibus a rebus aliis distinguantur, et sic perficitur substantiae rei completa notitia „. S. Th. C. G. I. 14.

tionem ad rem, unde de se nec verum, nec falsum dici potest; sed tantum complexum, in quo designatur comparatio incomplexi ad rem per notam compositionis aut divisionis. Intellectus autem incomplexus, intelligendo quod quid est, apprehendit quidditatem rei in quadam comparatione ad rem, quia apprehendit eam ut huius rei quidditatem; unde licet ipsum incomplexum, et etiam definitio, non sit per se verum vel falsum, tamen intellectus apprehendens quod quid est, dicitur quidem per se semper esse verus, ut patet in tertio *De anima* (t. e. 26); etsi per accidens possit esse falsus, in quantum vel definitio includit aliquam complexionem vel partium definitionis ad invicem, vel totius definitionis ad definitum; unde definitio dicetur (secundum quod intelligitur ut huius vel illius rei definitio, secundum quod ab intellectu accipitur) vel simpliciter falsa, si partes definitionis non cohaereant in invicem, ut si dicatur animal insensibile, vel falsa secundum hanc rem, prout definitio circuli accipitur ut trianguli. Dato igitur per impossibile, quod sic intellectus divinus solum incomplexa cognosceret, adhuc esset verus cognoscendo suam quidditatem, ut suam „.

Ibidem vero notat quod " Intellectus noster apprehendendo incomplexa, nondum pertingit ad ultimam sui perfectionem, quia adhuc est in potentia respectu compositionis et divisionis, sicut in naturalibus simplicia sunt in potentia respectu mixtorum, et partes respectu totius .... sed veritas consequitur intellectum nostrum in sui perfecta cognitione, quando iam usque ad compositionem pervenit „ (C. G. l. I. c. 59) [1]).

2° *Ratio huius rei pendet ex proprio modo intelligendi universale.* — Ad maiorem praecedentium declarationem iuvat aliquid recolere ex iis, quae de universalibus disseruimus. Universale fit ab intellectu abstrahendo naturam communem a notis individuantibus. Proprius ergo modus, quo intellectus noster in praesenti statu res intelligit, est per hoc, quod abstrahit speciem

---

[1]) Nota quod quando S. Thomas loquitur de simplici apprehensione, plerumque non loquitur de ipso *incomplexo absolute,* sed de *intellectu incomplexo* (quae duo maxime differunt), ut cum considerat formam, quam intellectus apprehendit de re, quam deinde componit cum re.

intelligibilem a phantasmate sensibili, intelligendo universale *in* phantasmate singulari: quidquid enim intellectus attingit, efficit universale, adeo ut hoc ipsum quod dico " *singulare* „, universale quoddam fiat quod de omnibus omnino rebus existentibus *ut sic* praedicatur. — Non tamen ita intellectus noster est *cognoscitivus universalium,* quin *attingat* aliquo modo etiam ipsa *singularia;* singularia dico, in quantum singularia sunt, non solum secundum communem rationem singularium: sed attingit tantum *indirecte,* dum contra *directe* cognoscit solum ipsarum naturam universalem. Nam, ut dicebamus, cum intellectus noster intelligat in praesenti statu naturam universalem *in* phantasmate singulari, sequitur quod ipsam quidem naturam universalem attingit *ut quod* intelligit, nempe *directe;* singulare autem, per singularia phantasmata repraesentatum, attingit *ut in quo* intelligit universale, nempe veluti instrumentum vel medium, quo intelligere possit universale; et hoc significat illud *indirecte.* — Audiatur S. Thomas (1ª. p. q. 86. a. 1. c.): " Singulare in rebus materialibus intellectus noster *directe* et *primo* cognoscere non potest. Cuius ratio est, quia principium singularitatis in rebus materialibus est materia individualis. Intellectus autem noster, sicut supra dictum est (quaest. 85. a. 1.), intelligit abstrahendo speciem intelligibilem ab huiusmodi materia. Quod autem a materia individuali abstrahitur, est universale. Unde intellectus noster *directe* non est cognoscitivus nisi universalium. — *Indirecte* autem, et quasi per quamdam reflexionem, potest cognoscere singulare, quia, sicut supra dictum est (q. 84. q. 7.), etiam postquam species intelligibiles abstraxerit, non potest secundum eas actu intelligere, nisi convertendo se ad phantasmata, in quibus species intelligibiles intelligit, ut dicitur in 3º *de Anima* (text. 32). Sic igitur ipsum universale per speciem intelligibilem *directe* intelligit, *indirecte* autem singularia, quorum sunt phantasmata; et hoc modo format hanc propositionem: " *Socrates est homo* „.

3º *Intellectus debet attingere etiam singularia, sed indirecte.* — Quod nisi fieret, non esset cognitio nostra intellectiva perfecta et vera. Universalia enim *non sunt nisi in singularibus,* et quamvis verissimum sit quod contra Platonem cum S. Thoma

asseruimus quod alius est modus intellectus in intelligendo et rei in essendo, et quod ipsae res, ut sunt in intellectu, alio modo sunt ac sint in seipsis; tamen si minus in essendo, in intelligendo saltem et in repraesentando ita rebus debet intellectus conformari, ut intelligat *eas esse sicuti sunt,* praecise ne attribuat ipsis modum, quo eas habet apud se, sed modum, quo in seipsis sunt. Ut ergo perfecte cognoscat ipsum universale debet illud attingere *ut in singulari.* Sed ipsum singulare *ut sic* est obiectum sensus non intellectus in nobis, quia cognitio nostra, utpote ex sensitiva et intellectiva coalescens, fit per abstractionem intelligibilis a sensibili. Ergo singulare etiam ab intellectu attingi debet; sed cum non attingatur directe, ut demonstratum est, oportet ut quodam alio modo attingatur, qui bene exprimitur per hoc, quod dicitur " *non directe* „ seu " *indirecte* „. Quod intellectus debeat attingere singularia patet etiam per exemplum: cum dico v. g. " *Petrus est homo* „ exhibeo iudicium aliquod intellectus per enunciationem expressum. Atqui enunciatio omnis est in intellectu secundum utrumque terminum. Ergo *Petrus,* et generatim singulare signatum, quod multarum enunciationum subiectum esse potest, aliquo modo est in intellectu. Quonam autem modo sit in intellectu, iam vidimus, nempe non *ut quod* intelligitur, sed *ut in quo* attingitur id, quod directe intelligitur, scil. universale. — Et hoc est necessarium, ut nostra cognitio sit completa et vera; nam, ut dicit S. Th. (p. I. q. 84. a. 7) " intellectus humani, qui est coniunctus corpori, proprium obiectum est quidditas, sive natura *in materia corporali* existens; et per huiusmodi naturas visibilium rerum, etiam in invisibilium rerum aliqualem cognitionem ascendit. De ratione autem huius naturae est quod, *in aliquo individuo existat,* quod non est absque materia corporali; sicut de ratione naturae lapidis est, quod sit in hoc lapide, et de ratione naturae equi est, quod sit in hoc equo, et sic de aliis. Unde natura lapidis, vel cuiuscumque materialis rei, cognosci non potest complete et vere, nisi secundum quod cognoscitur ut *in particulari* existens. Particulare autem apprehendimus per sensum et imaginationem: et ideo necesse est ad hoc, quod intellectus actu intelligat suum obiectum proprium, quod convertat se ad phantasmata, ut speculetur natu-

ram *universalem in particulari* existentem „. Et in sequenti articulo (ib. a. 8.) dicit: " Non potest esse perfectum iudicium scientiae naturalis, si sensibilia ignorarentur . . . . Naturalis non quaerit cognoscere naturam lapidis et equi, nisi ut sciat rationes eorum, quae videntur secundum sensum „. Unde concludit: " Impossibile est quod sit in nobis iudicium intellectus perfectum cum ligamento sensus, per quem res sensibiles cognoscimus „.

602. II° **Veritas in Iudicio et Enunciatione.** — 1° *Veritas formalis invenitur proprie tantum in Iudicio.* — Ad Veritatem formalem habendam tria potissimum requiruntur, ut patet ex ipsius definitione: *a) res, b) intellectus, c) adaequatio,* scil. oportet quod res correspondeat conceptui, quem intellectus habet de ipsa. Sed, ut iam ab initio innuimus et suo loco fusius explicabimus, haec omnia inveniuntur in Iudicio, et tantum in Iudicio. Ergo in ipso et in eius signo, quod est enunciatio, proprie invenitur veritas formalis. In Iudicio etiam completur perfecta intellectus operatio, quae " apprehendendo incomplexa, ut ait S. Th., nondum pertingit ad ultimam sui perfectionem „ (C. G. l. I. c. 59). Et alibi S. Doctor explicat magis hanc rem: " Intellectus humanus non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem; sed primo apprehendit aliquid de ipsa, puta quidditatem ipsius rei, quae est primum et proprium obiectum intellectus; et deinde intellegit proprietates et accidentia et habidines circumstantes rei essentiam „. (I. p. q. 85. a. 5. c.).

2°. *Singulare signatum est primum subiectum.* — Ut dictum est, intellectus *directe* attingit universale, *indirecte* singulare. Universalium autem est praedicari, non subiici; singularium vero subiici, non praedicari. Praedicatum ergo exhibet id, quod ego intelligo de re; subiectum autem ipsam rem singularem supponit praedicationi. Quod enim inest alicui, de eo tamquam de subiecto praedicari potest. Unde subiectum stat pro materiali, praedicatum vero pro formali. Subiectum ergo, in quantum subiectum est, non exhibet nisi id, *de quo* intelligitur quidquid intelligitur, sive id, *in quo* inest (tanquam in singulari) ratio illa universalis, quam ego intelligo: et idcirco bene dicitur quod, ut sic, non intelligitur *ut quod,* sed mere attingitur *ut de quo*

et *ut in quo*. Et hoc evenit in omni praedicatione naturali. Unde quod naturaliter supponitur omnibus praedicationibus est singulare; et dicitur *suppositum* praecise ex hoc, quod supponitur omnibus praedicationibus ut illud, cui attribuo quaecumque de ipso intelligo. — Et quia singulare signatum, quod *indirecte* tantum ab intellectu intelligitur, seu potius (ut saepe diximus) *attingitur,* illud ipsum est, quod a sensibus attingitur *directe* et *proprie;* ideo ad designationem subiecti singularis ea adhibemus, quae pertinent ad propriam sensus operationem, ut cum dico: " *hic* homo, *hoc* lignum, etc. „ nempe " *hic* homo, *quem video* etc. „ Idem enim suppositum est, quod utramque habet operationem: et operatio sensus ita ad operationem intellectus continuatur, ut secundum sui supremum attingat infimum intellectus, et vicissim infimum intellectus supremum ipsius sensus attingat. — Audiatur S. Th.: " Dicitur autem (substantia particularis) subiectum, de quo alia dicuntur . . . . ipsum autem subiectum non praedicatur de alio „ (VII°. *Met.* lect. 2). Quaedam scilicet possunt huiusmodi esse, quae modo subiiciantur, modo praedicentur; sed illud, quod simpliciter et secundum se est subiectum, vel aliis verbis illud, quod est *primum* subiectum praedicationis, ita est subiectum, quod nullo modo se habet ut praedicatum. — Et in 3.m *Sent.* D. 5. q. 1. a. 2. ait: " Substantia autem praeter significationes, quibus forma vel materia dicitur substantia, dicitur duobus modis secundum Philos. (V° *Metaph.*). Uno modo *subiectum* ipsum, quod dicitur " *hoc aliquid* „ et de altero non praedicatur [1]), ut *hic homo:* secundum quod substantia significatur nomine *hypostasis* . . . . „. Et alibi (*De Pot.* q. IX. a. 1): " Dicitur uno modo substantia *ipsum subiectum ultimum,* quod non praedicatur de alio, et hoc est particulare in genere substantiae „ [2]).

---

[1]) Et ratio est quia de altero non intelligitur, sed est *de quo* omnia intelliguntur, et consequenter *de quo* omnia praedicantur.

[2]) Dicit *in genere substantiae,* quia particulare in genere accidentis praedicatur de substantia, cum accidens sit entis ens; unde non solum ratione universalitatis praedicatur, sed etiam quia alterius est tanquam subiecti.

Nota. — Quando dicitur quod primum subiectum est singulare signatum sive suppositum, loquimur de *subiecto praedicationis* et *non inhaesionis,* quae duo non solum non incidunt in idem, sed e diametro opponuntur, ita tamen, ut secundum quandam analogiam se habeant ad invicem: sicut enim primum subiectum inhaesionis debet esse prorsus informe seu ultimo informe, ita primum subiectum praedicationis debet esse prorsus et ultimo formatum. De unoquoque enim praedicatur quod ipsi inest, non id ad quod est in potentia; illud autem, de quo omnia praedicantur, omnia complectitur, et habet rationem ultimo completi. Proinde de primo subiecto inhaesionis nihil proprie potest affirmative praedicari, nisi cum addito " *in potentia* „: unde materia prima notificatur per hoc, quod dicitur " *neque quid, neque quantum, neque quale,* etc. „, quamvis, cum nihil sit, horum quodlibet sit *in potentia.* — E contra vero, suppositum seu subsistens distinctum notificatur per hoc, quod sit *de quo* omnia praedicantur, quae in re sunt. Etenim " hypostasis significat substantiam particularem, non quocumque modo, sed in suo complemento; secundum vero quod venit in unionem alicuius magis completi, non dicitur hypostasis, sicut manus vel pes . . . Tantum hypostasis est, cui attribuuntur operationes et proprietates naturae, et ea etiam quae ad naturae rationem pertinent in concreto: dicimus enim quod *hic homo* ratiocinatur, et est risibilis, et est animal rationale. Et hac ratione *hic homo* dicitur esse *suppositum,* quia scilicet supponitur his, quae ad hominem pertinent, eorum praedicationem recipiens „. (S. Th. p. III^{a}. q. 2^{a}. a. 3. ad 2^{m} et *ib.* c.).

Unde inferre potes quod id, quod est subiectum in enunciationibus, et quidem *primum subiectum* omnium praedicationum eas omnes verificans, est res ipsa singularis prouti materialiter in seipsa invenitur, cum omnibus quae ad ipsam pertinent sive essentialiter, sive accidentaliter. Cum dico v. g.: *Petrus currit,* vera est propositio, si Petrus realiter et materialiter, ut est in se, revera habet hoc accidens; secus erit falsa: et idem dicatur de omnibus ceteris. Nomen quidem *Petrus* nihil exhibet de forma cursus, sed supponit rem ut est, et proinde vera est propositio, si forma cursus, quam ego apprehendo de re, est in re.

Et quando dico " *Petrus currit* „ hoc assero, quia cognosco hanc formam esse in re, non quia cogitatur a me. Nam intellectus tunc iudicat, cum cognoscit rem sic vel sic se habere; nempe cognoscere rem ita vel ita se habere, sicut apprehendebatur, hoc est habere de re iudicium et cognitionem aliquam simpliciter dictam.

3° *Subiectum se habet ad praedicatum sicut principium ad conclusionem.* — Est haec doctrina S. Thomae [1]). Principium virtualiter continet conclusionem. Ita etiam subiectum, in sua unitate, virtute continet omnia, quae seorsim de eo intellectus intelligit et praedicat. Res enim, saltem secundum sua essentialia, non variatur, sed bene variatur intellectus noster in sua cognitione de re. Atque ita variatur, ut, cum procedat aliquo modo de potentia in actum, prius pertingat ad cognitionem rei imperfectam, deinde paulatim deveniat ad perfectam. — Et hic advertendum est quod, quo aliqua notio universalior est, eo etiam nobis est confusior et indeterminatior: cum ex. gr. aliquid videtur moveri a longe, prius habetur cognitio confusa de eo, nempe quod est aliquod animal, deinde quo propius accedit, eo distinctius cognoscitur, quod est homo, et quod est *talis* homo; hoc autem accidit sive quantum ad cognitionem sensitivam, sive quantum ad intellectivam. Tamen ex parte praedicati prius ponitur notio universalior et magis confusa, deinde ponuntur gradatim notiones minus universales: e contra ex parte subiecti semper particulare et *hoc aliquid* in sua ultima determinatione. Ergo subiectum quod determinatur, v. gr. *hoc aliquid,* non exhibet proprie id, quod intelligitur, sed id, *de quo* quaeritur, et *de quo* intelligitur quidquid intelligitur; et remanet invariabiliter

---

[1]) " Sicut in intellectu ratiocinante comparatur conclusio ad principium, ita in intellectu componente et dividente comparatur praedicatum ad subiectum. Si enim intellectus noster statim in ipso principio videret conclusionis veritatem, nunquam intelligeret discurrendo vel ratiocinando. Similiter si intellectus statim in apprehensione quidditatis subiecti, haberet notitiam de omnibus quae possunt attribui subiecto vel removeri ab eo, nunquam intelligeret componendo et dividendo, sed solum intelligendo *quod quid est* „. (I. p. q. 58. a. 4. c.).

idem, nisi in quantum subiecto singulari apponitur tanquam notum, quod iam de ipso quaesitum et perceptum est; et sic in allato exemplo dicimus: " illud ens, quod movetur, est animal, illud animal est homo, ille homo est talis homo „.

Haec omnia iuverit adnotasse ad maiorem intellectionem tum universalium, tum quaestionis de ratione et definitione suppositi, tum praesertim eorum, quae de Veritate probanda sunt, ad cuius tractationem accedimus.

THESIS 1ª. — In rationem cuiuscumque veri ingreditur intellectus. Quare bene notificatur veritas per conformitatem intellectus et rei.

603. Probatur 1ª pars. — Tria sunt, quae communiter dicimus vera: 1º res; v. g. aurum verum; 2º conceptus: h. e. iudicia; 3º voces: h. e. enunciationes. — Atqui non intelliguntur vera, nisi aut ordo ipsorum ad intellectum, aut ordo intellectus ad ipsa intelligantur. — Ergo in rationem cuiuscumque veri necessario ingreditur intellectus.

Probatur minor. Nam res naturales dicuntur verae essentialiter secundum quod assimilantur intellectui divino, accidentaliter vero quatenus intellectus creatus ipsis assimilatur. Conceptus noster dicitur verus secundum quod conformatur rei, falsus autem secundum quod discordat a re. Voces sunt signa intellectuum; ergo erit vox vera quae significat verum intellectum, falsa autem quae significat falsum intellectum, quamvis vox in quantum est res quaedam, dicatur vera, sicut et aliae res. Unde haec vox " *homo est asinus* „ est vere vox, et vere signum, sed quia est signum falsi, ideo dicitur falsa [1]).

Probatur 2ª pars. — Patet ex prima; nam res dicitur vera quatenus intellectui conformatur seu adaequatur, vel potest conformari seu adaequari; intellectus autem quatenus ipsis rebus conformatur; voces autem veritatem non habent, nisi quatenus exprimunt veritatem ipsius intellectus; quod est dicere conformitatem seu adaequationem eius et rei. — Ergo veritas bene notificatur per conformitatem intellectus et rei.

---

[1]) Cf. S. Th. 1. *Periher* l. 3.

THESIS II[a]. — **Veritas primario est in intellectu, secundario autem in rebus per ordinem ad intellectum.**

Probatur 1[a] pars. — Verum secundum sui primam rationem nominat terminum intellectus [1]); nam nomen veri ad hoc significandum impositum est, sicut nomen boni est impositum ad significandum terminum appetitus. — Atqui terminus intellectus est in ipso intellectu ; nam ut per appetitum dicitur quis ferri in rem extra, ita per intellectum dicitur concipere eam intra se, intus legere seu colligere externa, apprehendere etc. Ergo verum secundum sui primam rationem non est nisi in intellectu. Ergo in aliis quibuscumque non est nisi secundario [2]).

Declaratur. — Appetitus proprie et directe tendit in perfectionem *alienam* quae per ordinem ad convenientiam ad ipsum vocatur bonitas, licet de facto contingat appetitum ipsum perfici in appetitione veri boni. At intellectus tendit semper in perfectionem *suam,* licet possit contingere quod, dum tendit in aliquid sui, tamquam in perfectionem intentam, feratur in aliquid extraneum tamquam in obiectum cognoscendum. Patet ergo verum proprie et principaliter esse in intellectu.

Probatur 2[a] pars. — Nam sicut bonum est in re in quantum habet ordinem ad appetitum, et propter hoc ratio bonitatis derivatur a re appetibili in appetitum, secundum quod appetitus dicitur bonus prout est boni : ita cum verum sit in intellectu, secundum quod conformatur rei intellectae, necesse est quod ratio veri ab intellectu ad rem intellectam derivetur, ut res etiam intellecta vera dicatur, secundum quod habet aliquem ordinem ad intellectum. Res autem intellecta ad intellectum potest habere ordinem vel per se vel per accidens. *Per se* habet ordinem ad intellectum a quo dependet *secundum esse : per accidens* ad intellectum a quo cognoscibilis est. Sicut si dicamus,

---

[1]) Adverte quod verum formaliter non est id in quod tendit intellectus tamquam in *obiectum*, hoc enim est ens et non verum, sed id in quod tendit intellectus tamquam in suam *perfectionem.* Hoc autem non est ens, sed est praecise aliqua perfectio intellectus terminans operationem eius, et consequens rectam cognitionem entis. (Cf. S. Th. 1. p. q. 16. a 1 et a. 3 ad 3[m] et I. D. 19. q. 5. a. 1. ad 2[m]).

[2]) Cf. omnino S. Th. 1. q. 7. 16. a. 1. et a 3. ad 3[m] et I. D. 19. 7. 5. a. 1. ad 2[m]).

quod domus comparatur ad intellectum artificis *per se; per accidens* autem comparatur ad intellectum a quo non dependet. — Iudicium autem de re non sumitur secundum id quod inest ei per accidens, sed secundum id quod inest ei per se. Unde unaquaeque res dicitur vera absolute secundum ordinem ad intellectum a quo dependet. Et inde est quod res artificiales dicuntur verae per ordinem ad intellectum nostrum: dicitur enim domus vera quae assequitur similitudinem formae quae est in mente artificis, et dicitur oratio vera, in quantum signum intellectus veri. Et similiter res naturae dicuntur esse verae secundum quod assequuntur similitudinem specierum quae sunt in mente divina. Dicitur enim vera lapis, quia assequitur propriam lapidis naturam secundum propriam conceptionem intellectus divini. Sic ergo patet, quod veritas principaliter est in intellectu, *secundario vero in rebus, secundum quod comparantur ad intellectum ut ad principium.*

604. Corollarium I. — Hinc patet quod ratio veritatis est quaedam ratio analoga. Nam ex his quae diximus, manifesto constat, quod veritas de pluribus dicitur; h. e. de rebus, de intellectu, de vocibus, sed tamen diversimode, scilicet secundum prius et posterius per respectum ad unum; scilicet ad veritatem intellectus — Sed ratio quae de pluribus dicitur secundum habitudinem ad unum est analoga. Ergo.

Est autem analogum attributionis, quod per prius dicitur de intellectu, per posterius de rebus, quatenus dicunt ordinem ad intellectum. Verum igitur secundum intentionem derivatur ab intellectu divino, a quo res pendent in esse; attamen secundum quid etiam ab intellectu humano derivatur quaedam veritas in res, prouti hae natae sunt facere in illo veram sui existimationem. Artificialia vero, in quantum huiusmodi, dicuntur vera simpliciter *etiam* per ordinem ad intellectum humanum, quia pendent ab ipso secundum esse artificii. Dicimus — *etiam* — ne excludatur veritas quam artificialia habent per ordinem ad intellectum divinum, a quo pendent secundum totum esse simpliciter etiam ipsius artifici [1]).

---

[1]) Cf. S. Th. 1. p. q. 4. a. 3 ad 4um: *de Pot.* q. 7. a. 9. ad 4um.

II. Ad distinguendam veritatem intellectus a veritate rerum, prima vocatur *veritas formalis* quia ei primo et per se et proprie competit ratio veritatis, altera vocatur *veritas transcendentalis* quia convenit universaliter omni enti, cum nihil sit, quod non fundet entitate sua relationem ad intellectum divinum, et quod non sit etiam per suam entitatem aliquo modo conformabile intellectui humano.

III. Cum res dicantur verae per analogiam attributionis ad veritatem quae est in intellectu, ideo dici potest quod omnia quando sic denominantur, denominantur a veritate formali sicut a *forma extrinseca.* Sed quando res dicantur verae *transcendentali veritate,* tum dicuntur verae a veritate sibi intrinseca. Per illud namque additum *transcendentale,* iam ostenditur quod non sit sermo de veritate simpliciter, quae nonnisi in intellectu proprie invenitur, sed de ea ratione quae fundat ordinem ad intellectum verum, nempe de ipsa entitate rei, seu de ea ratione quae *denominatur* veritas consequenter ad praeintellectam veritatem formalem; non autem de veritate *denominante,* quae est ipsa veritas formalis prouti concipitur per posterius derivata in rebus. Audiatur S. Thomas (*De veritate* q. 1, a. 4. c.). " Denominantur res verae a *veritate quae est intellectu* divino vel in intellectu humano, sicut denominatur cibus sanus a sanitate quae est in animali et non sicut a forma inhaerente: sed *a veritate quae est in ipsa re,* quae nihil aliud est quam entitas intellectum sibi adaequans, sicuti a forma inhaerente, sicut cibus denominatur sanus a qualitate sua a qua sanus dicitur „. Igitur *veritas transcendentalis* quae est intrinseca rebus non est relatio conformitatis rerum ad intellectum, sed ipsa rerum entitas sub formali ratione *fundamenti talis relationis;* relationem vero connotat et importat solum in obliquo. Et ratio haec fundamenti relationis conformitatis ad intellectum, est illud *reale* quod verum addit supra *ens,* quod tamen non est realiter distinctum ab ente, sed est modus generaliter consequens ens, qui implicite exhibetur per nomen veri et non explicite per nomen entis quamvis unumquodque *entitate sua* fundet relationem ad intellectum. Relatio conformitatis cum intellectu divino, a quo res realiter pendent, est relatio *realis* et *praedicamen-*

talis [1]). Relatio vero conformabilitatis ad intellectum humanum est relatio tantum *rationis,* cum res quae sunt extra animam, ab ipsa realiter non pendeant.

IV. Quamvis *verum* sit analogum attributionis relate ad veritatem intellectus et ad veritatem rerum (analogia *unius ab uno*) vel etiam relate ad res veras, ad orationes veras etc. (analogia *duorum ad tertium*), tamen *verum transcendens,* relate ad ea quae dicuntur transcendentaliter vera, est analogum analogia proportionalitatis propriae, sicuti bonum et ens aliaque transcendentia et plures metaphysicae rationes. Sicut enim hoc ens per suam formam fundat suo modo adaequationem ad intellectum verum de ipso, ita illud ens per suam formam fundat suo modo adaequationem ad intellectum verum de ipso, et sic unumquodque suo modo et secundum maiorem vel minorem perfectionem, participat rationem veri transcendentis [2]).

V. Quamvis una *intentio* veri, ut dictum est, derivetur per posterius in res (cum non habeat esse nisi in intellectu, et ideo *secundum intentionem* semper veritas intellectus sit causa), tamen *secundum esse* veritas intellectus nostri est a rebus causata [3]).

Quamvis enim *entitas* rerum causet veritatem nostram, tamen veritas earum intelligitur solum consequenter ad veritatem nostram.

605. Obiectiones. — **Ob. 1**[a]. Propter quod unumquodque tale, et illud magis. Atqui ex eo, quod res est, vel non est, est opinio vel oratio vera vel falsa. Ergo veritas magis est in rebus, quam in intellectu.

Resp. *C. M.* et sensus est, quod quando aliquid est tale, quia aliud est tale, hoc aliud debet esse magis tale. — *C. m.* — *N. C.* — Nam non est veritas rei quae causat veritatem intellectus, sed entitas rei, unde non oportet quod ratio veri, magis et per prius competat rei.

---

[1]) Cf. S. Th. *De Verit.* q. 21. a. 1. ubi loquitur solum de hac relatione ad intellectum animae.

[2]) Ea quae pertinent ad veritatem transcendentalem, ad *Metaphysicam* remittuntur: hic tantum agimus de veritate formali.

[3]) Cf. S. Th. *De Verit.* q. 1. a. 4.

Audiatur S. Thomas: " Respondeo dicendum, quod, licet veritas intellectus nostri a re causetur, non tamen oportet quod in re per prius inveniatur ratio veritatis; sicut neque in medicina per prius invenitur ratio sanitatis, quam in animali. Virtus enim medicinae, non sanitas eius, causat sanitatem; cum non sit agens univocum. Et similiter esse rei, non veritas eius causat veritatem intellectus. Unde philosophus dicit, quod opinio est oratio vera ex eo quod res est, non ex eo quod res vera est „ [1]).

Stat ergo, quod res intellecta solum per posterius dicitur vera, et solum inquantum ordinem habet seu habitudinem quamcumque ad intellectum verum, ut reliqua omnia quae dicuntur sana, praeter animal sanum, in tantum sana dicuntur, in quantum ordinem aliquem habent ad sanitatem animalis.

Ob. 2ª. Verum habet rationem mensurae. Sed mensura est in rebus per ordinem ad intellectum nostrum, mensura autem est prius mensurato. Ergo verum per prius est in rebus.

Resp. *D. M:* Entitas habet rationem mensurae *C. M:* veritas *Sbd.* habet rationem commensurationis *C. M;* simplicis mensurae. *N. M.* — *Cdm.* In rebus est simplex mensura per ordinem ad intellectum nostrum *C. m.*; est commensuratio *N. m.* — *N. C.* — Veritas non est mensura sed commensuratio sive adaequatio: adaequatio autem ibi est formaliter ubi est ipsa relatio similationis, quae non est nisi in intellectu. (Cf. I. D. 19. q. V. a. 2. ad. 2m).

Ob. 3ª. Si veritas principalius et formaliter est in intellectu ex quo fluit ad res, veritas erit iudicanda secundum nostram aestimationem. Sed tunc omne quod quis opinatur erit verum, et sic revocabitur error Protagorae et Democriti dicentium verum consistere in *videri:* quod est absonum. Ergo veritas per prius est in rebus.

Resp. *D. M:* Si causa veritatis *quantum ad esse* esset ipse intellectus *C. seq. M.* si causa veritatis quantum ad esse sunt ipsae res, licet *ratio* seu intentio veritatis ab intellectu profluat ad res *N. seq. M.*: — *D. m. eod. mod.* — *N. C.* — Nota tamen quod relate ad intellectum divinum, omnino concedendum est

---

[1]) S. Th. 1. p., q. 16., a. 1. ad 3m.

ipsum esse causam veritatis rerum, unde simpliciter res non proveniunt casu, sed consequuntur intellectionem, scilicet intellectionem divinam.

Ideo autem antiqui philosophi ponebant, quod verum consisteret in videri, quia ex una parte dicebant res non procedere ab intellectu divino sed a casu, ex alia vero parte videbant veritatem importare ordinem ad intellectum, unde cogebantur veritatem rerum constituere in ordine ad intellectum nostrum. Ex quo sequebantur plura inconvenientia, quae non accidunt si ponamus veritatem rerum consistere in comparatione ad intellectum divinum [1]).

THESIS III[a]. — **Veritas, quae formalis dicitur, proprie non est nisi in intellectu componente et dividente.**

606. Praenotanda. — Ex dictis in thesi praecedenti, iam habes quod proprie veritas non est multiplex, secundum quod respicit vel res vel intellectum; sicut neque sanitas proprie est multiplex, sed eadem formaliter inest animali, ceteris vero, puta medicinae vel colori, attribuitur propter ordinem, seu habitudinem, seu proportionem, quam habent, ad sanitatem animalis. Ita etiam veritas inest formaliter intellectui, rebus autem attribuitur propter ordinem aliquem, quem habent ad intellectum, puta causarum, vel effectuum, secundum quod consideratur per respectum ad intellectum, a quo non pendent, vel pendent in esse. Unde sicut sanitas formaliter non est nisi quae animali inest, ita formaliter veritas non reperitur nisi in intellectu, et haec est veritas simpliciter dicta, et sine addito: additum enim illud " formalis „ non ponitur, nisi ad oppositionem seu distinctionem denotandam illius veritatis, quae habet *propriam formam veritatis et simpliciter est veritas,* ab ea, quae solum cum addito et secundum respectum ad illam, veritas dicitur. Non enim aliter res vera " *dicitur* „ nisi secundum quod habet ordinem aliquem ad intellectum, ut a S. Thoma audivimus [2]).

607. Probatur. — Cum S. Thoma (1. p. q. 16. a. 2 — qui

---

[1]) Cf. I. p. q. 16. a. 1. ad 2[m].

[2]) Cf. Suarez, D. 8. *Metaph.* sect. 4; Ruiz de Montoya, *De Scientia Dei* D. 87. sect. 7.

colus omnino meditandus est), sic potest demonstratio propositionis institui:

I. Veritas, ut vidimus, est conformitas intellectus et rei. Ergo cognoscere veritatem est cognoscere conformitatem intellectus et rei. Sed solus intellectus componens et dividens cognoscit conformitatem sui et rei. Ergo solus intellectus componens et dividens, cognoscit veritatem. Atqui de ratione veri est, quod sit in cognoscente inquantum est cognoscens. Ergo veritas proprie non est nisi in intellectu componente et dividente.

Alio modo. — Verum, secundum sui primam rationem, est in intellectu, ut habitum est, in re autem est solum aliqualiter. Ergo cognoscere *intellectum verum* est simpliciter cognoscere veritatem. Sed solus intellectus componens et dividens cognoscit intellectum verum. Ergo solus intellectus componens et dividens cognoscit simpliciter veritatem. Nam solum tunc cognosco intellectum verum, quando cognosco id, quod ego apprehendi de re, esse in re; tunc enim solum cognosco intellectum conformem ut conformem seu adaequatum rei.

Aliter. — Tunc primo intellectus cognoscit, dicit, habet apud se verum, quando intelligit rem ita se habere sicut est forma, quam de re apprehendit. Atqui hoc non intelligit nisi cum componit et dividit. Ergo tunc primo intellectus cognoscit, dicit, habet perfecte et formaliter apud se verum, quando recte componit et dividit.

Iterum alio modo. — Cognoscere intellectum similem formaliter in quantum similem, est cognoscere illum sub ratione adaequationis ad simile. Sed in solo iudicio, intellectus similis cognoscitur sub formali ratione adaequationis ad simile. Ergo in solo iudicio cognoscitur veritas. Ergo formalis veritas et in solo iudicio cognoscitur et in solo iudicio habetur; habere enim intellectualiter non est nisi in intelligendo.

Declaratur. — Quando apprehendo aliquid de aliquo, iam per hoc habeo intellectum aliquem aliqualiter, sed tunc solum habeo *intellectum verum*, seu habentem formam propriam naturae suae, quando habeo intellectum similem formaliter ut similem. Tunc autem solum habeo intellectum similem ut similem, quando

illud habeo sub ratione adaequationis ad simile, quod non est nisi in iudicio, unde in iudicio tantum primo habeo intellectum verum, nec aliter habeo quam cognoscendo. (Cfr. etiam 3 p. 23, q. 2. a. 1. Solut. 1ª).

II. Evidens cuique est, quod in sola enunciatione sit proprie veritas vel falsitas, non autem in simplici termino " homo „ " lapis „. Porro si huius quaeratur ratio, non alia assignari potest quam haec: quia in enunciatione intellectus formam apprehensam de re, — quae forma significatur per praedicatum, — vel applicat ipsi rei — significatae per subiectum, — vel removet ab ea. Ergo tunc solum intellectus habet veritatem quando habet apud se intelligibiliter utrumque terminum sub ratione adaequatorum, quod non est nisi in iudicio.

Declaratur. — Quando dico — *hoc est lignum,* — per illam vocem " *hoc* „ manifeste subiicio rem quam indico: per hoc autem quod dico: " *lignum* „ exhibeo id, quod apprehendi de ea; quando vero dico " *est lignum* „ affirmo hoc, quod apprehendi de re, esse in re; quod est dicere, affirmo intellectum meum, dum intelligit lignum de hoc, esse huic conforme in intelligendo, seu illud intelligere sicuti est. — Atqui intelligere intellectum conformem rei, est intelligere veritatem; habere apud se intellectum conformem rei ut conformem rei, est apud se habere veritatem. Ergo in ea operatione, in qua intellectus componit et dividit, perfecte habet apud se veritatem.

III. Quando intellectus, de aliqua re sibi ignota, primo apprehendit *animal,* non quiescit, sed inquirit utrum talis sit revera, vel non sit, et tunc demum quiescit, quando cognoscit quod illa res, talis revera sit. Atqui hoc non facit seu non habet nisi in iudicio. In solo ergo iudicio quietatur. Atqui in suo termino quietatur unumquodque; verum autem ut dictum est denominat terminum intellectus, seu id in quod tendit intellectus. Ergo in solo iudicio habetur veritas simpliciter.

Declaratur. — Verum nominat id in quod tendit intellectus tanquam in suam perfectionem, seu est bonum intellectus, ut dicit Phil. in 6° *Ethic.* (Cf. S. Th. I. *Perih.* l. 3.): intellectus autem tendit in cognoscendas res prouti *in seipsis sunt,* et ut *ab intellectu distinctae* secundum esse. Atqui hoc non obtinet

intellectus in simplici apprehensione, cum simplex apprehensio abstrahat a singularitate et per consequens ab existentia rerum, sed utique in iudicio, quatenus asserit formam a re apprehensam, esse alicuius rei existentis (et in subiecto significatae), seu cum cognoscit se esse conformem alicui rei existenti, seu se esse verum de aliqua re, seu rem aliquam esse ita sicut ipse de ea concipit, quae omnia important cognitionem veritatis. Ergo solum ex hoc quod est cognita, et consequenter in iudicio tantum, veritas completur in ratione boni, in quod tendit intellectus [1]).

608. Dices. — Sunt iudicia in quibus non praedicatur aliquid de singulari existente, sed vel de universali aliquo, vel de ente rationis. Numquid haec iudicia non sunt vera?

R. Argumentum supra allatum ita est intelligendum, ut ea operatio intellectus censenda sit in qua proprie sit veritas, quae *natura sua* possit realitatem ipsam exercitam rei cognitae exhibere, seu illa operatio, in qua forma concepta *dicitur esse in aliqua re.* Ceterum erit veritas in iudicio, etiamsi illud versetur circa universale vel circa ens rationis, dummodo dicat praedicatum seu id quod est conceptum de re *esse in subiecto;* nam hoc quomodocumque sit abstractum aut ens rationis, semper repraesentat rem, de qua aliquid concipitur, in oppositione ad id quod de ea concipitur. Sic cum dico — *homo est animal* — dico suppositum existens vel existere potens secundum formam seu naturam humanam, esse idem quod existit secundum naturam sensitivam, seu naturam sensitivam (quam concipio) inesse reapse homini et cuicumque humano supposito. Hinc, licet huiusmodi iudicia proprie non referantur ad esse rei, sed ad penitiorem cognitionem essentiae, tamen *modus* cognoscendi per iudicium est huiusmodi, ut exhibeatur semper distinctio inter esse conceptum rei et rem (sive realem sive rationis, sive concretam sive abstractam), quam cognoscere intendimus, et in qua inesse dicitur id quod concipitur. Quod si ipsum subiectum sit aliquis conceptus, et quidem universalis, tamen non accipitur ut conceptus in iudicio, sed ut res, et ratio, sub qua exhibetur ipsum subiectum, non est id quod, per iudicium cognoscitur, sed aliquid

[1]) Cf. I. D. 19. q. 5. a. 1 ad 7m.

praecognitum in se, et quod volumus penitius cognoscere aut distinctius, attribuendo ei esse praedicati. Hinc ipsum subiectum si consideretur ut forma concepta de re aliqua, potest de illa praedicari, et iterum novum subiectum de alio subiecto, usque-quo perveniamus ad *suppositum* singulare et subsistens, quod est *primum praedicationis subiectum* et complectens quae in re sunt [1]).

Nulla autem difficultas de ente rationis : patet enim quod non est necesse ut ipsum cognoscatur esse reale, ut habeatur

---

[1]) " Le sujet de la proposition est toujours, en dernière analyse, mais en derniére analyse seulement, *individuel*. Sans doute, la proposition peut avoir, a même souvent pour sujet un type abstrait, mais celui-ci est alors lui-même prédicat d' un sujet antérieur.

La raison de cette thèse est double, psychologique et ontologique.

La raison psychologique réside en ce fait que le premier obiet de la pensée est emprunté à l' expérience sensible, qui est incapable de saisir autre chose qu' une reálité individuelle et concrète.

La raison ontologique consiste en ce que seul l' individu est, en rigueur de termes, sujet.

Aristotele l' áppelle *οὐσία*, première substance. Car, d' une part elle n' est attribuable à aucun sujet antérieur. L' individualité est, en effet, incommunicable à autrui ; Socrate est Socrate il n' est identifiable qu'à lui-même. D' autre part, cette substance première est le sujet de concepts abstraits et universels qui, à divers titres, peuvent lui être attribués.

Soit la proposition : *La neige fond au soleil.*

La neige est un sujet abstrait.

Mais qu'est-ce que la neige ? Quelque chose de blanc, que je vois tomber en flocons legérs et que je sens froid au contait.

Ce quelque chose blanc aux yeux, froid aux mains, qui tombe en flocons legérs est de *la* neige.

Ce quelque chose, que nos sens perçoivent blanc, froid, lèger est un premier *sujet :* de *ce premier sujet* — la neige est un prédicat. La *neige* devient ensuite le sujet d' un prédicat ultérieur, la propriété de fondre au soleil.

L' examen des termes d' une proposition nous met donc en présence d' un premier terme, qui est originairement un sujet individuel, *τόδε τι*, selon le mot d' Aristote, ce quelque chose auquel la pensèe reporte tous ses prédicats.

Le sujet individuel mis hors de cause, reste le *prédicat.* (Mercier, *Logique* n. 31).

veritas, cum hoc potius includeret falsitatem. Finis autem intellectus est cognoscere res secundum esse quod ipsis competit.

IV. " Veri ratio consistit in adaequatione rei et intellectus: idem autem non adaequatur sibi ipsi, sed aequalitas diversorum est: unde ibi primo invenitur ratio veritatis in intellectu, ubi primo intellectus incipit aliquid proprium habere, quod res extra animam non habet, sed aliquid ei correspondens, inter quae adaequatio attendi potest. Intellectus autem formans quidditates, non habet nisi similitudinem rei existentis extra animam, sicut et sensus in quantum accipit speciem rei sensibilis: sed quando incipit iudicare de re apprehensa, *tunc ipsum iudicium intellectus est quoddam proprium eius* quod non invenitur extra in re. Sed quando adaequatur ei quod est extra in re, dicitur iudicium verum esse. Tunc autem iudicat intellectus de re apprehensa quando dicit quod aliquid est vel non est: quod est intellectus componens et dividens: unde et Phil. dicit (6. *Metaph.)* quod *compositio et divisio est in intellectu et non in rebus.* Et *inde* est quod veritas per prius invenitur in compositione et divisione intellectus (S. Th. de *Verit.* q. 1. a. 3. corp).

Nempe intellectus potest considerari et in quantum praecise *patitur* a rebus et in quantum *agit.* In quantum patitur a rebus, non potest recipere nisi formas rerum, nec potest proinde non conformari rebus. Sed haec conformitas non est ea secundum quam attenditur perfecta veritas; nam est conformitas *in essendo* non in cognoscendo. Conformitas enim non est nisi distinctorum. At intellectus recipiens a rebus speciem impressam, est quidem distinctus a rebus ut *ens,* at non ut cognoscitive operans; unde et conformitas cum rebus est conformitas intellectus ut ens considerati, non autem ut operantis. — Similiter si intellectus consideratur ut cognoscens secundum primam operationem intellectus, adhuc ei nihil competit proprium quo distinguatur a rebus in cognoscendo: nam tota eius operatio est omnino determinata secundum modum speciei receptae. — Sed quando intellectus iudicat, tunc habet aliquid proprium et distinctum a rebus non solum in essendo sed etiam in cognoscendo, unde tum maxime est secundum se activus et non semper de necessitate determinatus a rebus; unde tunc etiam est

fallibilis et indigens conformari rebus cognitis, (salva inaequalitate inter *modum cognoscendi* res et *modum essendi* ipsarum): in hac autem conformitate, veritas perfecte invenitur. Unde veritas perfecta non invenitur in simplici apprehensione sed in iudicio.

Quod autem compositio intellectus sit aliquid proprium ipsius, et tamen possit repraesentare id quod est in re, patet: nam ex una parte compositio intellectus repraesentat aliquam compositionem quae est in rebus, et ex alia parte differt compositio intellectus a compositione rei. Audiatur S. Thomas (1. p. q. 85 a. 5. ad 3m). " Similitudo rei recipitur in intellectu secundum modum intellectus et non secundum modum rei. Unde compositioni et divisioni intellectus *respondet quidem aliquid* a parte rei, tamen *non eodem modo* se habet in re sicut in intellectu. Intellectus enim humani proprium obiectum est quidditas rei materialis, quae sub sensu et imaginatione cadit. Invenitur autem duplex compositio in re materiali: *prima* quidem *formae ad materiam,* et huic respondet compositio intellectus qua totum universale de sua parte praedicatur. Nam genus sumitur a materia communi, differentia vero a forma, particulare a materia individuali. *Secunda* vero compositio est *accidentis ad subiectum:* et huic reali compositioni respondet compositio intellectus, secundum quam praedicatur accidens de subiecto, ut cum dicitur: — *homo est albus.* — Tamen differt compositio intellectus a compositione rei: nam ea quae componuntur in re, sunt *diversa:* compositio autem intellectus est *signum identitatis* eorum quae componuntur. Non enim intellectus sic componit, ut dicat quod homo est albedo, sed dicit quod homo est albus, idest *habens albedinem. Idem autem est subiecto quod est homo et quod est habens albedinem.* Et simile est de compositione formae et materiae. Nam animal significat id quod habet naturam sensitivam: rationale vero quod habet naturam intellectivam: homo vero quod habet utrumque. Socrates vero quod habet omnia haec cum materia individuali. Et secundum hanc identitatis rationem, intellectus noster unum componit alteri praedicando. " Ubi notandum est quod id quod dicitur: Similitudo rei recipitur in intellectu *secundum modum intellectus* „ — non est intelligendum

tantum de modo *physico* intellectus, quod quidem verificatur etiam in simplici apprehensione per speciem immaterialem, sed praecise *de modo intellectivo* ipsius seu de modo intelligendi. Nam intellectus componens seu iudicans, cognoscit rem compositam cognoscendo et asserendo identitatem duabus distinctis rationibus conceptis. Porro haec *rationum compositio* a parte rei *non est,* et tamen *identitas* illa suppositi a parte rei *est,* et sic intellectus praecise *in cognoscendo* distinguitur a re, et tamen rem repraesentat seu rei assimilatur. — Sic, e. g. dum dico — *homo est albus*, — duabus rationibus distinctis accipio per intellectum *habentem humanitatem* et *habentem albedinem:* porro licet *humanitas* et *albedo* a parte rei distinguatur, tamen *habens humanitatem* idem est omnino ac *habens albedinem:* unde compositio intellectus differt a compositione rei, et ideo intellectus in iudicio per aliquid sibi proprium assimilatur rei.

Quod autem suam compositionem intellectus non semper ac necessario accipiat a rebus, patet: nam in primis principiis determinatur ab habitibus naturalibus intellectus et synderesis; in mediatis conclusionibus determinatur a seipso in quantum antecedenter iam in actu principiorum; in quibusdam determinatur a voluntate, ut in iudiciis fidei necnon in iudiciis probabilibus vel imprudentibus: et in quibusdam experimento, idest non omnino a rebus sed consequenter ad reflexionem supra seipsum et supra phantasma. In iudicio ergo maxime consideratur veritas seu propria perfectio intellectus, quia in iudicio recto, id quod proprium habet intellectus in cognoscendo, est conforme rebus et a rebus mensuratum, licet posset a rebus esse difforme nec recipiatur solum ac semper ab ipsis rebus [1]).

609. Obiectiones — Ob. 1ª. Ibi est simpliciter veritas ubi est conformitas intellectus et rei. Atqui in simplici apprehensione est talis conformitas. Ergo in simplici apprehensione est simpliciter veritas.

Resp. *D.M.* Ibi est simpliciter veritas ubi est conformitas *cognitionis* intellectus et rei *C.M.:* ubi est conformitas *materialis* intellectus et rei *N.M — Cdm:* in simplici apprehensione

[1]) Cf. S. Th. I. p. q. 13. a. 12.

est conformitas *materialis* inter intellectum et rem *C.m.:* est conformitas *formalis* seu *cognitionis N.m.* — *N.C.* Veritas simpliciter seu veritas formalis est veritas cognitionis, et ideo non est mera conformitas inter intellectum et rem tamquam inter duo similia sed est conformitas ordinis *cognoscitivi* quae ideo debet importare utrumque terminum cognitum sub ratione adaequationis ad invicem.

Eadem difficultas solvitur dicendo quod veritas simpliciter ibi est ubi est conformitas intellectus et rei, *dummodo termini sumantur formaliter.* Nam in simplici apprehensione non habetur conformitas intellectus *ut intellectus est,* et rei *ut res est,* sed habetur conformitas intellectus *ut quaedam res est* et rei ipsius. Ista autem conformitas non est proprie veritas formalis ut dictum est.

Ob. 2ª. Ille intellectus habet veritatem formalem simpliciter, in quo invenitur similitudo cum re. Sed in intellectu habente speciem intelligibilem (quae est similis rei) invenitur similitudo cum re. Ergo intellectus habens speciem intelligibilem habet veritatem formalem simpliciter.

Resp. *D. M.* Ille intellectus habet veritatem formalem simpliciter in quo invenitur similitudo formaliter ordinis intellectivi ideoque intellecta *C.M.* similitudo mere *materialis N.M.* — *Cdm.* — *N.C.*

Ob. 3ª. Posito fundamento alicuius relationis iam poni debet relatio. Atqui species intelligibilis in intellectu simpliciter apprehendente est fundamentum adaequationis quae est veritas formalis. Ergo posita specie intelligibili in intellectu simpliciter apprehendente, iam habetur veritas formalis.

Resp. *Tr.M.* vel *D:* posito fundamento proximo et positis terminis *C.M.:* aliter *N.M.* — *D.m.* species intelligibilis in intellectu simpliciter apprehendente est fundamentum similitudinis seu conformitatis *materialis* cum re *C.m.:* est fundamentum similitudinis formalis seu intellectivae in qua consistit veritas formalis *Sbd.:* est fundamentum remotum *C.m.* proximum *N.m.* — *N.C.* vel *D. ut supra.*

Ob. 4ª. In intellectu angelico et divino est veritas. At in intellectu angelico et divino non est compositio et divisio. Ergo

veritas simpliciter dicta non est tantum in intellectu componente et dividente.

Resp. *C.M.* — *D.m.:* In quantum cognoscunt aliquam formam simplicem *C.m.;* in quantum cognoscunt rem compositam, in qua natura suppositi non sit idem ac suppositum naturae *Sbd.;* non est compositio et divisio ex parte modi cognoscendi *C.m.;* non est compositio et divisio ut cognita *N.m.* — *D.C.* In intellectu humano *N.C.;* in intellectu angelico vel divino *Sbd:* et tamen in intellectu divino et angelico, ut sit veritas debet esse omne illud ut cognitum ad quod nos pertingimus per compositionem et divisionem *C.C.* secus *N.C.* — Et *explico.* Intellectus substantiae separatae quae non sit corporis forma, cum in intelligendo non pendeat a sensibus, ideo non quasi gradatim pervenit ad veritatem quasi in similitudinem generationis formae corporalis, sed in unico actu apprehendit et rem et quidquid est in re, naturam, existentiam et accidentia. Hinc simplex apprehensio potest gaudere veritate perfecta.

Obiectum enim intensive adaequatum et proportionatum virtuti angelicae est substantia separata, in qua forma suppositi est idem ac suppositum formae. Hinc sicut nos substantias simplices nonnisi per modum compositionis et per modum rei corporalis intelligere possumus, ita Angeli res corporales et Deum ipsum nonnisi per modum simplicitatis intelligere possunt; sed tamen ut sunt in seipsis, non autem solum per analogiam ad res spirituales eas intelligunt. Cognoscunt enim, licet non componendo, compositionem sive rationis quam nos facimus, sive naturae quae primae respondet, et sic in simplici apprehensione quidditatis subiecti, habent notitiam de omnibus quae possunt attribui subiecto vel removeri ab eo. Quod vero non cognoscant illud componendo, hoc non tollit rationem veritatis sed potius efficit. Dictum est enim in argumento IV, ad veritatem simpliciter dictam requiri ut diversus sit modus quo res est in cognoscente et quo est in se, licet tamen res ut cognita repraesentet rem ut est in se; nam in hoc, conformitas consistit intellectus et rei. Sic igitur Angelus per simplicem intuitionem contemplatur res compositas, immo etiam plura individua distincte percipit per unicam speciem universalem unitate con-

tinentiae cuiusdam. Et item quae a Deo cognoscuntur extra se, cognoscuntur ut in seipsis et tamen non in seipsis, sed resultant ut secundario cognita in cognito primario quod est simplex et unum et infinitum, et sic in Deo et in angelis est perfecta veritas. Relate autem ad essentiae suae cognitionem, Deus habet veritatem, immo est ipsa subsistens veritas, quae tamen proprie non est in eo conformitas intellectus et rei, sed identitas. Hoc autem non tollit formalem rationem veritatis prout est analoga ratio, nam identitas in eo casu, plus dicit perfectionis intellectualis quam ipsa conformitas cum obiecto. Sic etiam non ideo quia Deus est ipsum esse non vero habens esse, dicendus est non esse vere et formaliter ens. (S. Th. 1. p. q. 16ª. a. 5. — q. 14. a. 7. — q. 57. a. 3. et 4.: C. G. l. 1. c. 60. et. c. 59).

THESIS IVª — Veritas est in intellectu simpliciter apprehendente ut in quadam re vera; veritas autem formalis non invenitur in ipso simpliciter sed tantum secundum quid.

610. Probatur 1ª pars. — Omnis res est vera secundo quod habet propriam formam naturae suae [1]). Atqui forma intellectus

---

[1]) Quia dicimus quod omnis res est vera secundum *quod habet propriam formam naturae suae,* cave ne concludas quod veritas consistat in aliquo absoluto: ipse enim S. Th., cuius sunt praedicta verba, dicit quoque: "etiam si intellectus humanus non esset, adhuc res dicerentur verae in ordine ad intellectum divinum. Sed *si uterque intellectus,* quod est impossibile, *intelligeretur auferri, nullo modo veritatis ratio remaneret„ (De Verit.* q. 1. a. 1.): de ratione ergo veritatis, essentialiter est relatio, et quidem relatio ad intellectum. Sed quia propria forma alicuius naturae intelligitur illa quae respondet ideae divinae (vel pro eo qui Deum nón admittit, quae respondet conceptui quem homines communiter habent de tali re), quae autem sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se, bene potest dici quod unaquaeque res est vera, secundum quod habet propriam formam naturae suae. Ubi incidenter nota quod irrationabiliter prorsus, eo quod athei negant Deum, mutatur a quibusdam auctoribus modernis definitio veritatis obiectivae absolutae, ita ut dicatur quod veritas consistit in conformitate rerum cum aliquo typo praeconcepto ab intellectu nostro. Nam profecto veritas obiectiva semper et absolute consistet in conformitate rerum cum intellectu divino: quia autem aliqui homines stultissimi negant Deum, ideoque nullius rei ultimam rationem assequi valent, non debemus nos quoque in tantam stultitiam devenire ut non consideremus vel negligamus relationes illas quibus creatura omnis Deum appellat.

in quantum est cognoscens est species seu similitudo rei cognitae. Ergo intellectus erit dicendus verus, ut peculiaris quaedam res, quando habet rei speciem seu similitudinem, in qua rem aliquam cognoscit: unde et veritas dicitur conformitas intellectus et rei. Atqui intellectus simpliciter apprehendens iam talem speciem habet. Ergo veritas est in intellectu simpliciter apprehendente *ut in quadam re vera* [1]).

Probatur 2ª pars. — Quamvis haec pars iam probata sit in thesi praecedenti, potest tamen sequentibus argumentis iterum confirmari: 1. Ibi habetur veritas formalis, ubi habetur perfecte ratio cognitionis rei. Atqui in intellectu humano hoc non contingit, nisi ipse intellectus cognoscat se esse verum de re, quod facit in iudicio. Ergo non in simplici apprehensione sed in iudicio tantum habetur ratio veritatis formalis.

Probatur minor. — Nam cognoscere est habere apud se formas aliarum rerum *ut aliarum*. Hoc autem dupliciter intelligi potest: 1º modo, ita ut forma existens in intellectu non modificet physice potentiam intellectivam tribuendo ei proprietates rei repraesentatae, sed solum eam faciat versari intellective circa repraesentatum per formam. Hoc autem habetur in simplici apprehensione, et sufficeret ad perfectam rationem cognitionis rei,

---

Secundario utique aliqua veritas obiectiva considerari quoque potest per ordinem ad intellectum nostrum: et ideo unaquaeque res potest dici vera in quantum est conformabilis vel conformata intellectui humano, seu in quantum respondet ideae quam de ipsa homines communiter habent. Sed haec non est nisi consideratio secundaria, quae nonnisi abusive substitui potest primae et absolutae considerationi. Ita procedit e. g. Mercier *(Critériologie* n. 15: *La Verité objective),* qui praeterea non bene, ut videtur, assignat rationem ipsius veritatis obiectivae (secundariae), ad hanc requirens quod intellectus affirmet aliquod subiectum esse unum ex illis obiectis cui applicabilis est categoria expressa per praedicatum:

"Le jugement affirme qu' un sujet, considéré formellement sous un de ses aspects, est un des objets auxquels est applicable la catègorie exprimée par le prédicat„. Hoc est confundere veritatem rei (secundariam) cum perceptione ipsius, et cum veritate formali, cuius rationem non amplius apparet quomodo ipse possit deinde assignare *in cognitione conformi ipsi veritati obiectivae.* Sed de his opportunius in Metaphysica.

[1]) Cf. S. T. 1. p. q. 16. a. 2.; Suarez D. *Met.* 8 sec. 3; Molina in 1ᵐ. Part. Q. 16. a. 2; Toletus in 1ᵐ Part. Q. 16. a. 1.

si forma repraesentata per speciem esset per seipsam suppositum distinctum, et ut tale conciperetur. At natura corporea, quae est proprium obiectum intellectus humani, potest esse in diversis suppositis, utpote distincta a supposito. Hinc non habetur perfecta cognitio rei per solam rationem corporeae naturae, nisi sciatur cuius rei sit illa natura. 2°. Secundus modus, quo intellectus humanus habet apud se formas aliarum rerum *ut aliarum,* tunc habetur, quando intellectus et formam habet alterius rei, seu formam intentionalem, et *illam tribuit rei, cuius est,* per praedicationem; quod quidem in iudicio contingit, ubi cognoscitur veritas, seu conformitas rei et intellectus concipientis talem formam de re, et in hoc perfecte habetur cognitio rei, ut res est.

Et aliquid simile est reperire cum agitur non de specie intelligibili, sed de imagine exteriori cuiuscumque rei corporeae. Nam, licet qui videt talem imaginem, puta Leonis XIII, videat de materiali quodammodo ipsum Pontificem, cuius est imago illa (cum motus in imaginem sit motus in rem repraesentatam, secundum quod repraesentatur), tamen formaliter qui videt talem imaginem non ducitur in cognitionem Leonis XIII, nisi hoc sciat, quod nempe imago illa est Leonis XIII; idest nisi cognoscat ipsam relationem conformitatis inter imaginem et rem, cuius est imago. Si talem relationem non cognoscit, potest errare, cum indifferenter se habeat ad hoc, ut putet illam imaginem esse potius Pii IX vel Pii X quam Leonis XIII; et ideo non perfecte possidet veritatem, nec per talem imaginem ducitur in cognitionem obiecti, ut obiectum est.

Argumentum modo allatum sic quoque exponi potest: Veritas perfecta, seu id in quod tendit intellectus, est conformitas intellectus et rei, at profecto conformitas non in essendo, sed *in cognoscendo.* Atqui conformitate, quae attenditur in cognoscendo, non conformamur ad id, quod non cognoscimus. Ergo, cum in simplici apprehensione cognoscamus potius formam rei quam rem (nam res dicitur talis secundum esse et individuationem), ideo dicendum est, quod in simplici apprehensione non existit perfecte seu *in cognoscendo* conformitas rei et intellectus. Existit tamen in essendo, cum ad hoc sufficiat ut res inter se

distinctae habeant eandem formam. Cognita autem hac conformitate in essendo, resultat ipsa conformitas etiam in cognoscendo, cum intellectus per cognitionem assertivam illius primae conformitatis, referatur cognoscitive ad ipsam rem. Ergo, ut sit perfecta conformitas intellectus et rei in cognoscendo, requiritur ut sit cognita ea conformitas materialis quae est inter conceptionem rei et rem.

II. Intellectus humanus, utpote intellectus animae, quae est forma corporis, et natus perfici a sensibilibus rebus, habet quandam similitudinem cum rebus generabilibus et corruptibilibus, quae statim ab initio suam omnimodam perfectionem in generatione non consequentur, sed successive. Et similiter intellectus humanus transit a potentia ad actum, unde non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem; sed primo apprehendit aliquid de ipsa, puta quidditatem ipsius rei, quae est primum et proprium obiectum intellectus, et deinde intelligit proprietates et accidentia et habitudines circumstantes rei essentiam. Sic igitur in simplici apprehensione, imo neque in pluribus simplicibus apprehensionibus, est perfecta repraesentatio intellective rei, quia licet repraesententur plures rationes, quae sunt in re, non tamen repraesentatur unitas supposition, in quo rationes illae reperiuntur. Et secundum hoc intellectus necesse habet unum apprehensum alii componere et dividere; sic enim ipsam identitatem rei, quam diversis conceptionibus apprehendit, exprimit. Sic ergo in simplici apprehensione non est proprie veritas, nisi ut in quadam re. Nam, ut duae res dicantur inter se conformes, sufficit ut distinguantur entitative, et communicent in forma; nec est necesse quod una res repraesentet illud etiam, in quo ab alia distinguitur; unde intellectus habens intentionalem formam rei potest dici conformis rei ut res quaedam; et cum in hac conformitate sit propria natura intellectus in actu, et ex propria natura unaquaeque res dicatur vera, igitur intellectus simpliciter apprehendens potest dici *verus* ut res quaedam. At in iudicio est conformitas cum re omnino intellectivo modo, eo quod cognoscatur res etiam secundum quod res est; dicitur enim unumquodque *res* proprie secundum suppositum, non autem secundum formam, quae de se indiffe-

rens est ad hoc, ut sit forma rei vel intellectus. In iudicio autem exprimitur suppositum ut id, in quo rationes praedicati et subiecti identificantur. Hinc in iudicio habetur veritas formalis, seu bonum et finis intellectus, qui est cognoscere ipsam rem. Haec autem veritas formalis est identice ipsa cognitio veritatis; nam idem est affirmare quod praedicatum et subiectum sint idem supposito, et affirmare quod *verum* est id quod in praedicato concipitur de re seu supposito, quod per subiectum, exprimitur [1]).

Dices; Neque in iudicio habetur perfecta cognitio rei, cum sint multo plures rationes cognoscibiles in re, quam quae solo praedicato aut subiecto exprimi possint.

Resp. — Ad hoc, ut habeatur veritas perfecta in operatione intellectus humani, non est necesse ut res cognoscatur perfectissimo modo, quo cognosci potest, sed sufficit quod quantum ad naturam operationis cognoscitivae habeatur optimum, in quod tendit intellectus humanus relate ad rem cognoscendam. Hoc autem optimum habetur cum intellectus adaequatur rei per compositionem et divisionem; nam ex hoc ipso, quod simplici apprehensione non potest haurire in re quidquid in re est cognoscibile, habet necesse componere unum conceptum alteri, seu attribuere id quod concipit, rei quocumque alio modo conceptae; quo iam satis repraesentat in re multa alia esse praeter praedicatum, quod attribuit rei, et sic conformatur rei ut res est. Debet tamen ad perfectiorem rei cognitionem procedere, sed semper per novas propositiones seu iudicia, sive ratiocinio sive alio modo acquisita; et novas conceptiones de re potest attribuere subiecto, in quo praesupponantur omnia praecognita. Sed modus conformationis ad rem semper erit ille, qui proprius est iudicii.

Probatur 3ª pars. — Nam quando intellectus apprehendit aliquid de aliquo, iam aliqualiter hoc quod apprehendit refert ad illud de quo apprehendit. Ergo secundum quid et aliqualiter habet veritatem, non tamen simpliciter, ut probatum est.

611. Obiectiones — Ob. 1ª Haec doctrina ducit in *subiecti-*

---

[1]) Cf. Th. p. Iª. q. 58. a. 4. et 5; et q. 85. a. 5; et q. 13. a. 12.

vismum quasi intellectus noster saltem in simplici apprehensione non intelligeret nisi proprias affectiones.

Resp. *D.As.* Si diceremus in simplici apprehensione intellectum non cognoscere nisi proprias species *C. As.:* si dicamus species etiam in simplici apprehensione non esse *quod* intelligitur, sed *quo* aliquid intelligitur, quin tamen hoc repraesentetur secundum esse realis existentiae, sed solum secundum esse realis essentiae, seu ut ratio rei potius quam ut res ipsa et suppositum *N. As.* [1]).

Ob. 2ª. Sicut natura physica est perfectio rei, ita natura ut cognita est perfectio intellectus. Atqui in simplici apprehensione est natura rei ut cognita. Ergo in ipsa, est perfectio in quam tendit intellectus ideoque veritas formalis.

Resp. *D. M.* Natura physica est perfectio rei, non tamen ultima perfectio, nec quae stare possit sine esse *C. M.*; est ultima rei actualitas *N. M.* — *Dm.:* et tamen in tali cognitione non quiescit intellectus, sed tendit ulterius in cognitionem *τοῦ* esse et singularitatis et omnium quae ad rem pertinent, unde simplex apprehensio essentialiter ordinatur ad iudicium sicuti imperfectum ad perfectum *C. m.;* — secus *N. m.* — *D. C.* In simplici apprehensione est perfectio intellectus *secundum quid* et per ordinem ad iudicium *C.C.;* simpliciter *N. C.* [2]).

Ob. 3ª. Similitudo intellectus cum re nequit cognosci nisi per iudicium reflexum. Atqui falsum est quod ad habendam veritatem formalem requiratur iudicium reflexum. Ergo falsum quoque est quod requiratur cognitio similitudinis seu conformitatis intellectus cum re.

Resp. *D.M.* Similitudo intellectus cum re nequit cognosci nisi per iudicium, quod essentialiter includit reflectionem supra simplicem apprehensionem *C.M.*: per iudicium reflexum *Sbd.* similitudo materialis inter intellectum et rem *N.M.:* similitudo ipsa formalis in qua consistit veritas *Sbd. signate* non potest cognosci nisi per iudicium reflexum *C.M.: exercite N.M.* — *Cdm.:* falsum est quod requiratur iudicium reflexum ad cognoscendam similitudinem materialem inter intellectum et rem *C.m.* ad

---

[1]) Cf. S. Th. I. p. q. 85. a. 2.

[2]) Cf. S. Th. 1. D. 19. q. 5. a. 1 ad 7ᵐ.

cognoscendam adaequationem ipsam intellectus et rei quae est essentialiter veritas *Sbd.* falsum est quod requiratur iudicium quod essentialiter includit reflectionem supra simplicem apprehensionem *N.m.* quod requiratur iudicium proprie reflexum *Sbd.* ad cognoscendam *exercite* ipsam veritatem formalem *C.m.:* ad cognoscendam ipsam *signate* — *N.m.* — *N.C.* (in sensu difficultatis).

Unde in primis certissimum est quod iudicium includit imo est essentialiter cognitio conformitatis intellectus et rei: " Cognoscere conformitatis habitudinem (inter intellectum et rem) *nihil est aliud quam iudicare* ita esse in re vel non esse, *quod est componere et dividere* „ (1. *Perih.* l. 3): importat igitur essentialiter reflectionem supra simplicem apprehensionem. — Cognoscit vero intellectus ipsam veritatem formalem, exercite quidem per iudicium ipsum directum quo affirmat rem ita esse sicut ipse concipit: unusquisque enim dum iudicat, exercite scit iudicium ipsum suum esse conforme rei: signate vero, hoc cognoscitur per iudicium reflexum [1]).

---

[1]) Non ergo videtur verum quod habet Mercier (*Critériologie* n. 16) sequens in hoc Caietanum, ubi negat quod ad veritatem requiratur cognitio conformitatis intellectus cum re, quia: " . . . la conformitè d' une intuition sensible ou d' une simple appréhension avec la réalitè n' étant conaissable qu' au moyen d' un acte de reflexion, il s' ensuivrait qu' un jugement *vrai* ne serait possible qu' au moyen d' un acte de réflexion. Or cela n' est pas soutenable. Un jugement *direct* peut parfaitment être une conaissance vraie „. Nam cum iudicium sit essentialiter cognitio habitudinis conformitatis intellectus cum re, ut dicit S. Th., includit quoque essentialiter non quidem actum reflexum simpliciter, nempe iudicium reflexum (ut male ipse videtur intelligere) sed reflectionem supra simplicem apprehensionem seu super id quod per simplicem apprehensionem exhibetur. Patet enim in terminis quod impossibile est quod intellectus iudicet ita esse in re *sicut ipse intelligit* quin reflexe cognoscat se intelligentem ut conformem rei. Quod si praedicti auctores intelligunt excludere cognitionem signatam ipsius conformitatis seu veritatis formalis, tunc bene arguunt et bene asserunt ad hanc requiri *iudicium reflexum*, sed non bene explicant, ut videtur, cur veritas formalis sit tantum in iudicio. Dicere enim quod tantum in iudicio habetur adaequatio *complexi* cum re, ideoque veritas formalis, vel importat quod tantum in iudicio habetur adaequatio cognita intellectus cum re, vel nihil dicit.

Ob. 4ª. In intellectu iudicante, formalis veritas est ut cognita. Sed prius est esse veritatis quam cognosci. Ergo antecedenter ad iudicium datur veritas formalis.

Resp. *D.M.* Seu potius formalis veritas est adaequatio *intellectiva* intellectus et rei, ideoque importat utrumque terminum ut cognitum *C.M.:* ipsa formalis veritas debet esse cognita *N.* vel *Sbd.* exercite *C.m.:* signate ac formaliter *N.M.* — *C.m.* (intelligendo de cognitione explicita, seu signata). — *N.C.* — Confusio oritur ex hoc quod putetur quod formalis veritas *sub ipsa ratione formalis veritatis* debeat esse cognita in iudicio: sed si quis bene consideret quid sit ipsa formalis veritas, advertet fortasse quod difficultas ista tota reducitur ad inanem tautologiam. " Cognoscere conformitatem, ait S. Th. *est cognoscere veritatem* „ non quasi veritas ipsa formalis debeat esse cognita neque perfecte neque imperfecte neque totaliter neque inchoative, sed quia veritas ipsa formalis non est nisi *adaequatio cognita*, ideoque tota quanta est, includit cognitionem, non proprie *sui ipsius* formaliter (nisi implicite et exercite) sed adaequationis materialis inter intellectum et rem. Unde idem omnino est *cognoscere veritatem* et *habere* seu *possidere veritatem formalem in intellectu*, seu *formare veritatem in intellectu:* format enim intellectus veritatem cognoscendo seipsum conformem rei formaliter ut conformem rei. Unde tandem dicere quod veritas formalis debet esse cognita in intellectu, idem est ac dicere *veritas cognita debet esse cognita in intellectu,* quae est inanis tantologia [1]). — Ex hoc autem apparet quod proprie loquendo similitudo illa materialis quae est inter intellectum simpliciter apprehendentem et rem, non debet dici veritas *formalis* neque imperfecte neque inchoative: nihil enim habet omnino de propria *ratione veritatis formalis:* erit tamen *secundum quid* veritas formalis in simplici apprehensione in quantum (ut ostensum est in thesi) intellectus

---

[1]) Adverte ergo differentiam inter istas locutiones: — *veritas formalis est veritas cognita* — et: — *veritas formalis debet esse cognita,* vel: — *veritas formalis ut sit perfecta, debet esse cognita* — etc. Primus modus dicendi est rectus, alii e contra vel includunt vel inducere possunt intellectum plus minusve erroneum.

simpliciter apprehendens incipit cognoscere proportionem suam ad rem.

Ob. 5.ª Id quod ideo est quia cognoscitur, est ens rationis. Atqui veritas formalis non est ens rationis. Ergo veritas formalis non importat in sua ratione quod sit cognita.

Resp. *C.M.* — *C.m.* — *C.C.* Unde difficultas tota nititur in praedicta aequivocatione. Veritas formalis non est ratio obiectiva quae resultet in intellectu consequenter ad aliquam cognitionem, sed est perfectio quaedam realis ipsius intellectus qua ipse *ut cognoscens,* (non vero mere ut res quaedam) conformatur rei. Conformatio intellectus formaliter ut intellectus cum re, ut iam saepe dictum est, est veritas formalis, nempe bonum ipsius intellectus et perfectio in quam tendit. — Quamvis autem veritas formalis non sit ens rationis, tamen de ea agitur in Logica, quatenus invenitur in enunciatione: et haec pertinet ad proprium subiectum Logicae: per accidens autem (ut saepe vidimus in aliis quoque materiis) Logica considerat ipsam veritatem intellectus, quae per se est subiectum Metaphysicae. Quod autem S. Th. dicit (1 C. G. e. 59) " ad id in intellectu veritas pertinet, *quod intellectus dicit, non ad operationem qua id dicit* „ non ita est intelligendum quasi veritas inveniatur seu constituatur in obiecto cognito ab intellectu in quantum huiusmodi, sed sibi vult quod veritas non pertinet ad operationem intellectus consideratam in suis characteribus physicis (ut nempe est operatio, accidens spirituale, simplex etc,), sed secundum suum esse reale *intentionale ac repraesentativum,* hoc ipso quod pertinet essentialiter ad ordinem cognitionis, ut saepe dictum est.

THESIS V^a. — Definitio veritatis importare debet intellectum ipsum ut subiectum inhaesionis, et ideo bene veritas abstracte definitur " adaequatio intellectus et rei „.

612. Probatur 1ª pars. — Quamvis aliud sit quaerere de aliquo *quid* sit, et aliud in *quo* sit; tamen quando aliquid secundum suam propriam rationem sibi determinat subiectum, non est possibile aperire quidditatem eius independenter ab ipso subiecto. — Atqui veritas formalis est huiusmodi; etenim veritas *intellectus creati* non est substantia quaedam, sed accidens quoddam; accidens autem sicut nequit esse nisi in subiecto, ita nec

quidditatem, nec definitionem habere potest independenter a subiecto. — Ergo veritas formalis definiri debet cum ordine ad subiectum. — Sed subiectum veritatis, ut vidimus in praecedenti propositione, est intellectus. — Ergo veritatis formalis definitio importare debet intellectum ipsum tamquam subiectum veritatis.

Probatur 2ª pars. — " *Adaequatio intellectus et rei:* „ — Dicitur 1º = " *adaequatio* „ = et per hoc assignatur genus ipsius veritatis formalis, scilicet relatio conformitatis.

Dicitur 2º = " *intellectus et rei* „ = et per hoc assignatur ipsa differentia, scilicet determinatur ad quam speciem relationis conformitatis pertineat veritas formalis, et affirmatur quod est = *intellectus* et *rei* =.

Dicitur 3º = " *adaequatio intellectus et rei* „ = et non adaequatio intellectus *ad rem,* vel *cum re;* et hoc signanter ut nempe perfecte notificetur quidditas, natura ipsius veritatis, quae est ut veritas sit ipsa *adaequatio intellectus et rei,* et non tantum unius ad alterum, vel cum altero. Nam in uno similium v. g. est quidem relatio ad aliud simile, sed non similitudo *huius et illius;* et in duobus adaequatis non ita est adaequatio, ut in uno sit adaequatio huius et illius, sed in altero ad alterum. Veritas autem est *ipsa adaequatio intellectus et rei,* uti vidimus, quae ibi solum formaliter reperitur, ubi *uterque simul terminus inveniatur,* quod non contingit nisi in intellectu, et perfecte nonnisi in intellectu componente et dividente. Ideo enim, dicit S. Thomas, sensus non cognoscit veritatem quia non cognoscit ipsam " *comparationem quae est inter rem visam et id quod ipse apprehendit de ea* „. Et idem dicendum de intellectu simpliciter apprehendente. Intellectus vero componens et dividens quando iudicat rem ita se habere sicut est forma quam de re apprehendit, idem dic, si iudicat non ita se habere cum non ita se habeat, tunc habet ipsam adaequationem secundum utrumque terminum, et sic habet veritatem.

Dicitur 4º = " *adaequatio intellectus et rei* „ = et non adaequatio *rei* ad intellectum, ut ostendatur quod de ratione veritatis formalis est ut sit in intellectu, ut in subiecto, et non in re. Nam: quid verum? intellectus similis rei; quid veritas? simi-

litudo ipsa intellectus et rei. Res igitur *non* ingreditur definitionem ut subiectum sed ut terminus: intellectus ut subiectum et terminus. Pro *formali ergo, veritas* est similitudo quaedam, seu adaequatio inter duos terminos, intellectum scilicet et rem, existens tamquam in subiecto in intellectu.

Dicitur 5º = " *adaequatio rei et intellectus* = et non = adaequatio *cognita* rei et intellectus = ; ratio est quia quidquid est in alio est per modum eius in quo est: et sic quidquid est in intellectu in quantum cognoscens, est in eo per modum cogniti in cognoscente. Ergo non est opus ponere in definitione veritatis quod sit adaequatio *cognita* intellectus et rei.

613. Nota 1ª. Definitio tradita ipsius veritatis est abstracta, uti patet, quia loco generis ponitur ipsum accidens, loco et differentiae subiectum: definitio vero concreta esset = *intellectus rei adaequatus:* = tamen in hac definitione, per se bis deberet poni intellectus, semel ut est subiectum veritatis, et iterum ut est alter ex terminis adaequationis quae in ipso est ut in subiecto, unde esset ita = *intellectus adaequatus rei et intellectui.* = Tamen ut consulatur brevitati et concinnitati definitionis, quia semel in definitione positus intellectus utrumque officium praestare potest, semel tantum ponitur; sic etiam facilius et commodius analogatur definitio etiam ad veritatem rei, quae quodammodo intelligitur subiectari in re, ut sanitas in medicina vel colore.

Nota 2ª. Ex dictis hucusque, patet quod adaequatio in qua consistit veritas formalis non est:

a) inter *facultatem* ipsam intellectivam ut sic et *rem;* quia facultas ut sic, est pura potentia: neque

b) inter *facultatem* eamdem *ut informatam specie intelligibili impressa et rem;* quia per solam speciem impressam nondum est cognitio; nec

c) inter *speciem expressam* simplicis apprehensionis et *rem;* quia in hoc non est sufficienter illa adaequatio quae formaliter est terminus intellectus et veritas: neque

d) inter *ipsam operationem,* ut sic, qua intellectus apprehensa componit et dividit, et *rem:* quia " Cum veritas sit adaequatio intellectus et rei secundum quod intellectus dicit esse quod est, et non esse quod non est, ad id in intellectu veritas per-

tinet, quod intellectus dicit, non ad operationem qua id dicit; non enim ad veritatem intellectus exigitur ut ipsum intelligere rei adaequetur, quum res interdum sit materialis, intelligere vero immateriale; sed illud quod intellectus intelligendo dicit et cognoscit oportet esse rei aequatum, scilicet ut ita in re sit, sicut intellectus dicit „ (C. G. l. 1. c. 59). — Sed

e) adaequatio in qua consistit formalis veritas, est inter *rem ipsam prout materialiter existit a parte rei, quae sic supponitur per subiectum, et intellectum ipsum seu formam apprehensam ab intellectu de ea, quae exhibetur per praedicatum:* in iudicio enim, affirmat et cognoscit intellectus, id quod apprehendit de re esse in re [1]).

---

[1]) Semeria *(Dogma, Gerarchia e culto della Chiesa primitiva)* sic ait: " Noi abbiamo ereditata l'abitudine di definire la verità *adaequatio rei et intellectus.* Ma la definizione è ambigua. Per *adaequatio* infatti, si può dapprima intendere una vera e propria eguaglianza tra il nostro pensiero e la realtà. Ora se si intende così, innanzi tutto *la definizione è falsa:* noi col pensiero non adequiamo mai la realtà, ma specialmente una tale definizione rende assurdo il concetto d'una verità progrediente. Giacchè, amici miei, lo sapete, la uguaglianza è un rapporto che non ammette gradi, non ammette un meno e un più, e per conseguenza non ammette un progresso. Una concezione qualunque, se si accetta quella definizione, o adegua perfettamente la realtà, ed è vera: o non la adegua ed è falsa... Il vero si è che, quando si accetta quella definizione, l'*adaequatio* s'ha da pigliare nel più largo senso, di una *approssimazione* alla realtà, non di una vera propria perfetta eguaglianza con essa: di un orientamento *verso* piuttosto che un combaciare *con* la realtà. „ — Ex quibus verbis patet quomodo P. Semeria assecutus non sit propriam rationem definitionis veritatis. " *Adaequatio rei et intellectus* „ non importat quod ut habeatur veritas, intellectus debeat adaequari rebus *secundum omnia praedicata quae in re sunt:* talis interpretatio nimis puerilis est atque absurda; sed significat quod intellectus adaequatur rei *secumdum illam formam* quae de re concipitur et exhibetur per praedicatum.

Sic ut intellectus meus adaequetur rei cum dico — *Petrus est homo* — non requiritur ut mens mea percipiat ea omnia quae sunt in Petro, ita ut in mente mea exurgat Petrus quidam, intentionaliter identicus Petro existenti a parte rei. Sed requiritur et sufficit quod *forma* quae de re apprehenditur, *sit in re*, et *secundum hanc* intellectus meus adaequetur rei, quamvis plures imo infinitae rationes cognoscibiles in eadem re inveniri possint, quae adhuc intellectui meo manent prorsus ignotae. Patet enim quod nullus

614. Dices 1°: sit v. g. iudicium hoc vel enunciatio haec: " *homo est animal* „ vel hoc " *animal est sentiens* „ vel " *Petrus est homo* „. Quinam ex his terminis exhibet rem et quinam intel-

---

homo, quamvis maxime rudis, asseret me non habuisse perfectissime veritatem seu adaequationem cum re, intelligendo et dicendo *Petrus est homo* eo quod non cognoverim quod idem Petrus sit musicus aut stultus. — Imo vidimus cum S. Thoma quod quamvis de aliqua re, minimum quoddam accidens percipiam quod in re sit, ut puta dum cognosco quod *Petrus sit albus,* perfectissime *secundum hoc* adaequari possum rei: non enim dum intelligo et dico — *Petrus est albus* — intelligo aut dico quod ratio Petri identificetur cum albedine, sed intelligo quod *Petrus est habens albedinem.* Porro, si res ita se habet, perfectissime *secundum hoc* intellectus meus adaequatur rei, perfectissime habeo veritatem, quamvis nihil amplius de Petro intelligam aut dicam. Unde nullo modo definitio praedicta, dummodo bene intelligatur, " absurdum reddit conceptum progressus in veritate „. Sed sicut uni eidemque rei, alio et alio modo adaequatur intellectus humanus, angelicus et divinus, omnes tamen adaequantur, et omnes suo modo possident veritatem, ita unus idemque intellectus potest secundum plures ac plures rationes quae in re sunt, magis ac magis adaequari ipsi rei, ideoque proficere in veritate, quamvis nunquam *omnem veritatem* quae de illa re haberi possit, acquirere valeat. — Ceterum haec dicimus considerando tantum verba P. Semeria in quantum contradicunt definitioni veritatis: non consideramus nunc *finem* quem ipse intendit, qui doctrinas *de veritate relativa, de Evolutione Dogmatis etc.*... respicit: de quibus opportunius alibi. — Interim Cf. P. Ambrosini (*Occultismo e Modernismo* lett. VIII p. 266 *nota*) ubi optime arguit contra eamdem doctrinam P^is^. Semeria (Conferenza-giugno 1905 — in *Studi Religiosi* Luglio-Agosto) " .... si assegna come ragione del non poter noi intendere la realtà delle cose, per esempio del ferro, perchè quella realtà è infinita. Oh dunque l'essere infinito è la sostanza di tutte le cose? e se così non si intende, perchè si usa tale linguaggio, mentre pure è certissimo che molti ai giorni nostri tengono appunto, guidati da Kant, un tale mostruoso panteismo oggettivo?... „ etc. Et adverte quod aliud omnino est, dicere quod singulae res habeant *infinitas rationes cognoscibiles,* et dicere quod habeant *realitatem infinitam.* Certe modificationes vel relationes quae in una re, saltem ut possibiles, accipi possunt, sunt infinitae, et hoc sensu *comprehensio* ipsarum rerum, possibilis est tantum intellectui divino. Sed hoc non officit quin unaquaeque res perfecte possit intelligi ab intellecto creato, qui perfecte potest ipsi rei adaequari secundum istam vel illam rationem quam de re apprehendit. " *Intellectus enim est verus quando dicit esse quod est et non esse quod non est* „. Cf. Suarez, D. *Met.* 8. S. 4; Ruiz, *De Scientia Dei* D. 87. s. 3; Valentia in 1^m^ part. d. 1. q. 16.

lectus? Si dicis: in prima ex allatis enunciationibus, homo exhibet rem, tunc quomodo in tertia se habebit, exhibebit ne etiam ibi rem; et si non exhibeat rem sed intellectum, unde hoc? Quia omnino idem est quod pono, modo in subiecto, modo in praedicato. — Unde dico: aut simplices omnes apprehensiones habendae sunt pro rebus, aut omnes pro intellectibus quibusdam; sive unum sive alterum asseratur, enunciatio non poterit exhibere adaequationem intellectus et rei, sed vel intellectus et intellectus, vel rei et rei; quod si dicas — unum eundemque terminum exibere posse modo rem modo intellectum, tunc remanet explicandum quomodo hoc contingat et cur.

Respondeo dicendum quod unus idemque terminus exhibere potest modo rem modo intellectum. Perpende ergo ante omnia quod illud quod intellectus noster in prima simplici apprehensione attingit, est aliquid reale; id ostendimus ubi probavimus universale materiale esse reale. Unde simplices primae apprehensiones, seu ipsa prima simplicia apprehensa, habenda sunt pro rebus; loquimur enim de *prima simplici* apprehensione *directa.* Sed tamen illud quod in se exhibet aliquid reale, imo quod in se est res quaedam, potest relate ad aliquid non esse nisi merus intellectus. Sic e. g. si quaero an animal sit aliquid quod datur vel dari potest in rerum natura, an scilicet sit aliquid reale? respondes affirmative; si autem quaero an ratio animalis realiter sit in hoc polypo, ambigis, nescis antequam experientiam sumas de sensibilitate eius.

Animal ergo quod apprehendis *absolute,* res est; animal in quantum apprehendis *de hoc,* exhibet tibi mere apprehensionem tuae mentis seu formam aliquam quam tu de re hac apprehendis; et cum demum cognoscis (experientia vel demonstratione quacumque demum inductus) seu iudicas " rem ita se habere sicut est forma quam intellectus tuus *vere* apprehendit „ tunc cognoscis et dicis verum. Idem ergo terminus potest exhibere modo rem, modo intellectum. Rem exhibet si in loco subiecti ponitur; idem vero exhibet intellectum, cum ponitur in loco praedicati. " Nam in omni propositione, (intellectus) *aliquam formam significatam* per praedicatum, vel *applicat* alicui *rei* significatae per subiectum vel removet ab ea „ (S. Th. 1. p. q. 16. a. 2.) — Quod

etiam ex supradictis patere potest. — Quando dico v. g. " *homo est animal* „ hoc significo : = *illa res quae est homo est animal.* = Et quando dico " *animal est sentiens* „ dico et significo quod illa res quae est animal, etiam est sentiens : et propter hoc, *dici solet quod subiectum stat pro materiali, praedicatum vero pro formali.* Intellectus ergo iudicans, affirmat illud quod ipse apprehendit de re, *esse* vel *non esse* in re, et hoc affirmat inductus rationibus propter quas scit revera quod ita est in re sicut ipse apprehendit, vel quod in re non est ita sicut apprehenderat prima fronte. Praecedit ergo apprehensio, sequitur iudicium. De aliqua re formam aliquam apprehendo (quae realiter quid est in aliis, sed nescio an realiter sit in hoc) tunc iudico id quod apprehendi de re, esse vel non esse in re. Exhibet ergo enunciatio revera adaequationem inter duos terminos existentem, qui termini sunt intellectus, qui exhibetur per praedicatum et res quae exhibetur per subiectum.

Dices 2ª. — Saepe auditur haec enunciatio, vel similis " *hic homo est Petrus* „ — Atqui Petrus est singulare signatum. — Ergo saltem in hoc casu, veritas est = adaequatio rei et rei = et non *intellectus et rei.*

Respondeo. — *C. M.* — *D. m.* Petrus est singulare signatum materialiter et stat pro formali *C. m.* Petrus est singulare signatum formaliter et stat pro materiali *N. m.* — *N. C.* — Nihil prohibet ipsum singulare signatum accipi non formaliter ut singulare signatum. sed ut forma quaedam quae de aliquo determinato singulari signato praedicetur, et in hoc casu, ut patet, non stabit pro *re* sed pro intellectu. Ceterum ex hoc exemplo confirmatur id quod dicebamus in praenotionibus, quod scilicet praedicatum se habet ad subiectum ut conclusio ad principium quod conclusioni est *praecognitum;* et quia *hoc aliquid,* in casu, est praecognitum non autem ut *Petrus,* quod nunc de novo cognosco, ideo *hic homo* ponitur pro subiecto, Petrus pro praedicato.

Dices 3ª. — Si singulare est quod supponitur omni praedicationi, quomodo scientiae sunt de universalibus ? quomodo in logica minori dicebatur subiectum tot modis supponere posse in enunciatione si semper stat materialiter ? quomodo omnes propositiones necessariae sunt universales ?

Respondeo ad 1m — Scientiae sunt universalium quia id quod attingit intellectus ut *quod* attingit, est quidditas ipsa, secundum quod tamen in particulari existit; nam ut vidimus in praenotionibus, de natura intellectus nostri est ut speculetur naturam universalem in particulari existentem.

Respondeo ad 2m — In primis notandum est quod quando dicimus quod subiectum in enunciatione supponit materialiter, hoc non intelligitur de suppositione materiali proprie dicta de qua [cf. n. 88], sed potius ut notatum est [n. 97] de suppositione *personali.* — Sed iterum advertendum quod licet *in enunciatione,* subiectum stet pro supposito, potest tamen quandoque accidere quod non importet de facto aliquod suppositum ne indeterminate quidem; sed potius ipsa forma quae exhibetur per subiectum accipiatur tanquam suppositum relate ad formam quae exhibetur per praedicatum: et hoc sufficit ut verificetur quod semper subiectum in propositione tenetur *materialiter,* praedicatum vero *formaliter.* Semper enim subiectum (quamvis sit natura) accipitur ad *modum rei* et quidem determinatae et singularis, praedicatum vero ad modum formae quae de re concipitur — Sic in ista propositione — *homo semper artes coluit* — in qua — *homo* — supponit simpliciter, subiectum — *homo* — non importat aliquod suppositum ne indeterminate quidem, sed homo ipse accipitur tanquam suppositum relate ad formam exhibitam per praedicatum, et hoc sensu adhuc potest et debet dici quod in hac propositione, subiectum tenetur materialiter, praedicatum vero formaliter. Semper enim subiectum *tenet locum* subsistentis distincti, quamvis non sit necesse quod semper sit de facto *subsistens* distinctum. Sed et istae propositiones, semper reducibiles sunt ad aliquam primam cuius subiectum *sit etiam de facto* aliquod subsistens distinctum ut facile constat.

Respondeo ad 3m — Adverte quod quando dicis " *homo est animal* „ vel explicite apponis syncategorema universale " *omnis homo est animal* „, illud subiectum " *omnis homo* „ sumitur distributive de singulis, et non se hatet ut universale respectu animalis cui subiicitur, et errares si diceres quod praedicatum *animal* non competit singularibus hominibus importatis per subiectum illud " *homo* „ vel " *omnis homo* „ sed solum ipsi rationi hominis,

vel omnibus hominibus simul sumptis et non distributim sed collective. Significas ergo quod unicuique singulari homini competit hoc praedicatum.

Sed quando dico: — *homo est species* — tunc considero hominem ut abstracte habet esse in intellectu, et tunc ratio illa abstracta ut sic, habetur ut singulare aliquod de numero habentium esse in intellectu, ut dicebamus in logica minori [cf. n. 123], ubi concludebatur, quod istae propositiones: " *homo est species* „ " *animal est genus* „ etc., quamvis nullo signo particularitatis afficiantur, habendae tamen sunt tanquam *singulares;* non modo *particulares*, inquam, sed *singulares,* quia esse sive in re, sive in intellectu non competit nisi singularibus, si esse in intellectu non accipias *obiective* sed *subiective,* unde ipsum universale, ut est *subiective* in intellectu, est singulare quoddam et non universale, et multiplicatur pro multiplicatione capitum in quibus est. Ergo teneas, quod, quando dico: " *homo est animal* „ idem est ac si dicam: " *id, quod est homo, est animal; omne id quod est homo, est animal* „ ; seu aliis verbis: " *idem subiecto est homo et animal* „. Pro quo, nota, quod ea quae componuntur in re, h. e. quae realiter inter se distincta faciunt realem compositionem in rerum natura, sunt diversa; compositio autem intellectus est *signum identitatis* eorum quae componuntur [1]).

Dices 4ª: Quando dico, v. g. " *homo est animal* „ homo se habet ut minus universale, animal ut magis universale. Latius patet animal quam homo: animal se extendit ad omnes species sub illo genere contentas: homo est una species, quomodo possunt dici idem?

Respondeo — *D. A.* Animal se habet ut magis universale relate ad hominem, et ut totum universale, *C.A.* – secus *N.A.* – *D.C.* - Non possunt esse idem, si animal esset relate ad hominem, ut *totum collectivum* vel ut *totum potentiale, C.C.* — secus *N.C.*

Exclude pravum intellectum, qui oritur ex eo, quod universale, v. g. " *animal* „, consideratur in ordine ad omnia inferiora veluti simul collective accepta, non enim haec est propria consideratio universalis; exclude pravum intellectum, secundum

---

[1]) Cfr. S. Th., I p. q. 85. a. 5. ad 3m — Cf. supra [n. 608 IV].

quem hoc universale " *animal* „ accipitur ut quoddam *totum potentiale in suo conceptu includens virtualiter seu potestative omnes differentias,* quibus existit determinatum in diversis speciebus; non enim haec est propria consideratio universalis, ut universale est, et animal ut praedicatur v. g. de vermiculo certe non est aliquid quod sua virtute et potestate contineat omnem perfectionem etiam animalis rationalis. Totum universale sic comparatur ad partes subiectivas, ut in ipsis sit totalitate essentiae et totalitate virtutis. Nam v. g. genus " *animal* „ se habet ad inferiora *singula* seorsim accepta ut totum, ita nempe quod unumquodque ex illis, identice sit ipsum universale, et quidem ita, ut ipsum universale se habet ad singula ut totum. [Cf. n. 527].

Memento quod probavimus, universale materiale et esse reale, et non distingui ullo modo realiter a singulari, et insuper, probavimus cum S. Thoma, ad singulare *se habere ut totum, quod ipsum est, et non ut pars;* ergo est omnino idem quod ipsum. Et etiam quando dico " *homo est albus* „ idem omnino est suppositum, quod et humanitatem habet et albedinem; non enim dico: " *homo est albedo* „ sed " *homo est albus* „ et identitatem realem praedico habentis albedinem et habentis humanitatem.

Dices 5ª: Si compositio intellectus esset signum identitatis, seu si per copulam significaretur identitas, omnis praedicatio deberet esse identica. — Atqui e contra fere nunquam hoc contingit; nam fere nunquam dicitur: " *homo est homo* „ " *equus est equus* „. Ergo etc.

Respondeo — *N. sequel. M.* Ratio est quia singulare ipsum supponitur nomini designanti ipsum, secundum ea, quae de ipso *praecognita sunt,* et praedicatum se habet ut conclusio, de novo nunc cognita de ipso. Non autem idem sub eodem respectu ab eodem deducitur; et conclusio virtute continetur in principio non actu; sic ens quod est primum praedicatum seu primum quod intelligitur, est ultimum de quo passiones quaeruntur.

615. Scholion. — *Quaeres an in iudicio imprudenti, quod tamen concordat ipsi rei, insit veritas.* — Ut huic difficili quaestioni respondeamus, videtur dicendum quod veritas est id, in quod tendit intellectus tanquam in sui perfectionem. Perfectio vero in-

tellectus ultima, potest considerari vel ex parte obiecti cognitionis, vel ex parte cognitionis secundum se, vel ex parte moventium ad cognitionem. Veritas autem dicitur perfectio in quam tendit intellectus, considerata natura cognitionis secundum se. Natura vero cognitionis consistit in quadam intentionali adaequatione ad rem. Veritas ergo erit in intellectu, si habeatur ibi adaequatio perfecta ad rem, nempe adaequatio per modum intellectus, et ad rem ut res est, per cognitionem scilicet naturae applicatam supposito ; quod si omnia ista non desint, non deerit ratio veritatis formalis simpliciter dictae, licet plures aliae perfectiones ex parte obiecti aut motivorum cognitionis desint. Hinc summa perfectio, ad quam absolute potest pertingere intellectus humanus ex parte obiecti cognitionis, est visio beatifica Dei, nec tamen ea requiritur ad rationem veritatis simpliciter. — Et similiter quod imperfecta sint motiva adducentia ad aliquod iudicium affirmandum, non facit quod iudicium non sit conforme rei entitati, et ideo non sit verum. Quapropter videtur asserendum iudicium imprudens, seu ex motivis insufficientibus, posse tamen dici verum veritate simpliciter accepta, sicut paries dici debet rectus si ad perpendiculum sit exstructum, licet hoc non omnino arte, sed ex alia aliqua causa vel fortuito contingat. Tamen, eo quod in iudicio imprudenti intellectus moveatur non ex propriis intellectus motivis, sed etiam, saltem ex parte, a voluntate, non diffitemur in detrimentum perfectionis cognitionis hoc cedere. Est tamen haec imperfectio, cognitionis imperfectio quidem, sed per ordinem ad cognitionis causam, non in eo quod est proprium cognitionis secundum se, quod est assimilatio ad rem, et ideo remanet ratio veritatis. — Quod si cognitio esset perfecta etiam ex parte motivorum, tunc non solum veritatis dote gauderet, sed et ea firmitate, quae certitudo nominatur.

Dices. 1° — Qui imprudenter iudicat non cognoscit se esse adaequatum rei. Ergo non habet veritatem formalem.

Resp. *D.A.* Qui solum de re aliqua suspicatur *C.A.;* qui vere iudicat *sbd.:* non cognoscit cognitione perfecta ex parte motivorum seu cum certitudine *C.A.;* simpliciter non cognoscit licet cum formidine oppositi *N.A.* — *D.C.* eodem modo.

Dices. 2° — Qui imprudenter iudicat, dicit se esse adaequatum rei sed non cognoscit se esse adaequatum rei. Ergo non habet simpliciter veritatem formalem.

Resp. *D.A.* Dicit per dictionem, quae est formaliter cognitio (nam nulla esse potest operatio facultatis formaliter cognoscitivae circa obiectum aliquod, nisi cognitio), sed tamen non cognoscit cognitione, quae firmiter adhaereat obiecto, ut requiritur ad certitudinem *C.A.;* dicit per dictionem, quae non sit formaliter cognitio, et simpliciter non cognoscit se esse adaequatum rei *N.A.* — *D.C.* eodem modo.

THESIS VI[a] — In sensibus veritas formalis proprie ac perfecte non est, sed quadantenus tantum.

616. Probatur 1[a] pars. — " Quamvis sensus proprii obiecti sit verus, non tamen cognoscit hoc verum. Non enim potest cognoscere habitudinem conformitatis suae ad rem „. (S. Th. 1. Periher. l. 3.) — Atqui verum importat aliquid existens in cognitione. — Ergo veritas non est proprie ac perfecte in sensibus.

Hinc habes quod recte in definitione veritatis ponitur solum *intellectus,* non autem sensus, licet eadem definitio analogatur etiam ad sensum. Perperam enim definiret, qui ad definiendam sanitatem, notiones quaereret quae proprie essent communes omni sanitati, etiam dictae secundum quid et per posterius. Sicut nec bene definiret qui primo vellet considerare veritatem ut est in intellectu divino, et deinde analogaret ad nostrum, cum de necessitate a creatis ascendamus ad Deum.

Probatur 2[a] pars. — Ratio est quia etiam in ipsis est forma apprehensa de re; attingit enim v. g. visus *hoc* coloratum. Attamen — " licet visus habeat similitudinem visibilis, non tamen cognoscit comparationem quae est inter rem visam et id quod apprehendit de ea „ (1. p. q. 16. a. 2.) — Ergo sensus se habet quantum ad hoc, fere ut intellectus simpliciter apprehendens; et quamvis dici possit imitari aliquo modo iudicium, non tamen ita quod proprie agnoscat dictam comparationem.

QUAESTIO SECUNDA.

De Falsitate.

THESIS I.ª — Falsitas per prius est in intellectu; in rebus autem esse non potest simpliciter et per se, nisi per ordinem ad intellectum a quo res ipsa pendet in esse.

617. Probatur 1ª pars. — Ibi per prius est falsitas ubi per prius est veritas. Sed veritas per prius est in intellectu. Ergo *falsitas* per prius est in intellectu.

Probatur Maior. — Opposita sunt circa idem, idest in eodem subiecto. Ibi autem per prius est aliquid ubi est tamquam in proprio subiecto, ut sanitas in animali. Ergo ibi per prius est falsitas, ubi per prius est veritas, hoc est in intellectu [1]).

Probatur 2ª pars. — In rebus non est veritas neque falsitas nisi per ordinem ad intellectum. Atqui per ordinem ad intellectum a quo non dependunt in esse, sicut non est in eis veritas simpliciter et per se, ita nec falsitas esse potest simpliciter et per se. Ergo falsitas simpliciter et per se in rebus esse non potest nisi per ordinem ad intellectum a quo dependent in esse.

Iterum. — Unumquodque secundum id quod convenit ei per se, simpliciter nominatur, secundum autem id quod convenit ei per accidens non nominatur nisi secundum quid. Unde solum secundum ordinem ad intellectum a quo dependet in esse potest dici res falsa simpliciter [2]).

THESIS IIª — Res artificiales falsae esse possunt simpliciter et secundum se in quantum deficiunt a forma artis. — In rebus autem naturalibus, falsitas non invenitur ullo modo per comparationem ad intellectum divinum, ideoque nulla res est falsa simpliciter; invenitur vero secundum quid, per ordinem ad intellectum humanum.

618. Probatur 1ª pars. — Res artificiales dependent in esse ab intellectu artificis humani a cuius forma artis deficere possunt, et secundum hoc ab adaequatione ad intellectum ad quem com-

---

[1]) Cf. S. Th. 1. p. q. 17. a. 1.
[2]) Cf. S. Th. 1. p. q. 17. a. 1.

parantur per se et non secundum accidens. Ergo res artificiales possunt esse falsae simpliciter et secundum se in quantum deficiunt a forma artis [1]).

Probatur 2ª pars. — Quidquid in rebus accidit, ex ordinatione divini intellectus procedit. — Ergo secundum omnia quae in ipsis sunt vel accidunt, res naturales, et omnes, quomodocumque sint, non possunt non adaequari intellectui divino. Ergo in nulla re potest esse falsitas per comparationem ad intellectum divinum [2]).

619. Nota. Addit S. Thomas: " Nisi forte in voluntariis agentibus tantum, in quorum potestate est subducere se ab ordinatione divini intellectus, in quo malum culpae consistit, secundum quod *ipsa peccata, falsitates, et mendacia* dicuntur in scripturis secundum illud Ps. 4. 3. " Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium? „ sicut per oppositum operatio virtuosa *veritas vitae* nominatur, in quantum subditur *ordini divini intellectus,* sicut dicitur Io. 3. 21. " Qui facit veritatem venit ad lucem „. Addit autem " nisi forte quia etiam haec non fiunt nisi Deo permittente, et divino intellectu cognoscente bonum esse permittere haec mala fieri, ex iisque bonum eliciente „.

Probatur 3ª pars. — Ad intellectum nostrum res naturales non comparantur nisi per accidens. Sed nihil potest dici falsum simpliciter per comparationem ad intellectum ad quem comparatur solum per accidens. Ergo per ordinem ad intellectum nostrum res naturales non possunt dici falsae simpliciter. Sicut autem *secundum quid* possunt res naturales dici verae per ordinem ad intellectum nostrum, ita et falsae secundum quid [3]).

620. Quaeres: quomodo? **Respondeo** cum S. Thoma dupliciter: *Uno modo secundum rationem significati,* ut dicatur illud esse falsum in rebus *quod significatur vel repraesentatur intellectu falso;* secundum quem modum quaelibet res potest dici esse falsa quantum ad id quod ei non inest, sicut si dicamus diametrum esse falsum commensurabile ut dicit Philosophus in 5.

---

[1]) S. Th. 1. p. q. 17. a. 1
[2]) S. Th. 1. p. q. 17. a. 1.
[3]) S. Th. q. 17. a. 1.

Met., et sicut dicit Angelicus quod verus tragoedus est falsus Hector; sicut e contrario potest unumquodque dici verum secundum id quod competit ei. — *Alio modo per modum causae* et sic *dicitur res esse falsa* quae nata est facere de se opinionem falsam. Et quia innatum est nobis per ea quae exterius apparent de rebus iudicare, eo quod nostra cognitio a sensu ortum habet, qui primo et per se est exteriorum accidentium; ideo ea quae in exterioribus accidentibus habent similitudinem aliarum rerum dicuntur esse falsa secundum illas res; sicut fel est falsum mel; et stamnum est falsum argentum. Et secundum hoc dicit Angelicus quod " eas res falsas nominamus, quae veris similia apprehendimus. Et Philosophus dicit in 5. *Met.* quod falsa dicuntur quaecumque apta nata sunt apparere aut qualia non sunt aut quae non sunt. Et per hunc modum etiam dicitur homo falsus, in quantum est amativus falsarum opinionum vel locutionum, non autem ex hoc quod potest eas confingere; quia sic etiam sapientes et scientes, falsi dicerentur, ut dicitur in 5. *Metaph.* „. Et nota quod " non ubicumque est similitudo dicitur res falsa, sed ubicumque est talis similitudo quae nata est facere opinionem falsam, non cuicumque sed ut in pluribus „.

THESIS III.ª — Verum et falsum opponuntur ut contraria, non ut affirmatio et negatio, ut quidam voluerunt.

621. Probatur. — Negatio nec ponit, nec determinat; privatio non ponit, sed determinat; contraria ponunt et determinant. Atqui verum et falsum ponunt et determinant. Ergo non opponuntur nec contradictorie, nec privative, sed contrarie.

Declaratur argumentum ex S. Thoma (Iª p. q. 17. a. 1.): " Ad cuius evidentiam sciendum est, quod *negatio neque ponit* aliquid *neque determinat* sibi aliquod subiectum; et propter hoc potest dici tam de ente, quam de non ente, sicut non videns, et non sedens. *Privatio* autem *non ponit* aliquid, *sed determinat* sibi subiectum; est enim negatio in subiecto, ut dicitur IV.° *Metaph.* et V.°; caecum enim non dicitur nisi de eo, quod est natum videre. *Contrarium* vero, *et* aliquid *ponit, et* subiectum *determinat;* nigrum enim est aliqua species coloris. *Falsum* autem aliquid *ponit;* est enim falsum, ut dicit Phil. IV.° *Metaph.*, ex eo quod dicitur, vel *videtur aliquid* esse, quod non est, vel

non esse, quod est. Sicut enim *verum ponit* acceptionem adaequatam rei, ita falsum acceptionem rei non adaequatam. Unde manifestum est quod verum et falsum sunt contraria „.

622. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** S. Augustinus dicit : " Verum est id quod est, et consequenter falsum id quod non est „. Atqui id quod est, et id quod non est opponuntur ut affirmatio et negatio. Ergo verum et falsum opponuntur ut affirmatio et negatio.

Resp. *D.M.* Verum veritate rei est id quod est *C.M.;* veritate simpliciter dicta et sine addito *N.M.* (vel, verum veritate transcendentali *C.M.;* veritate formali *N.M.*) — *Cdm.* — *N.C.* vel *D.C.* ut supra.

Nam: " *Id, quod est in rebus, est veritas rei* „ quae dicitur veritas transcendentalis ; " *sed id, quod est apprehensum, est verum intellectus, in quo primo est veritas* „ scilicet intellectus apprehendens de re, quod est in re, est verus intellectus ; " *unde et falsum* (quod opponitur vero intellectus, seu veritati formali) *est id, quod non est ut apprehensum.* Proinde dicebamus consequenter falsum in rebus, seu *falsas res,* quando natae sunt facere de se non veram apprehensionem intellectus ; et dicebamus cognosci falsitatem, cum cognoscitur intellectus apprehendens de re *quod in re non est,* sicut etiam cognosci veritatem, cum cognoscitur intellectus apprehendens de re, *quod est in re,* et hoc fieri in iudicio. " *Apprehendere* autem esse et non esse, contrarietatem habet ; sicut probat Philos. 2° *Periher.* c. ult., quod huic opinioni — *bonum est bonum* — contrarium est — *bonum non est bonum* „.

Unde *minor* potest etiam sic distingui : Quod est, et quod non est opponuntur ut affirmatio et negatio, non tamen *apprehendere* quod est, et *apprehendere* quod non est *C.m.;* etiam apprehendere et apprehendere opponuntur ut affirmatio et negatio *N.m.*

Ob. 2ª. Unum contrariorum non est in alio. Sed falsum est in vero, quia ut dicit Aug. : " tragoedus non esset falsus Hector si non esset verus tragoedus „. Ergo verum et falsum non sunt contraria.

---

[1]) *Loc. sup.* c.

Resp. *D.M.* In alio sibi contrario, quod sibi opponitur *C.M.;* in alio contrario quod sibi subiicitur *N.M.* — *Cdm. In aliquo vero,* quod sibi subiicitur *C.m.;* in illo vero, quod sibi opponitur *N.m.;* et sic *concedo rationem additam,* ex S. Aug. et *N.C.* — Nam " falsum non fundatur in vero *sibi* contrario sicut nec malum in bono sibi contrario, sed *in eo quod sibi subiicitur.* Et hoc ideo in utroque accidit, quia *verum* et *bonum contraria sunt falso et malo* et convertuntur cum ente. Unde sicut omnis privatio fundatur in subiecto quod est ens, ita omne malum fundatur in aliquo bono, et omne falsum in aliquo vero „ (S. Th. l. c. ad 2.m). — Ratio vero, quare falsum debeat esse seu fundari et subiectari in aliquo vero est quia, ut dictum est, non est ut mera negatio sed privatio debitae formae et sic debet esse in aliquo subiecto: sed quidquid sit tale subiectum, si non est nihil, erit ens, et si est ens, est unum, verum, bonum etc. quia ista transcendunt omnia. Ergo subiectum falsi erit aliquod verum, et idem valet de malo cum et ipsum sit privatio; tamen nec malum fundatur in eo bono cui opponitur, nec falsum in eo vero cui opponitur sed in aliquo alio; verum autem in quo falsum subiectatur, est quod decipit incautos.

Nota. — Veritas transcendens seu veritas rei, quae convertitur cum re — de qua S. Th. agit (1.a p. q. 16 a. 3) — dicitur etiam *veritas obiectiva.* — *Veritas signi* est " conformitas signi cum re significata „ : si refertur ad rem propriam dicitur *oratio vera,* si ad intellectum *verax,* et *veracitas* virtus specialis est de qua hic nihil.

Tractatus I.us

De Mediis Assequendae Veritatis.

Introductio. — Quamvis plena vindicatio veracitatis facultatum nostrarum, ad Logicam non pertineat, sed ad Psychologiam, tamen impossibile fere est refutare errores, qui, hisce praesertim temporibus, circa certitudinem ipsiusque criteria passim pervulgantur, quin de veracitate facultatum aliquid attingatur. Remittendo ergo ad Psychologiam illas quaestiones, quae intimius naturam facultatum spectant, aliqua de his, *formaliter in quantum media* sunt ad assequendam Veritatem, prosequemur.

QUAESTIO PRIMA.

De veracitate sensuum.

THESIS I.ª — **Circa propria sensibilia, sensus non habet falsam cognitionem (h. e. falsitatem) nisi per accidens et in paucioribus, ex eo scilicet quod propter indispositionem organi, non convenienter recipit formam sensibilem** [1]).

623. Praenotanda. — 1º Sensus non cognoscit *similitudines rerum,* quas apud se habet, — sicut nec intellectus eas quas apud se habet, nisi per reflexionem, quae sensibus non competit, cum totaliter redire supra se ipsam non competat nisi facultati spirituali seu immateriali, — sed *cognoscit ipsas res.* Ad has autem cognoscendas, est dispositus solum quando habet earum similitudines. " Similitudo autem alicuius rei est in sensu tripliciter. Uno modo *primo et per se;* sicut in visu est similitudo colorum, et in aliis sensibus, aliorum propriorum sensibilium. — Alio modo *per se, sed non primo,* sicut in visu est similitudo figurae vel magnitudinis et aliorum communium sensibilium omnium. — Tertio modo *nec primo nec per se, sed per accidens,* sicut in visu est similitudo hominis non in quantum est homo, sed in quantum huic colorato accidit esse hominem „ [2]). — Res perceptae primo modo constituunt obiectum *proprium;* secundo modo obiectum *commune;* tertio modo obiectum *per accidens* sensuum.

Hic tamen notari debet, quod quantum ad constituendum obiectum *proprium* sensus, concurrunt etiam, aliquo modo, conditiones illae, *quae illud reddunt perceptibile sensui.* Explico: v. g. visus non habet pro obiecto coloratum immediate positum supra organum, ut si pono tibi picem nigram vel rubram in oculo non videbis hoc coloratum, hoc speciali modo applicatum; neque oculus se habet ad videnda quae sic applicantur, vel ea colorata, inter quae et oculum mediet corpus opacum et ita porro. Ad talia enim taliter se habentia, non se habet oculus neque *secundum quod ipsum, neque secundum quod non ipsum,* nempe ut

---

[1]) Cfr. S. Th. I. p. q. 17. a. 2.
[2]) Cfr. S. Th. I. p. q. 17. a. 2.

mox explicabimus, neque secundum quod est talis potentia, neque secundum quod non est talis potentia. Sic si interponas vitrum coloratum, oculus videbit, ut videre debet, vitro colorato interposito, rem coloratam colore vitri; meae autem imbecillitati tribuendum erit, si non adverto quod habeo perspicilla in naso tali colore suffusa, quae variare debeant colorem obiectorum, et tali lege sicuti variant relate ad visum meum. Non video colores ut sunt, propter impedimentum aliquod in medio; sicut si loco vitri, inter me et coloratum esset paries, totaliter nihil viderem eorum, quae post ipsum sunt, etsi pulcherrima essent, et vividissimis coloribus colorata. Oculus nempe non est ad haec percipienda. Idem dic de aliis sensibus, et eorum *obiectis propriis.*

2° Falsitas non est quaerenda in sensu, nisi sicut ibi est veritas. Veritas autem non sic est in sensu, ut sensus *cognoscat veritatem, sed in quantum veram habet apprehensionem* de sensibilibus, v. g. visus de coloribus. *Quod quidem contingit ex eo, quod apprehendit res ut sunt. Unde contingit falsitatem esse in sensu ex eo, quod apprehendit vel iudicat, suo modo,* res aliter quam sint [1]).

624. Probatur 1ª pars. — Ratio est, quia sensus ad proprium sensibile se habet secundum quod ipsum. Atqui id, quod ad aliquid se habet secundum quod ipsum, indefectibiliter pertinet ad illud. Ergo sensus circa propria sensibilia non habet falsam cognitionem [2]). — (Videas S. Th. 1. p. 75. a. 6. unde desumptum est argumentum).

Declaratur Maior. — Illud quod dicit S. Thoma l. c. "*secundum quod ipsum*„ nihil aliud est quam reduplicatio quaedam; quid sit reduplicatio et quam vim habeat, explicavimus in Logica

---

[1]) Cfr. S. Th. *ibid.* — Intellectus falsus cognoscit commensurabile de diametro et sic cognoscit falsum: sed sensus proprie loquendo non cognoscit amarum de dulce, sed, ut ita dicam, *est amarus de dulce*, id est: percipit amarum, et in hoc non est neque verus neque falsus. Comparatio autem ad obiectum, ex qua esse potest in amaro ratio falsi, non est in sensu cognoscitivo modo, sed est tamen in eo relatio ad obiectum dulce entitativo modo. Hinc sensus dicitur falsus esse de dulce, sed non cognoscit falsum. (Cf. omnino S. Th. *De Verit.* q. 1. a. d.).

[2]) Cf. Urràburu *Log. Maior.* l. I. d. 4. c. 1 a. 2.

Minori: Cf. [n. 311, III]. Nunc autem ad rem ipsam attendendo, haec est probatio: si aliquid se habet ad aliquid secundum quod ipsum, semper eodem modo se habet ad illud. Sed potentia secundum quod ipsa (h. e. per se, non per accidens, et in quantum potentia est, et talis potentia) se habet ad proprium obiectum, ergo semper eodem modo se habet ad proprium obiectum. Sed si defectibiliter se haberet ad illud, non semper eodem modo ad illud se haberet. Ergo ad illud se habere debet indefectibiliter. Ergo non potest respectu illius falli, quod est deficere.

Quantum autem, ad principium generalissimum enuncians quod id quod pertinet ad aliquid *secundum quod ipsum,* semper et de necessitate ad ipsum pertinet, patet vel levissima inductione [1]). V. gr. habere tres angulos duobus rectis aequales, pertinet ad triangulum in quantum triangulus est; ergo necessario et semper triangulus habet tres angulos duobus rectis aequales. Ita esse ra-

---

[1]) *Dices:* cur S. Thomas principia haec generalissima non probat? R.° quia relinquit probanda insipientibus: quorum ingenium ut possit omnia probare, prius omnia negat, omnibusque negatis quaerit principia non neganda unde probet. Sapientibus, talia statim cognitis terminis innotescunt, et termini ipsi per se, vel modicum sapienti perspicui sunt. — Invenies saepe similia apud S. Thomam, quae suis etiam in locis declarantur; v. g. simile illi, quod hic probatum est, est illud: " *Quod alicui competit secundum quod ipsum, ipsum non excedit* „. Vis videre quam facile sit terminos ipsos intelligere? loco terminorum sic universaliter prolatorum, ponas quidquid prius in mentem venit: v. g. Quod homini competit *secundum quod homo,* non excedit hominem, h. e. non competit nisi homini, non competit cuiquam quod non sit homo. V. g. rationale, stricte sumptum, competit homini secundum quod est homo, qua homini ut sic. Ergo non potest ulli competere, quod non sit homo. Non autem sic est de iis, quae competunt homini in quantum substantia est, aut in quantum vivens est, vel in quantum animal est. Quod tamen competit *animali in quantum est animal,* et omni animali competit semper, et animal non excedit, h. e. non competit nisi animali. Idem dic de vivente. Sic quod competit sellae in quantum est sella, sellam non excedit, h. e. non competit nisi sellae; quod ranae competit in quantum est rana, ranam non excedit; quod competit ei ut animal est, ipsam excedit, quia illud se extendit ad omne animal, ut propria passio animalis, sed quod ipsi ranae competit in quantum est ipsa rana, seu in quantum est ipsa, nulli competit nisi ipsi. Quo quid evidentius? Idem hoc est, ac si dicas: quod est propria passio alicuius, non potest simul non esse eius

tionale pertinet ad hominem secundum quod ipsum, h. e. secundum quod homo. Ergo necessario et semper, quantum *ad hoc,* homo eodem modo se habet. Non enim ab hoc deficere potest, nisi deficiat ab hoc, quod est hominem esse. Sic etiam potentia non potest deficere ab hoc, quod est se habere ad obiectum, quin deficiat ab hoc, quod est esse potentiam; et talis potentia non potest deficere ab hoc, quod est se habere *hoc determinato modo ad tale obiectum,* quin deficiat ab hoc, quod est esse *talem* potentiam, v. g. visivam. Et quando dico tale obiectum, intelligo etiam *sic dispositum* et *sic propositum,* ut in praenotandis dictum est.

Probatur 2ª pars. — Nam, ut ait S. Thomas (1. p. q. 17. a. 2. ad 1m), " ... sensum affici, *est ipsum eius sentire.* Unde per hoc, quod sensus ita nuntiant sicut afficiuntur, sequitur quod non decipiamur in iudicio, quo iudicamus *nos sentire* aliquid; sed ex eo quod sensus *aliter afficitur interdum quam res sit* (ut accidit circa sensibilia communia et per accidens, vel etiam circa sensibile proprium, organo indisposito) sequitur quod *nuntiet nobis aliquando* (cave ne dicas — *semper* —) *rem aliter quam sit,* et ex hoc fallimur per sensum *circa rem, non circa ipsum sentire* „. Nempe semper verum est, quod ego sic sentio, quod scilicet, aegrotus cum sim, sentio amarum, dum hoc vel illud gusto, quod amarum non est; sed non est verum, quod illud sit amarum, dum tamen sensus sentit amarum, et sic in sensu est falsitas per accidens ex indispositione; etsi per hoc, ego, qui scio me aegrotum, non decipior utens intellectu, ad quem *unice* pertinet *cognoscere veritatem.* Ergo tunc sensus est falsus, quando nuntiat rem aliter quam sit; et qui poneret sensum semper nuntiare res *aliter quam sint,* poneret sensum semper et per se, non per accidens, falsum esse, quo nihil absurdius. Certe sensus non cognoscit quidditatem, hoc enim pertinet ad intellectum, sed nuntiat rem esse ut est, quando falsus non est; et falsus

---

propria passio. Et hic semel pro semper audiantur verba S. Thomae, quae eximant nos ab inutilissimis confutationibus. " Non requiritur ad aliquam scientiam, ut inducat rationem contra opiniones manifeste falsas et improbabiles. Nam quolibet proferente contraria opinionibus sapientis (qualis profecto est S. Th.) sollicitum esse, **stultum est,** ut dicitur *primo Topicorum* „ (S. Th. I. *Phys.* lect. 2).

esse non potest circa proprium obiectum : quod universalissime asseri debet, quia asseritur de sensu recte in se disposito seu non deficiente ab ipsa ratione sensus, et circa obiectum rite propositum, h. e. quod habeat ea, quae ad rationem obiecti cognoscibilis per talem sensum, requiruntur.

625. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Quando sensus est falsus, nuntiat rem aliter quam sit. Atqui res exhibita aliter quam est, decipit eum cuius est, sensus falsus. Ergo sensus falsus decipit habentem. — Sed illi, qui est causa deceptionis, non est fidendum. Ergo sensibus non est fidendum.

Resp. *C.M.* — *D.m.* Propter stultitiam eius, cuius est sensus falsus *C.m.; ex se N.m.* — *Contr. C.* Propter stultitiam etc. *C.C.;* ex se *N.C.* — *D.m. sub.* Non est fidendum illi, qui saepe et per se est causa deceptionis *C.m.;* illi qui semper est verus, et nonnisi per accidens et in paucioribus est falsus *N.m.* — *N.C.*

Nam ut vidimus, circa propria sensibilia sensus non habet falsitatem seu falsam cognitionem, nisi organum ipsum aliqualiter sit corruptum aut indispositum, in quo casu repraesentat quidem res ut ipsae non sunt, sed ex se non fit quod ille, cuius est sensus, decipiatur, nisi aut Kantius ille sit, aut Hume, aut Fichte, aut de grege eorum aliquis, quem bardum fecerint speculationes, et sensu communi prorsus privaverint. Cum enim rusticus quivis aegrotans, insipidum sentit panem, non pani sed sibi adscribit, et conqueritur quod appetitum solitum ad caepe non habet, non quod caepe in seipsis insipida facta sint; praesertim cum videat (oculos enim habet praeter gustum) socrum et nurum, eadem alacritate qua semper, eadem comedentes, et audiat etiam laudantes. Falsus quidem sensus est in tali casu, quia non apprehendit rem ut est, sed intellectus, qui solus-solus cognoscit veritatem, solus proprie iudicare potest etiam de difformitate, quae tunc est per accidens, inter apprehensionem sensus et obiectum ab eo apprehensum.

Ob. 2ª. Cognitiones, quae relationi sensuum innituntur, falsas esse ostendunt scientiae naturales, Astronomia, Physica etc. Item quotidiana experientia demonstrat innumeras esse sensuum illusiones: (sic. e. g. luna videtur plana et minor, turris quadrata a longinquo videtur rotunda, rota rapidissime mota videtur

quiescere: baculus in aqua videtur fractus etc.). Ergo sensibus nulla fides est adhibenda.

Resp. *D. A.* Possunt esse falsae cognitiones, quae relationi sensuum innituntur circa sensibilia *communia* et *per accidens, transeat;* circa sensibilia propria *Sbd.:* possunt esse falsae *per accidens,* propter impedimentum scilicet, sive ex parte organi, sive ex parte medii *C. A.; per se N. A.* — *N. C.* [1]).

Ob. 3ª. *Instabis:* Sensationes non sunt nisi modificationes subiecti. Atqui tales modificationes nil valent ad manifestanda, quae sunt extra subiectum. Ergo neque circa sensibilia propria, sensus possunt esse veraces.

Resp. *D.M.* Sunt modificationes *obiectivae,* idest essentialiter ordinatae ad repraesentandum id, quod est a parte rei extra sensus ipsos *C.M.;* sunt modificationes *mere subiectivae N.M.* — *Cdm.* — *N. C.* (Urràburu n. 116).

Ob. 4ª. Colores spectri, sive complementarii in disco depicti, si velocissime moventur, producunt perceptionem coloris albi. Ergo.

Resp. *D.A.* Et hoc probat colorem album sicut lucem albam constitui ex omnibus coloribus vel saltem complementariis *C.A.:* colorem subiectivum esse *N.A.* [2]).

THESIS IIª. Non aliter sensus verus dici potest, nisi in quantum apprehendit res ut sunt " revera „ (S. Th. I. p. q. 17. a. 2). **Proinde a veritate aberrant omnes illi Naturales, qui**

---

[1]) Alii errores qui sensibus tribuuntur sunt e. g. colores spectri, arcus in caelo, guttae roris, interferentiae etc. (Cf. Pfeifer, *Philos. Iahrb.* 1897 p. 376): sed in primis negandum quod tales colores sint mere subiectivi: licet autem concedamus quod non sint obiectivi tanquam proprietates corporibus inhaerentes (" *Körperfarben* „), negamus tamen quod non sint obiectivi, quatenus in medio sive in aethere extra nos effecti (" *Spektralfarben* „) vel corpusculis in aëre (ut esset v. g. vapor aquae, pulvis cosmicus etc.) contineantur; nam sicut obiecta coloribus propriis inducuntur, sic et lux ipsa colores omnes in se continet, et in eos dissolvi potest (spectrum) per dispersionem, refractionem, interferentiam etc. (Cf. Willelms — *Institutiones Philosophicae* p. 188).

[2]) Cf. Willelms — *ibid:* Pfeifer, *Phil. Iahrb*, 1898 I. 41; Urràburu *Log. Maior.* n. 116.

contendunt nihil esse album aut nigrum, nisi quando videtur, neque sonum esse, nisi quando auditur, et similiter de aliis sensibilibus et sensibus.

626. Praenotiones. — Non hic contendimus propriam sensus naturam investigare: hoc manifeste pertinet ad *Physicam Rationalem* (Cfr. ergo quae ibidem dicemus). Ad perfectam tamen veracitatem sensuum vindicandam, opinio quaedam nobis est hic refutanda, quae, quamvis inter patronos suos multos Naturales adscribat, a veritate tamen recedere, et satis periculosa esse nobis videtur.

Vult ergo opinio ista, debere quidem sensum nostrum excitari et immutari ab extrinseco agente, et percipere ipsum immutativum, *non tamen ut est,* sed ita, ut in sensu v. g. visus, motus meri transformentur in apprehensiones colorum, qui nuspiam tamen revera exstant, ut esse apprehenduntur a sensu; et motus meri, in perfecto totius universi silentio exstantes, in auribus nostris transformentur in sonos, hanc vocem adhibendo nunc ad illud significandum, ad quod semper adhibita est.

Aliis verbis en quaestio : Corpus sonorum habet elasticitatem, et dum actu sonum emittit, vibrationes tremitusque possidet. Praeter istas reales dispositiones, nempe praeter qualitatem permanentem atque activam, quae est elasticitas, et energiam cineticam, quae impenditur in successivis vibrationibus, admittenda ne est aliqua entitas realis, quae formaliter sit *sonus ?* Item, sicut oculus sub impressione agitationis aethereae experitur sensationem quandam specialissimam, quae *visio* dicitur (dum idem oculus non percipit neque vibrationes, neque impetum aetheris, neque aliquid simile electricitati au magnetismo), necesse est dicere, quod existat aliqua entitas distincta ab his omnibus et a complexu illarum virium naturalium, quae de se tales effectus producere valeat? Idem dicatur de *calore.* Solvitur autem haec quaestio a praedictis Naturalibus *negative,* ita ut nec *sonus,* nec *lux,* nec *calor* dicendae sint entitates distinctae a motu, vibrationibus aëris vel aetheris etc.

Sed bene notandum, quod non intendimus hic investigare, utrum id, quod sensus nostri testantur esse *sonum* aut *lucem,* sit *qualitas simplex,* annon; nam, praeter quam talis inquisitio

non est huius loci, non diffitemur plures involvere varii generis difficultates. Sed in primis est advertendum, quod de quidditate ipsorum obiectorum disserere, non est sensuum, sed intellectus negotium; et praeterea etiam atque etiam cavendum, ne dum volumus de proprio obiecto cuiuscumque sensus determinare *quid sit,* in dubium revocemus quaestionem ipsam *an sit.* Porro de hac, et de hac tantum, nos hic sumus solliciti. Quaerimus ergo utrum *de facto detur sonus,* qui revera sit talis, qualis ab aure nobis exhibetur; utrum *de facto detur lux,* quae revera sit talis, qualem oculus nobis testificatur; an, e contra, detur tantum in rerum natura, causa (quaecumque tandem ea sit) huius impressionis, quae sonus vel lux debeat dici tantum secundum quod est in nostris sensibus. — Quaestio autem sic proposita, omnino solvenda est *affirmative,* pro existentia obiectorum, ut sensus testificantur.

627. Probatur. — I. Circa *proprium* obiectum alicuius sensus, credendum est testificationi illius tantum sensus, cuius est proprium obiectum. Atqui sensus nostri testantur respective dari *lucem,* dari *sonum,* etc., quae revera sint talia, et hoc quidem faciunt circa proprium obiectum. Ergo omnino credendum est dari lucem, dari sonum etc., quae revera sint talia.

Declaratur Maior. Ridiculum est atque absurdum et contradictorium in terminis, circa *proprium* obiectum alicuius sensus non fidere testificationi ipsius, sed inquirere testificationem aliorum, et multo magis ridiculum atque absurdum est recusare fidem tali sensui, quia testimonium eius circa sensibile *proprium* (ideoque insensibile caeteris) non confirmatur a caeteris. Patet enim, quod si de proprio obiecto sensuum, singulis attestantibus sensibus non fidis, non erit unde ullo unquam modo possis de hoc te certificare [1]). Et profecto, si de coloribus oculis non cre-

---

[1]) Placet hic referre verba quibus doctus quidam vir veritatem hanc exponebat:

"Io vedo luce. Ma *quid est lux?* Quei gonzi dei nostri vecchi che avevano tempo da perdere, dopo aver premesso un po' di — *Quid nominis* — per intendersi, alla questione — *Quid est* — facevan andare innanzi l' — *An est.* — Gonzi, chè non eran altro! Al più, da uomini ragionevoli dovevan prima dire: — *Non est,* — e poi cercare allora il — *Quid est* — e avrebbero

dis, nihil unquam de eorum existentia scire poteris per tactum vel auditum etc., neque per ipsum intellectum, cuius omnis cognitio ita dependet a sensu, ut, quemadmodum merito ait Aristoteles, cuius unus sensus deest, scientia omnis eorum, quae per talem sensum percipiuntur, deesse eidem necessario debeat: unde S. Thomas (2. 2ae q. 173 a. 3) ait: " In nobis perfectum iudicium intellectus habetur per *conversionem ad sensibilia,* quae sunt prima nostrae cognitionis *principia* „. Utique " contingit falsitatem esse in sensu ex eo, quod apprehendit vel iudicat rem *aliter quam* sit „ sed si constanter et semper falsus esset,

---

trovato che c' era un' altra cosa al posto suo; e non si sarebbero ingannati così tutti sino a 20 secoli dopo l'era cristiana in credere di vederci, mentre dovevano capire che per arrivare a certificarsi se ci sia o no quel chiaro, bisognava applicar tutti i sensi tranne gli occhi! — Per altro, io confesso che mi fa compassione questo povero nostro intelletto. Mi sembra un giudice disgraziato, ridotto a queste strette, che ha da fare con 5 mariuoli, ciascuno imputato dagli altri quattro di falsario, e tutti 5 si sa che non han detto mai la verità; e quel povero giudice, di scienza propria non sa niente che non abbia appreso di bocca loro, e si deve anche adesso fondare *unicamente* su quello che riferiscono questi 5. — Ha ingegno, sa leggere, è acuto, ma della causa non può saper niente se non a detta di questi 5. — Or si fa la causa dell' *occhio,* e vengono a testificare che dice falso, *orecchio, udito, odorato* e *tatto,* che non san nulla de' fatti suoi, e sono imputati di falsarii non meno, ciascuno nella sua cerchia. Domani verrà alle Assise l'*orecchio,* e bisognerà udir anche la testimonianza dell' *occhio* convinto oggi di falsario. È una condizione difficile davvero. A me fa compassione; e non so come fare a pensar bene di chi lo avesse messo in una condizione di questa fatta. — O non mi mettete qui a giudicare, o datemi modo di sapere le cose per altra via. Supponiamo, per assurdo, che ci fosse al mondo quel chiaro, che dice l'occhio di vedere; è impossibile impossibilissimo che io lo possa venire a sapere. Esso è accusato di attribuire al mondo oggettivo quello che è suo: sarà una fissazione, una pazzia, se non è una malizia: insomma egli dice che c' è. Io non ho occhio proprio per queste cose; gli altri sensi son falsari in ciò che lor tocca, e di quel dell' occhio non ne san " buccicata „ direbbero i puristi. Dite come ho da fare, o non mi mettete in un imbroglio di questa fatta. Supponiamo per esempio che ci fosse quel chiaro; non credendo all' occhio, verrò a scoprire cose vicine, cose che concorron a formarlo, cose che lo producono, che lo compongono, se volete, elementi...., ma quel bel chiaro non saprei in eterno se c' è „.

neque esset vis aliqua seu potentia cognoscitiva, sed unice deceptiva, quo nihil absurdius.

II. Ut vera sit cognitio, iuxta S. Th., requiritur quod facultas cognoscat rem *secundum modum quo res est,* licet similitudo rei accipiatur in potentia cognoscitiva *secundum modum ipsius potentiae,* et non *secundum modum rei.* Ergo ex una parte, ut sensus sit verus, res sensibilis debet esse in se *eo modo,* quo sensus iudicat ; ex alia vero parte, impossibile est, quod per analysim vel studium ipsius sensus et *modi, secundum quem* afficitur a rebus, vel secundum quem res in ipso sunt, in cognitionem deveniamus modi, quo res sunt in seipsis. Ergo sonus, lux, calor, etc. debent esse in se sicut sensus iudicant, et nulla alia via poterimus cognoscere *modum rei,* nisi fidendo attestationi sensuum ipsorum : praetendere autem hoc cognoscere posse per studium affectionum et alterationum sensuum, est omnino absurdum, quia haec omnia non referunt *modum rei obiectivum,* sed *modum sensus,* seu *modum rei in sensu :* qui duo modi omnino sunt diversi.

III. Aut obiectum proprium sensus, nempe sensibile proprium, est id, quod sensus testificantur, aut non. Si est id, quod testificantur, datur sonus, lux, calor etc., quae revera sint talia : si non est, tunc obiectum proprium sensus, nempe sensibile proprium, erit illud, quod nullo modo percipitur a sensu ; quo nihil absurdius. Nec valet dicere, quod constitutiva sensibilis proprii repugnat quod percipiantur : nam iterum, aut sensibile proprium est alterius rationis a constitutivis, aut non : si non, non potest percipi, eo modo quo non possunt percipi constitutiva ipsa : si est alterius rationis, praecise quaerimus quid ergo sit tale sensibile proprium. Nonne hoc est sonus, lux, etc. ? Ergo sonus, lux etc., formaliter existunt.

IV. Absurdum est ponere quod sensibile proprium alicuis sensus, sit quidquid aliud praeter id, quod a tali sensu percipitur. Atqui opinio, de qua agimus, statuit sensibile proprium uniuscuiusque sensus esse vibrationes, motus, tremitus etc., quidquid aliud in summa praeter id, quod a sensu percipitur, quod est lux, sonus etc. Ergo opinio ista est intrinsece absurda.

Omnes autem cavillationes ad effugiendam vim huius argu-

menti, nihil omnino valent (ut patebit ex solutione difficultatum). Nisi enim statuatur quod sensibile proprium sit aliquid mere subiectivum, et quod igitur obiectum proprium perceptionis sensilis, sit modificatio quaedam ipsius subiecti (quod tamen a dicta opinione videtur alienum), nulla rationabilis via evadendi apparet [1]).

---

[1]) Dicimus — a dicta opinione alienum videtur —: nam cohaerentia doctrinae revera exigeret ut simpliciter statuatur sensus nostros non percipere nisi proprias modificationes subiectivas. Contra quam positionem, haec quoque argumenta subiicimus:

1° Si sensibile proprium non esset formaliter obiectivum, sequeretur sensus non habere obiectum formale verum, i. e. conforme obiecto materiali (Cfr. Willmann, *Phil. Propäd.* 1905 II. 57. sq.). Nam ex sententia adversariorum, obiectum immediatum perceptionis sensitivae essent affectiones subiectivae seu impressio materialis facta in organis: id vero quod, teste experientia, revera percipimus, colores, soni, durities etc., non esset in rebus, sed productum a principio percipiente. Atqui testimonio conscientiae constat nos non percipere illam impressionem, sed motus nervorum etc., deinde ex sententia adversariorum, id quod revera percipimus non existit obiective. Ergo sensatio non haberet obiectum formale verum, i. e. conforme obiecto materiali, et ideo semper falleret.

2° *Idealismus* et *Scepticismus* induceretur: nam "Idealismus in eo est, ut dicat sensationes esse modificationes mere subiectivas, quibus nullum obiectum correspondeat„ (Haan, *Phil. nat.* p. 50; Willmann, l. c. Kant, *Prolegomena* 1794 p. 63: Wundt, *Logik.* I. 403; etc.). Atqui si sensibile proprium non existeret a parte rei, sensus non apprehenderent immediate nisi affectiones mere subiectivas: deinde eis nullum obiectum corresponderet cui conformes essent: nam quod percipimus e. g. color, sonus, teste conscientia, non est conforme motibus organicis, neque esset, in sententia adversariorum, conforme ulli qualitati a parte rei. — *Scepticismus,* nam si sensus, aliud referentes quam quod revera percipiunt, nos decipiunt circa sensibile proprium, nulla erit certitudo circa sensibile commune et circa ipsam corporum existentiam (ut fatentur aliqui ex ipsis adversariis e. g. Helmholtz — *Die Tatsachen* etc. p. 35). Cf. Pesch. *Inst. Log.* II. 1. 139...

3° Tunc eodem iure etiam sensibile commune a parte rei negandum, et subiecto percipienti soli tribuendum esset: nam conscientia aequo modo testatur utrumque sensibile esse obiectivum: deinde nulla perceptio sensibilis proprii sine quantitate fieri potest, *et eadem* facilitate extensionem et colorem mere subiective mihi repraesentare possum, neutram tamen qualitatem sine altera. Denique errores circa sensibile commune non pauciores, imo multo frequentiores sunt, quam circa sensibile proprium, (e. g. ba-

628. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Immutativum sensus potest esse compositum. Atqui immutativum compositum non potest percipi a sensu ut compositum, sed tantum ut simplex (quia componentia non sunt sensibilia, hoc ipso quod constituunt id, quod unice est sensibile). Ergo immutativum sensus, quamvis sit compositum, semper percipitur a sensu ut simplex; et iudicium sensus circa simplicitatem proprii obiecti, est prorsus nullum.

Resp. 1º. *D.M.* Immutativum potest esse compositum ex componentibus, quae non habeant rationem immutativi *C.M.;* ex componentibus, quae habeant rationem immutativi *Sbd.:* et tunc habebuntur *plura* immutativa, redacta tamen ad unitatem quandam secundum quid, nempe ordinis et contemperationis *C.M.;* habebitur unum immutativum simpliciter *N.M.* — *Ctm.* Immutativum compositum ex componentibus, quae habent rationem immutativi, non potest percipi a sensu ut compositum *N.m.;* immutativum compositum ex componentibus, quae non habent rationem immutativi, non potest percipi a sensu ut compositum *Sbd.:* et ideo aliqua ratio seu forma realis debet in ipso inveniri, quae respondeat perceptioni sensus *C.m.;* et hoc non requiritur ad veracitatem sensationis *N.M.* — *D.C.* Immutativum compositum ex componentibus, quae de se sunt immutativa, semper percipitur a sensu ut simplex *N.C.;* compositum ex componentibus, quae de se non sunt immutativa *Sbd :* debet percipi ut simplex, praecise quia forma quaedam in hoc casu respondet

---

culus in aqua fractus apparens, sol terram circumvolans etc.). Unde iure Berkeley et Kant ex eo quod Cartesius, et Lokius sensibile proprium soli subiecto percipienti tribuebant, deducunt neque sensibile commune ideoque nullum corpus existere. (Cf. Fischer, *Grundfragen* etc. p. 68).

4º Si sensibile proprium non esset in rebus, sed solum in nobis, potius dicendum esset perceptionem meam viridem, sonoram, odoriferam etc., esse. Atqui hoc repugnat conscientiae et persuasioni hominum. Omnes enim affirmant arborem esse viridem, rosam odoriferam etc. Neve obiicias esse locutionem metaphoricam (metonymiam), ita ut effectus loco causae ponatur, quemadmodum dicitur " laetus nuntius „ etc.: nam termini metaphorici supponunt proprios: unde si res ipsae non essent affectae qualitatibus illis sensibilibus, revera nostrae sensationes proprie deberent esse virides etc. — Ita fere Willelms *Instit. Phil.* p. 182.

a parte rei, quae est sensibilis et immutativa, ideoque distincta a componentibus, quae non sunt sensibilia *C.C.;* debet percipi ut simplex quin forma respondeat a parte rei, realis in ea ratione, qua percipitur *N.C.*

Dupliciter immutativum potest esse compositum : 1° ex componentibus, quae iam de se possint immutare sensum, sicut datur e. g. sonus compositus ex pluribus sonis ; porro tale immutativum profecto percipitur a sensu ut compositum, quamvis non sub formalitate compositionis aut simplicitatis, ut patet. 2° Ex componentibus, quae non habent rationem immutativi, sed quae constituunt id, quod proprie est immutativum ; ex. gr. vibrationes plures constituunt vel requiruntur ad constitutionem unius soni. Porro arguens, ex hoc quod tale immutativum, licet in se compositum, non potest percipi ut compositum, sed ut simplex, vellet concludere quod iudicium sensus de simplicitate proprii obiecti sit nullum. Sed, e contra, argumentum ipsum potest *ad hominem* inservire ad probandum, quod debeat dari aliqua forma distincta a componentibus, quae respondeat perceptioni sensus. Nam, quod percipitur a sensu debet esse reale in ea ratione obiectiva, qua percipitur. Atqui componentia immutativum non possunt percipi a sensu. Ergo immutativum debet importare aliquam formam alterius rationis a componentibus, quae respondeat perceptioni sensus. — Et sane, si componentia immutativum (ut dicitur) non sunt sensibilia, profecto debet dari aliquid, quod sit sensibile. Hoc autem non potest esse mere aggregatio insensibilium, sed aliquid resultans ex ipsis (quodcumque tandem illud sit; nolumus enim eius naturam investigare), quod praecise respondeat perceptioni talis sensus. Supponitur ergo illud ipsum, quod deberet probari; supponitur nempe, quod non existat in sua ratione obiectiva id, quod sensus percipit, ex. gr. sonus etc. ; quod non habeantur a parte rei, nisi componentia alicuius immutativi, quod possit immutare sensum, quin habeat in se aliquam formam distinctam a componentibus (quae non sunt sensibilia); et ex hoc concluditur, quod sensus semper percipit ad modum simplicis id, quod tale non est. Dum e contra, hoc ipso quod componentia immutativi talis sensus supponuntur insensibilia a tali sensu, deberet concludi

existentia alicuius formae in immutativo, quae resultet a componentibus, et quae sit illud, quod respondet perceptioni sensus [1]).

Ceterum hoc dicimus *ad hominem* contra arguentem. Id tamen, quod nos hic contendimus (ut iam dictum est), non est demonstrare existentiam alicuius formae simplicis aut qualitatis distinctae, quae respondeat perceptioni sensus; sed unice quod existit et datur a parte rei *illa ratio obiectiva*, quae a sensu percipitur, ut lux, sonus etc. Hoc enim est omnino necessarium ad veracitatem sensus statuendam; investigare autem naturam talis rationis obiectivae, inquirere utrum sit aliquid simplex aut compositum, et quomodo se habeat ad componentia, ad nos hic non spectat. Unde ad difficultatem propositam sic quoque responderi potest:

Resp. 2° *Transeat Maior.* — *D.m.* Et tamen quodcumque sit, et quomodocumque percipiatur, debet esse reale in ea ratione obiectiva, qua a sensu percipitur, ut sensus sit verax *C.m.;* et hoc non requiritur ad veracitatem sensus *N.m.* — *D.I^{m}.C.* Immutativum sensus, quamvis sit compositum, debet percipi a sensu ut simplex, et tamen, quomodocumque percipiatur, debet esse reale in ea ratione obiectiva, secundum quam a sensu percipitur, *C.C.;* secus *N.C.* — *D.II^{m}.C.* Iudicium sensuum circa quidditatem (simplicem vel compositam) proprii obiecti est prorsus

---

[1]) Breviter ergo argumentum huc reducitur: — quia componentia immutativum non sunt sensibilia, ideo sensus cognoscit ad modum simplicis id, quod simplex non est —; cui respondetur: — quia componentia immutativum non sunt sensibilia, et ex alia parte obiectum immutativum sensus debet esse reale, debet dari aliqua forma simplex, vel saltem aliquid ad modum simplicis (alterius rationis a componentibus), quod causet sensationem ipsique respondeat. — Simili modo dicenti: — quia componentia proprium obiectum intellectus nostri (quidditatem materialem) non sunt intelligibilia, ideo intellectus cognoscit ad modum unius quidditatis, id quod unum non est —; recte responderes: — quia componentia proprium obiectum intellectus non sunt intelligibilia, et ex alia parte proprium obiectum intellectus debet esse quid reale, ideo debet dari aliqua entitas *una,* vel saltem ad modum unius (alterius rationis a componentibus), quae respondeat intellectioni. Ubi vides quod utrobique solvitur difficultas ostendendo quod supponitur illud ipsum, quod deberet probari, quod nempe obiectum sive sensus sive intellectus non possit esse reale *in ea ipsa ratione, secundum quam percipitur.*

nullum, *C.C.* et *N. supp.;* iudicium circa realitatem eius in ea ipsa ratione, qua percipitur, est nullum *N.C.* [1]).

Ob. 2ª. Obiectum sensus non est necesse quod sit reale in ea ratione, qua percipitur a sensu. Ergo etiam si non respondeat illa entitas seu formalitas, quae percipitur a sensu (v. g. sonus), adhuc tamen respondet aliquid reale, nempe vibrationes etc., quae constituunt immutativum.

Resp. *D.A.* Non est necesse, imo repugnat quod sit reale extra sensum in ea ratione *subiectiva,* secundum quam percipitur a sensu *C.A.;* in ea ratione *obiectiva,* secundum quam a sensu percipitur *N.A.* — *D.C. eodem modo.* — Nam secus actum est de veracitate sensus: sensus enim testatur mihi non esse a parte rei vibrationes aut motus, sed *sonum;* si ergo sonus non detur, quidquid aliud reale sit, sensus fallitur.

---

[1]) Optime, paucis immutatis, adhiberi possunt in refutationem dicti argumenti ea verba, quibus P. Mattiussi (*Veleno Kanziano* pag. 48) acute perstringit Kantium negantem realitatem *spatii* ac *temporis:* " Povero Kant! Come furono difettivi sillogismi quelli, che gli fecero rigettare la realtà dello spazio e del tempo. — (*Applica et dic:*..... della luce, del suono, etc.). — A percepire, disse egli, un oggetto materiale, (*appl.:* il suono) — o un cambiamento, bisogna riferire il primo a una posizione fuori di noi, il secondo ad una successione — (*appl.*: bisogna apprenderlo come semplice formalità) — : dunque lo spazio e il tempo sono presupposti ad ogni esperienza e non ne sono oggetto — (*appl.*: la semplice formalità, se non è un presupposto alla sensazione, è almeno qualche cosa di prodotto per questa, e non ne è l' oggetto reale). — Non si accorse che si riferisce il corpo ad un posto, il moto ad un tempo, — (*appl.*: il suono ad una formalità semplice) — non in quanto sia necessità soggettiva immaginare coteste determinazioni — (*appl.:* formalità), — sibbene perchè esse sono sempre necessarie e vere nell' oggetto, e accompagnano indivisibilmente ogni estensione ed ogni moto. Il Kant argomenta come se dicesse: Non posso apprendere veruna forma di natura, senza attribuirle qualche modo di essere — (*appl.:* Non posso apprendere verun immutativo, senza attribuirgli qualche formalità semplice): — dunque l' apprensione dell' ente precede ogni altra per necessità del mio intelletto e non risponde ad una realtà — (*appl.*: dunque la formalità semplice è una necessità dell' apprensione sensibile, e non risponde ad una realtà). — Pazzia. *La ragione di ente è appresa dappertutto,* **perchè realmente inchiusa in ogni forma** — (*appl.*: la formalità semplice è appresa in ogni sensazione, *perchè realmente inchiusa nell' immutativo*) „.

Ob. 3ª. Eadem fere difficultas posset hoc modo instaurari: Sicut ex hoc, quod aqua recepta in lagena recipit figuram quamdam determinatam, puta cubicam vel sphoericam, et tamen absurdum esset talem formam tribuere aquae ipsi secundum se; ita ex hoc quod sensibilia recepta in sensu induunt formalitatem quandam simplicem, puta lucis vel soni, non debet talis formalitas tribui rebus ipsis sensibilibus ut sunt in re. Ergo ad veracitatem sensuum statuendam non requiritur, imo ridiculum esset requirere, quod detur a parte rei formalitas illa, quae percipitur a sensu.

Resp. *Nego paritatem.* — Nam, ut dictum est, non agitur hic de formalitate subiectiva, sed de formalitate obiectiva: sensus enim sunt essentialiter cognoscitivi; et profecto testantur nobis sensus nostri *esse* a parte rei formalitatem illam, puta sonum aut lucem; ergo si formalitas illa a parte rei non est, et non est ut repraesentatur a sensu, sensus falsus est. — Item non valeret comparatio cum intellectu; quamvis nempe intellectus noster repraesentet nobis res in abstractione a notis individuantibus, et ideo sub quadam unitate seu communitate negativa, quam res non possident extra intellectum, nullo tamen modo percipimus res *esse* extra intellectum sic abstractas, sed imo intelligimus res, quas ut universales accipimus in intellectu, alio modo existere a parte rei: falleret autem intellectus, ut dicit S. Th., si affirmaret res esse *eo modo,* quo sunt in ipso. Contra, sensus testificatur nobis omnino res esse, sicuti ipse afficitur. Unde vel res sunt de facto tales, vel certe sensus fallitur.

Ob. 4ª. *Instabis:* Modus seu conditio seu natura rei sunt omnino extra ambitum cognitionis sensilis. Atqui quod est extra ambitum alicuius facultatis, non potest ab ipsa exhiberi cum veritate. Ergo quidquid nobis referant sensus de modo seu natura seu conditione rerum sensibilium, nulla fides est ipsis adhibenda.

Resp. *D.M.* Cognitio naturae qualitatum sensibilium non pertinet ad sensum *C.M.;* cognitio *ipsarum rerum sensibilium* secundum determinatas qualitates seu rationes respondentes singulis sensibus, non pertinet ad sensum *N.M.* — *C.m.* — *D.C.* Non esset credendum ipsis sensibus, si per absurdum nobis

referrent inesse rebus sensibilibus qualitates, vel relationes, vel alias quascumque rationes, *formaliter* sub istis rationibus *C.C.;* si nobis referunt dari aliquid reale, singulis sensibus respondenter proprium, cuius naturam investigandam relinquunt intellectui *N.C.*

Certe " naturas sensibilium qualitatum cognoscere non est sensus, sed intellectus „ (I^a p. q. 78. a. 3.) ; unde non contendimus, quod sensus nobis testificentur dari qualitates simplices vel non, sed contendimus, quod sensus nobis testificantur dari a parte rei *sonus* etc., qui non sunt meri motus aëris (de his namque, aures nobis nihil dicunt), sed aliud quid, quidquid tandem illud sit. Hoc profecto sensus nobis testificantur ; si hoc ergo non datur, quidquid realiter detur praeter hoc quod ipsi testificantur, falsi sunt, et nullo modo poterimus nos fidere ipsis.

Ob. 5^a. Non est necesse quod eadem ratio formalis verificetur in causa efficiente et in effectu, qui imo potius sequitur modum patientis, in quo recipitur : sic calor ignis, agendo in glaciem, non producit augmentum temperaturae, sed solutionem. Atqui excitatio seu alteratio nervi, est omnino alterius rationis a complexu virium externarum, e quibus procedit. Ergo ipsa sensatio, quae producitur, magis sequetur modum passionis, quae est in organo, quam causae externae ; ideoque non est necesse quod eadem ratio formalis, quae est in sensatione, sit quoque in re ipsa externa sensibili.

Resp. *D.M.* Si agitur de ratione formali in esse physico *C.* vel *Tr.M.;* si de ratione formali in esse intentionali *N.M.* — *Ctm.* Et quamvis sit alterius rationis, est omnino essentialiter ordinata ad eandem prorsus formam cognoscendam, quae est in re *C.m.;* non est ad hoc essentialiter et unice ordinata *N.m.* — *D.C.* Sensatio, quae producitur, physice inspecta magis sequetur modum passionis organi *C.C.;* formaliter inspecta, ut sensatio, ideoque in esse intentionali seu repraesentativo *N.C.*

Etiam hic, ut patet, male confunditur ordo physicus et ordo cognoscitivus seu repraesentativus. Ut inanitas huius argumenti appareat, argumentum instauretur hoc modo : — Non est necesse quod eadem ratio formalis verificetur in causa efficiente et in effectu, qui imo potius sequitur modum patientis,

in quo recipitur. Atqui natura speculi est omnino alterius rationis a natura candelae accensae ante ipsum. Ergo reflexio, quae resultat, magis sequetur naturam speculi, quam naturam candelae accensae, ideoque non est necesse quod eadem ratio formalis, nempe eadem configuratio, splendor etc., sit in speculo et in flamma candelae.

Ob. 6ª. *Instabis:* Ipse modus se referendi ad obiectum, seu proportio cum re sensibili, non potest cognosci nisi per id, per quod sensus attingit obiectum. Atqui per alterationem organi, sensus attingit obiectum. Ergo ab alteratione organi, mensuranda est et dignoscenda ipsa proportio cum realitate obiecti, et consequenter ratio ipsa obiectiva.

Resp. *D.M.* Ipse modus se referendi ad obiectum, seu proportio ad obiectum, *physice inspecta,* dignoscenda est ex causa perceptionis obiecti *C.M.; intentionaliter inspecta,* nempe secundum quod importat rationem ipsam obiectivam propriam huius vel illius facultatis *N.M.* — *C.m.* — *D.C.* Ex alteratione organi mensurandum est quidquid requiritur ad constituendum sensum in actu relate ad tale obiectum *C.C.;* quidquid pertinet ad rationem ipsam obiectivam, quae a sensu percipitur *N.C.* — Ex analysi et studio sensus et alterationis organicae, quae in ipso est, optime possumus cognoscere ea omnia, quae requiruntur ad constituendum sensum ipsum in actu percipientem et repraesentantem rem; sed id, quod pertinet ad repraesentationem *formaliter ut talem,* non potest nec debet haberi nisi a testificatione ipsius sensus. Sonus enim est tale ens, quod *ut sonus* non potest percipi nisi ab aure. Optime ergo ex analysi ipsius auris et alterationum, quae in ipsa determinantur a vibrationibus sonoris, possumus cognoscere quidquid pertinet ad modum, quo sensus se referat ad proprium obiectum; sed proprium obiectum, nempe ens sonorum, *formaliter ut sonorum,* non potest cognosci nisi ab aure. Vel ergo credimus attestationi auris, et tunc *ens sonorum,* formaliter ut sonorum, existit a parte rei (quamvis utique non constituatur auditum nisi per aurem); vel si non credimus auri, inutile prorsus est et ridiculum ex analysi vel perfectissima ipsius auris eorumque omnium, quibus auris constituitur audiens actu, aliquid quaerere non dico de ratione vel quidditate,

sed ne de reali quidem existentia entis sonori, formaliter ut talis.

Ob. 7ª. Constat certis motibus respondere certam perceptionem, et mutatis motibus, perceptionem quoque mutari. Atqui hoc non posset esse si sensibilia propria formaliter existerent in rebus. Ergo.

Resp. *D.M.* Et hoc probat motus esse conditionem necessariam et causam instrumentalem sensationis *C.M.;* motus ipsos esse obiectum immediatum sensationis *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.*

Ob. 8ª. In eodem medio, quod defert sonum, et in eodem aëre, qui immediate excitat nervum acusticum, sunt simul in actu et simul percipiuntur multi soni diversi. Atqui ista multiplicitas est possibilis, imo necessaria in vibrationibus corporis elastici, est impossibilis in qualitatibus formalibus, quae communicentur medio. Ergo necesse est quod sonus consistat in solis vibrationibus elasticis, et impossibile est quod importet formaliter simplicem aliquam qualitatem.

Resp. *C.M.* — *D.M.* Dicta multiplicitas est impossibilis in qualitatibus formalibus existentibus ad modum *entis completi* atque *ultimo determinati, Transeat m.;* est impossibilis in qualitatibus existentibus ad modum *entis incompleti atque fluentis* et *ad modum motus N.M.* — *D.C. eodem modo.* — Determinare propriam rationem sonus etc., non pertinet ad Logicum, ut dictum est. Placet tamen hic referre haec verba S. Thomae: „ Sonus *causatur ex motu* (est ergo *motus* secundum S. Th. ?) et non habet esse *fixum* et *quiescens in subiecto,* sed in quadam *immutatione* consistit „ : quae quidem verba, si bene, ut par est, ponderantur, magnam lucem forsitan dare possunt ad solvendam ipsam physicam quaestionem : aperiunt enim nobis intelligentiam talis entis *sui generis,* quod utique reduci debet ad qualitatem, sed non est simpliciter qualitas fixa sed fluens et essentialiter respondet motui ipsi, a quo causatur, et a quo, per consequens, evidenter distinguitur [1]).

---

[1]) Ceterum revera non apparet quomodo possit dici quod in doctrina S. Th. non sit satis manifestum utrum sonus consistat in motu an non; dum ubique S. Th. opponat et distinguat motum a sonu. Explicite autem

Ob. 9ª. Quaelibet facultas sensitiva habet intimum modum percipiendi, qui remanet idem, quaecumque sit natura illius agentis, quod ipsum excitat per irritationem nervi. Ergo ad veracitatem sensus non requiritur proportio inter intimum modum sentiendi et realem constitutionem sensibilis.

Resp. *D.A.* Et tamen agens connaturale excitans talem sensum (in conditionibus normalibus) non est nisi unius rationis, et ita quidam ut eidem atque constanti modo percipiendi, qui proprius est talis sensus, respondeat eadem atque constans perceptibilitas in sensibili *C.A.* secus *N.A.* — *N.C.*

Ob. 10ª. Qualitas, quae fingitur supervenire, utpote superveniens energiae iam exhaustae, non potest esse activa aut causa mutationis. Atqui exterius immutativum est id, quod per se a sensu percipitur. Ergo non potest importare praedictam qualitatem.

Resp. *D.M.* Si praedicta qualitas concipiatur ad modum entis fixi aut quiescentis in subiecto, *Transeat M.;* si concipiatur ad modum motus (quamvis non sit merus motus, sed imo causetur ab ipso) *N.M.* — *C.m.* — *D.C. ut in Maiori.* (Cf. ob. 8ª).

Ob. 11ª. Quod natum non est ad percipiendam realem constitutionem alicuius, percipere eam potest ad modum realitatis unius, quin per hoc ullo modo decipiatur. Atqui talis est sensus. Ergo.

Resp. *D.M.* Si realitas ipsa respondeat a parte rei *C.M.;* si non respondeat *Sbd.:* si id, quod sic attingitur a sensu, non pertineat ad eius obiectum proprium *Tr. M.;* si pertinet ad ipsum obiectum proprium talis sensus *N.M.,* vel iterum *Sbd.:* si pertinet ad obiectum proprium ut constituens vel causans quocumque modo ipsum *Tr. M.;* si ita pertinet ad obiectum proprium, ut nihil aliud assignetur ut obiectum proprium talis sensus, nisi illud ipsum constitutivum seu causativum obiecti

---

(*De Anima.* l. II. l. 17) sic ait: " Ostendit (Phil.) quod *velox* non est idem quod *acutum,* nec *grave* in sonis est idem quod *tardum,* sicut **nec sonus** (cuius differentiae sunt grave et acutum) **est idem quod motus** (cuius differentiae sunt velox et tardum). Sed sicut *motus est causa soni,* ita velocitas motus est causa sonus acuti, et tarditas motus est causa sonus gravis „.

proprii *N.M.* — *Cdm.* Sensus non est ad hoc ordinatus ut percipiat constitutiva seu causativa obiecti proprii et ideo haec potest attingere ad modum unius quamvis sint plura *C.m.:* non est ordinatus ad percipiendum ipsum obiectum proprium ipsius, et ita quidem ut obiectum proprium non existat secundum realitatem respondentem perceptioni talis sensus *N.m.* — *N.C.* — Non negamus quod sensus possit percipere ad modum unius id quod a parte rei habet pluralitatem quandam; et profecto ea quae constituunt ipsum obiectum proprium talis sensus, non debent esse sensibilia a tali sensu et percipiuntur utique ad modum unius, dummodo ipsum obiectum proprium quod quomodocumque resultat ex talibus constitutivis, habeat quandam realitatem obiectivam respondentem tali perceptioni. Sed ponere quod sensus percipiat ad modum realitatis unius ipsum sensibile proprium, quod tamen extra sensus non existat nisi realitate componentium, quae non sunt sensibilia, est contradictoria simul iungere.

Ob. 12[a]. Cum obiectum auditus constituatur a motu, repugnat metaphysice quod auris percipiat motum: repugnat enim quod id quod constituit aliquid, iam habeat rationem ipsius. Ergo quamvis auris non percipiat motum, tamen constitutivum sensibilis proprii ipsius est motus.

Resp. *D.A.* Repugnat quod auris percipiat motum, qui hoc ipso quod constituit vel quomodocumque requiritur ad constitutionem sensibilis proprii, nempe *soni,* non est sensibile proprium *C.A.;* quod auris percipiat motum, qui dicatur esse unice sensibile proprium ipsius auris *N.A.* — *N.C.* — Unde aut sensibile proprium auris est motus, aut non est motus; si est motus, profecto metaphysice repugnat quod non percipiatur ab aliquo sensu id quod est sensibile proprium ipsius, nempe id, quod unice est perceptibile a tali sensu: si non est motus, et tunc iure inquirimus quid tandem sit sensibile proprium auris. Optime quidem cum S. Th. intelligimus, quod motus, utpote constitutivum, nempe causa sensibilis proprii, idest soni, non percipiatur ab aure, quae unice percipit ipsum sonum. Sed dicere quod motus non debeat percipi ab aure, quia constituit sensibile proprium, et simul dicere quod sensibile proprium,

nempe sonus, nihil aliud sit quam motus, est contradictorium in terminis et metaphysice repugnans. — Dicatur ergo simpliciter quod sensibile proprium non est nisi impressio quaedam mere subiectiva; quod ideo auris nihil percipit nisi proprias modificationes: hoc modo vitatur unum absurdum, sed certissime incurritur in aliud, in merum nempe putumque subiectivismum.

Ob. 13ª. Cum facultates sint essentialiter passivae, effectus pendent a receptibili non minus quam ab agente. Ergo falsum est quod obiectum formale sensus, nempe sensibile proprium, accipi possit absolute et in sola realitate obiectiva.

Resp. *D.A.* Effectus, nempe sensatio pendet a receptibili non minus quam ab agente *C.A.;* ipsa ratio obiecti formalis *Sbd.:* debet accipi per proportionem ad sensum *C.A.;* non debet inveniri obiective in ipso sensibili *Sbd.* si facultates ita essent essentialiter passivae ut non essent *essentialiter cognoscitivae* ipsorum sensibilium secundum diversas rationes formales, nempe secundum diversas perceptibilitates, quae in ipsis sunt *Transeat A.;* si ita est *N.A.* — *D.C. eodem modo.*

Ob. 14ª. In quacumque sententia, sicuti *verum* non esset, nisi intellectus esset, ita nec sonus nec lux essent, nisi sensus essent. Unde nullum inconveniens in hoc, quod dicatur extra sensum non esse formaliter neque sonum neque lucem, sed tantum diversa immutativa diversorum sensuum.

Resp. *D.A.* In quacumque sententia, sonus et lux non haberent denominationem extrinsecam *auditi* et *visi* si nullus sensus esset *C.A.;* non haberetur *sonus* et *lux* formaliter secundum totam rationem obiectivam, absque tamen illa denominatione extrinseca, quae totaliter pendet a perceptione *Sbd.:* in sententia *falsa,* qua statuitur extra sensus nihil esse nisi immutativa quaedam, quae ab ipsis sensibus constituuntur in propriis rationibus lucis, soni etc. *C.A.* in sententia *vera,* qua statuitur sensus percipere res *ut sunt revera,* et errónee dici " *non esse album nisi dum videtur* „ *N.A.* — *N.C.*

Ob. 15ª. Dicit S. Thomas quod apparitio Pueri in Sacramento " quandoque contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac si expresse viderent exterius

carnem vel sanguinem vel Puerum, nulla tamen immutatione facta ex parte Sacramenti „ (p. III. q. 76. a. 8. c.). Ergo patet quod secundum S. Th., idem potest esse modus operandi ex parte sentientis propter solam alterationem subiectivam, sicuti si obiectum esset.

Resp. Hic S. Thomas manifeste asserit quod immutatio, quae ordinarie *fieri debet a sensibili,* fieri quoque potest extraordinarie alio modo ; quod concedimus, imo contendimus. — Notandum autem est, quod S. Th. *(ibid.)* non dicit quod oculus *tunc videat, ac si obiectum* esset, sed dicit quod apparitio habetur, *ac si expresse videret,* quia visio proprie non habetur, nisi obiectum adsit, *et quidem sub ea ratione,* secundum quam a sensu percipitur.

Ob. 16ª. Si v. g. analysi et experientiis subiicio obiectum proprium visus et auditus non invenio colores ut nuntiat visus ; sonos, rumores ut nuntiat auditus, sed motum, vibrationes et nihil aliud. — Ergo sensus non apprehendit res ut sunt. — Ergo vel est falsus vel aliunde dicendus est verus.

Resp. *C. Ant.* — et *N. C.* — Nam color ut res quaedam est, hoc partiale signatum, percipi non potest nisi ab oculis ; et sonus, rumor, ut res quaedam est, attingi non potest nisi ab auditu. — Porro sicut stultissimum esset velle videre, olfacere gustare et tangere sonos, vel audire, olfacere, gustare et tangere colores ; ita insipientis est velle invenire in analysi obiecti proprii visus — sine usu oculorum, aut certe non eis fidendo — colorem, lucem ; et in analysi obiecti proprii auditus — sine usu aurium — sonum. Nam si in experientiis quibus supponitur v. g. color, utitur quis gustu, olfactu, tactu, auditu, sed non visu, *necesse est* ut non inveniat nisi obiecta propria aliarum facultatum et obiectum commune earum, sed numquam obiectum proprium visus scilicet colorem ; secus non esset obiectum proprium visus : proinde si v. gr. relate ad sonos — idem dic de propriis obiectis aliorum sensuum — non praestatur fides ad id quod nobis nuntiant aures, nihil scire possumus de sonis, de rumoribus, imo nec suspicari possumus de eorum existentia. Et re quidem vera, quid evenit iis qui volunt v. g. determinare de quidditate soni, non fidendo auribus ? negant eius existentiam,

et dicunt quod non datur a parte rei, extra animam illa res quam nobis nuntiant aures, sed tantum motus, vibrationes ; et cur hoc dicunt ? quia in inquisitione de quidditate soni, credunt visui, tactui etc. sed non auribus : auribus tamen fidem praestabunt in inquisitione de quidditate lucis. Quod est omnino irrationale.

Ob. 17ª. Si alicui nervus opticus inciditur, sentit lucem, si nervus acusticus sentit sonum dum lux et sonus non sunt. Ergo sensus non est verus ex hoc quod apprehendit res ut sunt.

Resp. *C.A.* et *N.C.* — Nam si scire volumus modum operandi sensuum non debemus veluti carnifices eos ad tormentum tradere. Praeterea hoc confirmat contrarium, nempe quod visus non est perceptivus nisi lucis, auditus soni. Equidem constat experientia quod quocumque modo excitetur nervus opticus vel acusticus, semper nervus opticus sentit lucem, acusticus rumorem, quamvis omnino modo abnormi, quia abnormis est immutatio. Scio Naturales non paucos ex hoc phaenomeno concludere generatim quod ergo soni et colores sunt merae sensationes subiectivae quibus a parte rei non respondent nisi vibrationes quae excitant tales sensationes ; sed in hoc valde decipiuntur : quia ex his quae eveniunt abnormi modo, deducunt normalem regulam. Insuper sciendum est quod in cognitione sensitiva immutatio physica occupat eumdem locum quem tenet species impressa in intellectu. Porro sicut si intellectus apprehenderet ut obiectivum quod obiectivum non est, quia informatus naturaliter vel supranaturaliter, casu vel arte, specie cui nihil respondet a parte rei, non esset concludendum quod sic semper eveniat ; ita ex hoc quod visus in aliquo casu particulari et abnormi, nobis nuntiat lucem, quae non est, scilicet apprehendit rem quae non est, quia eius immutatio physica intentionalis, non fuit causata a luce, sed a virtute divina vel arte humana, non sequitur quod ita semper sit ; imo contrarium sequitur : quia abnorme normale supponit ; et cum abnorme et normale contradictorie opponatur, sequitur, quod cum in casu abnormi apprehendat rem aliter ac sit, in casu normali debet apprehendere rem ut est.

Ob. 18ª. Si inspicitur pulvisculus cuius granula sint diversi

coloris, sine microscopio, oculus nobis nuntiat album, si cum microscopio, refert granula diversi coloris. Hoc autem non est phaenomenon abnorme. Ergo sensus non est verus ex eo quod apprehendit res ut sunt.

Resp. *D.M.* et hoc ideo accidit quia microscopium et prisma se habent ad colorem et lucem sicut v. g. favilla electrica relate ad guttam aquae; h. e. decomponunt lucem in sua elementa *C.M.* secus *N.M.* — *C.m.* — *N.C.* — Ex hoc enim quod favilla electrica solvit in elementa guttam aquae, non sequitur quod aquae gutta, quamvis quid compositum, non sit aliquid reale a parte rei et distinctum a componentibus; ita a pari quamvis prisma solvat in elementa etc. — Insuper nota quod oculus armatus, ut ita dicam, microscopio aut prismate, induit nova formalitate pulvisculum ipsum; proinde aliter de necessitate operari debet, ut de facto facit: quia unaquaeque forma est principium operationis; unde S. Thomas (1. p. q. 76. a. 1 et q. 79. a. 4) ait " *Nulla autem ratio convenit alicui rei, nisi per aliquod principium formaliter ei inhaerens* ... Pulvisculus ille aliter operat cum microscopio, aliter sine microscopio, ergo est indutus nova formalitate [1]).

THESIS III[a]. — De sensibilibus vero communibus et per accidens, potest esse falsum iudicium etiam in sensu recte disposito. (S. Th. 1[a] p. q. 17. a. 2. — et q. 85. a. 6).

629. Praenotanda. — 1° Sensibilia communia sunt illa quorum similitudines diximus in thesi praecedenti esse in sensu per *se quidem,* sed non *primo,* sicut in visu est similitudo magnitudinis, figurae, motus localis, quietis et huiusmodi. Dicuntur sensibilia *communia* quia communiter ab omnibus, vel saltem a pluribus sensibus percipiuntur; v. g. oculo video facem se moventem, sicut se movent stellae, quas vocant cadentes: nempe oculus percipiens lucidum percipit etiam, secundario, eius motum. Sed motum percipit etiam auditus, ut dum audio sonum

---

[1]) Willmann, *Phil. Propädeutik* 1904 II. 57; Pesch., *Inst. Log.* 1. 122 II. 146; Hagemann, *Noetik* p. 138; Pfeifer, *Phil. Iahr.* 1898 1. 41. — Vide denique confirmationem huius doctrinae in appendice quae est in fine huius quaestionis.

prope editum et dein procul recedentem, sicut v. g. evenit relate ad cantum alaudae quae elevetur in aëre. Et tactus etiam sentit motum rei moventis, ut experientia patet. Idem dic de aliis ; neque tamen necesse est ad hoc, quod sensibile aliquod dicatur *commune* in oppositione ad *proprium,* non est necesse, inquam, quod percipi illud possit ab omnibus sensibus ; satis est quod a *pluribus* percipi possit; hoc ipso enim non est proprium, et hic proprium et commune opponuntur ut *proprium* et non *proprium.* — Haec autem sensibilia communia percipiuntur a quolibet sensu *secundario* h. e. quatenus *proprio* obiecto singularium connectuntur, seu potius eidem insunt ipsumque afficiunt, et sic quodammodo indirecte attinguntur, et ut ait S. Thomas (1ª p. q. 17 a. 2.), " sensus non directe refertur ad illa, sed ex consequenti, inquantum refertur ad alia „ cum quibus connectuntur.

2º Sensibile *per accidens* est illud cuius similitudo in sensu non est " nec primo nec per se, sed solum per accidens ; sicut in visu est similitudo hominis, non inquantum est homo, sed inquantum huic colorato accidit esse hominem „ (1ª p. q. 17. a. 2). Quia rationem hominis, sensus visus non percipit, sed intellectus cuius obiectum est quidditas ipsa rei materialis per sensus exhibitae : nam sensus visus *primo* et *per se* percipit *coloratum hoc* ut *coloratum,* et indirecte, ex *consequenti ut sic figuratum.*

3º Nota quod in thesi dicitur *posse* esse falsum iudicium sensus relate ad sensibilia communia, non *semper* esse.

630. Probatur 1ª pars. — Ad probandam solam possibilitatem sufficit instantiam dare in uno casu ; sic *visus* iudicat solem bipedalem, non quilibet *homo* quantumvis rudis ; si quis enim vel rudissimus homo velit exactam alicuius rei, puta etiam alterius hominis habere mensuram, accedit ad ipsum, non iudicat a longe, et si quando non potest accedere ut ad solem, aut suspendit iudicium, aut tale profert, quale proferre solemus in rebus dubiis et cum probabilitate maiori vel minori, qualem ferunt rationes quas habemus asserendi, certi quod exactam mensuram habere non possumus. Rudis tenet quod sit magnus, sed magnus valde ; et in hoc forte minus decipitur quam peritissimus astronomus, qui tamen laudabiliter numeros scribit, quorum phan-

tasma non clarius habebit quam rusticus habeat. Sic in via ferrea putas saepe te moveri dum stas, et transit alius currus: etc.

Probatur 2ª pars. — De sensibili vero per accidens patet: nam e. g. figmentum hominis, praesertim si se moveat ut homo, decipit passeres, qui oculos habent, et quandoque etiam homines decipere potest; certe visum ipsum fallit quadantenus: dico — quadantenus — quia de quidditate, iudicium ad ipsum non spectat, unde falsus non est nisi ut inducens ad iudicium falsum: sensibile enim per accidens non sentitur, sed illud cui accidit.

APPENDIX

631. Cum doctrina de veracitate sensuum, maximi sit momenti hisce praesertim temporibus, dum pseudophilosophia moderna tota ad **Agnosticismum** tendere videtur, non inutile reputamus, hic ad modum appendicis referre novam praedictorum confirmationem, quam doctus quidam vir sub forma familiari atque epistolari, hoc modo confecit:

. . . . . .

. . . . . L'altr' ieri, verso le dieci, mentre proprio volevo dormire, per disgrazia si mise un temporale del diavolo. Lampi, fulmini, tuoni e una gragnuola che tempestava le invetriate. Se avessi tempo, vorrei proprio contarle un dialogo che si misero a fare, qui addosso a me, povero paziente, che avevo piena la testa dei suoi scritti, l'occhio, l'orecchio e l'intelletto, congiurati a non volermi lasciar dormire. — S'immagini; quella bestia dell'orecchio, che tien tanto dell'asinino, s'era incornato a voler dire che i suoni facevano un rumore e un fracasso del diavolo. E l'occhio diceva che quei lampi di luce l'accecavano, e che anche chiudendo le palpebre non poteva schermirsene, tanto eran vivi. L'intelletto invece più posato e giudizioso si sforzava a dar loro da intendere (sono tanto duri di testa!) che non c'era suono nè luce, ma un certo — *immutativo* — che proprio non è rumore nè splendore: — È moto: semplice moto: credete a me che lo so: moto semplicissimo dell'etere, che è una cosa così impercettibile e fina, che voi non potete immaginare; o dell'aria che anch'essa è una cosa la più innocente del mondo, e non può far rumore di sorta, dunque dormite alla buon'ora e lasciatemi riposare. Che ragazzate! spaventarsi perchè trema un po' l'etere, o perchè l'aria si diverte cullandosi in qua e in là con le sue solite ondulazioni!

Orecchio — Io non so niente di ondulazioni; ma se queste sono ondulazioni dell'aria, vi so dir io che le ondulazioni dell'aria producono un fracasso del diavolo: questo è quello che io sento; io che sono messo qui per sentire quello che c'è di nuovo, e ti so dir io, compare intelletto, che se tu

fossi orecchio, sentiresti che diavolerio! E quando parli d'aria e di vibrazioni io non capisco neanche i termini, tanto non ne so nulla.

Occhio — Uff che spavento! Ma non avete visto? che lampo! che lampo! con che celerità ha illuminata la stanza! in un attimo ho visto le pareti; ho visto le sedie, ho visto il tavolino con tutto l'ordine delle cartaccie che suol tenere il mio padrone! come se fosse giorno: a un tratto: all'improvviso! Uff che spavento!

Orecchio — Io non ho visto niente di niente!

Ma non aveva finito di dir questo, che diede un grido sentendo rimbombare fortissimo il tuono che teneva dietro a quel lampo. Allora io: — Ma lasciatemi dormire per carità, che verrà la mattina e sentirò tutte le ossa peste, e domani voglio finire di rivedere certi scritti!... Lasciatemi dormire.

Intelletto — È una presunzione che io non posso tollerare. Quell'imbecille dell'occhio vuole arrogarsi egli il diritto di conoscere la natura del suo oggetto, e quell'asinaccio dell'orecchio di conoscere quella del suo.

Occhio — Chi l'ha detto? io non so di nature e non nature; e non ho detto mai verbo di questo: oh che! sono stato alla Sorbona io? ma vedo una luce che mi abbarbaglia, vedo di qua, di là colori che mi appaiono sulle cose appena quel lampo fa luce: io non istò a discorrer d'altro; non mi arrogo nulla, ma vedo, vedo e poi vedo. E per vedere, io ci sono e non altri. E quello che vedo è luce e sono colori. E se venissero qua tutti gli intelletti del mondo a dirmi che non c'è quello che vedo, e che ci son cose che io non vedo, moti, ondulazioni o che so io: direi che son asini e asini matricolati. Specolino a piacere: io lascierò loro la lor parte; ma lascino essi la mia a me.

Orecchio — Che voi non capiate niente di quei fracassi non mi fa meraviglia. Che nessun altro senso e nemmeno un intelletto, che non voglia dar fede a me, non abbiano nè barlume, nè sentore del suono, non è meraviglia: per sentire che c'è il suono, ci sono io solo al mondo, e non c'è alcuna altra facoltà ordinata a sentirlo. O credete a me, o sarete peggio che sordi.

Intelletto — Io, se avete pazienza, vi spiegherò la cosa chiaramente e nettamente. La questione è questa: Non si nega a te, Occhio, nè a te, Orecchio, che sentiate pur qualche cosa. Ci son cose fuori di voi, che han forze e agiscono sopra di voi; sopra il timpano, sopra il nervo acustico, sopra la retina, sopra il nervo ottico; questo sta bene, e nessun ve lo nega. Volete sapere quello in che sbagliate? (Scusatemi la libertà, e lasciate ch'io dica la verità, perchè tocca a me di conoscerlâ, e a me solo tocca specular la natura delle cose).

Occhio e **Orecchio** — Senti bene; noi non siamo messi qui per sbagliare: potrà essere che qualche volta in circostanze anormali, e circa cose, che non ci appartengono direttamente (e in queste anche spesso), prendiamo abbaglio; ma se abitualmente, costantemente, circa il nostro oggetto

prendessimo errore, l'errore sarebbe di chi ci ha piantati qui sulla testa dell'uomo e degli altri animali. O quanto a questo intendiamoci bene!

Intelletto — Abbiate pazienza, e lasciate che mi spieghi. Non lo chiameremo errore, sarà condizion di natura; lasciatemi dire. Ecco: tu, Occhio, vedi splendore, vedi colore. Tu, Orecchio, senti quei *trum-trum* e quei *trak* che ti fanno spavento, e altre cose simili, che si son chiamate suoni. Ma la cosa non va così: fuori di te c'è realmente *un immutativo*, che agisce sopra di te, ci son forze, ci son vibrazioni, che arrivano fino al tuo timpano e al nervo acustico. Ma quel *trum-trum* e quel *trak* c'è solamente dentro di te come un intronamento delle tue caverne, ma tu naturalmente (è così naturale!) riferisci quel *trum* e quel *trak* al tuo immutativo; ma *trum* e *trak*, e fracassi, e suoni non ce ne sono formalmente, se non in te.

Orecchio — Mani, mani, turatemi, che non senta questi spropositi! Dunque io sono al mondo solo per intronar la testa delle persone, affinchè credano di sentire quel che non c'è! E tu, povero imbecille d'un intelletto, credi di aver così colto nel segno? Chi ti ha detto questi spropositi?

Intelletto — Una serie di lunghe esperienze accuratissime.

Orecchio — Belle esperienze! e bel frutto, che ne hai cavato! Sei diventato in questo un soggettivista come *Kant*. Sì, come *Kant;* lo dico e lo sostengo. Le esperienze! Ecco che cosa avete fatto: mettendo in disparte me, con la scusa, che in causa propria non sarei buon giudice, con applicare gli altri sensi, e l'intelletto dietro ad essi, avete moltiplicate esperienze contro di me, che stavo ostinato a dirvi per parte mia sempre lo stesso. Ma questi sono segreti personali, segreti di coscienza, e in questa parte, chi non crede a me, non saprà mai nulla dei fatti miei nè di quell'oggetto che non sento che io. Bella forza che non han saputo con altri mezzi scoprire altro che vibrazioni! per sentire quel *uuu* quel *fifi*, che fa l'aria vibrante non ci sono altro che io al mondo.... e vibrazioni non ne sento e non ne posso sentire, non sento altro che *uuu;* e nessuno saprà mai che esista o non ne esista in natura quell'*uuu* se non da me. E se voglion dire che cosa sia il suono, debbon dire che cosa sia quell'*uuu* che io sento. E darmi la colpa di farlo io, perchè essi non lo sentono, non essendo orecchi, è cosa da matti.

Intelletto — Ma come fai tu a sapere che il suono è una *semplice qualità?*

Orecchio — Che semplice qualità! La questione non è se sia qualità o non qualità, semplice o non semplice quell'*uuu*, ma se ci sia *fuori di me o in me solo*. Se fuori di me ci sia non una causa qualunque che produca in me quell'*intronamento,* ma se il mio sia un sentire, e se vi sia un *uuu* corrispondente nell'aria e da me percepito. [1])

Questa è la questione. Le altre questioni le lascio tutte a chi le vuole;

---

1) Pulchre *Augustinus* narrat quomodo ipse miserit sensus suos quasi nuncios ad quaerendum Deum: et en responsum quod ab ipsis recepit: " oculi dicunt: si *coloratus* non fuit, per nos non intravit; aures dicunt: si *sonitum* non fecit, per nos non transivit;

e mi saprai poi tu, intelletto, dire con tuo comodo che cosa sia quell'*uuu* che io sento in natura, e quali sieno le sue cause e via via. Ma io torno a protestare che se non sento questo, non sento nient'altro, e non sono neanche senso; perchè moti, vibrazioni ecc. (benchè ci siano certamente e ve lo credo), io non ne sento affatto e non ne posso sentire. E sarei qui a sentire *unicissimamente* quello che *non* c'è, e fatto solo a questo bello scopo dall'Autore della natura. E valeva proprio la pena di farmi con tanto di padiglione per di fuori e con questa bella Tromba di Eustachio che mi vedete e farmi un così bel timpano e tanti bei cunicoli a chiocciola e tanti attrezzi che fanno restare tutti a bocca aperta, perchè non servissi a niente se non ad ingannare!

Intelletto — Si è provato a tagliarti dietro il nervo acustico, e tu dicesti: — che rumore! — e all'occhio abbiam reciso il nervo ottico, e vide uno sprazzo di luce.

Occhio e Orecchio — Ma se volete sapere come operiamo e che cosa sentiamo, lasciateci stare come siamo e non ci torturate da barbari in quella maniera. Che quando siamo torturati ci si possa far vedere lucciole per lanterne, chi lo nega? E tu, sig. Intelletto, non sei mai stato colto in dolo di apprendere come oggettivo ciò che era tuo soltanto? Per questo dovremo dire che tu non intendi niente? o che non sei fatto ad intendere le cose come sono, o che di quanto apprendi tu non c'è niente? — Certo il dire che abitualmente, nello stato normale, sentiamo una cosa per l'altra e che quel chiarore, che vede l'occhio quando lampeggia non esiste in natura come chiarore, che non esiste colore nè *permanenter* nè *transeunter* sui corpi sotto l'azione della luce; che non esistan rumori e suoni in natura, mentre noi non percepiamo altro che questo; è dire proprio che siamo la cosa più inutile se non più nociva del mondo. O volete dunque dedurre da quelle esperienze che tra i nostri naturali immutativi sono i coltelli? oh perchè non ci par lucido il coltello che è qui l'immutativo? — Insomma o non ci torturate o quando vi piaccia farlo tenete conto con più giudizio della tortura che ci fate patire.

Occhio — Ed io voglio aggiungere una cosa; quando io vi dico qualche cosa circa la figura dei corpi, voi mi credete. E perchè mi credete? perchè applicando il tatto, vedete che vi dice lo stesso che io. Ma questo, se non siete gonzi, prova solo che la figura non è oggetto mio proprio, ma comune a me e ad altro senso; chè io infatti non la percepisco se non per la varietà di colore o di ombre e di chiari. Oh vorreste voi che quanto all'oggetto mio proprio, chiamassi in testimonio un altro senso? circa questo oggetto, appunto perchè è proprio ed esclusivo, non c'è chi possa dar giudizio fuori di me. E se non erro di solito circa l'oggetto che non mi è proprio, volete che erri *sempre* circa il proprio mio? — Ma poi c'è

---

nasus dicit: si non *oluit*, per me non venit; gustus dicit: si non *sapit*, per me non introivit; tactus etiam addit: si *corpulentus* non est, *nihil me de hac re interroges*„ *Solil.* c. 31, n. 2.

un'altra ragione per cui in questo caso voi mi credete: perchè si tratta di figura, cosa matematica; e fuori di questa benedetta strega di matematica non si vuol sapere più di nulla; tutto è fantastico ciò che non è quantità o che non si può sottomettere al calcolo. E guardate che se dite che colore non c'è, che non c'è luce, non mi veniate poi a parlar più coi vostri prismi, di aranciato e di violetto, e che non diciate più — ecco il rosso! ecco il giallo! — Trovate altri termini, e stoppatemi colla ceralacca, che non c'è nulla di quanto io vedo; ci sono sol numeri, numeri e numeri che cavalcano sull' etere per venire a ingannare la povera gente a traverso dei prismi e dei " *bernardoni* „. Numeri di ondulazioni, numeri di tremarelle.... pien di numeri il mondo!!! che poesia!!! — Povera luce, creatura così bella, tu non ci sei più, i posteri non ti nomineranno che come un rancidume di opinione inventata dai vecchi. Il Signore disse: *Fiat lux, et facta est lux,* anche prima che ci fosse occhio da percepirla..... ma luce non fu fatta mai, e non c'è.... Oh stoppatemi con la cera lacca!

Orecchio — E stoppate anche me alla buon'ora! moti non ne sento, ondulazioni o vibrazioni, io vi protesto che non so che vi siano. Sento solo *trum-trum* e quei fragorosissimi *Kracc!* che fan le saette; e anche questi voi dite che non ci sono. Se così è, stoppatemi che sarà meglio. Io so bene che cosa è; un *uuu* un *Krac* che io dico che c' è, voi non sapete in che predicamento metterlo, e dite: se fosse, sarebbe qualità, ma una qualità semplice non può essere soggettata.... oh via! voi fate come già Don Ferrante che provava che non c'era la peste; perchè allora avrebbe dovuto essere sostanza o accidente, e non sapeva dove se la mettere nelle categorie degli enti. Ma intanto quell' *uuu* c' è, come c' era la peste, ed io lo sento.... Sì che lo sento.

Intelletto — No che non lo senti.

Occhio — Ed io lo vedo.

Intelletto — No che non lo vedi.

Stanco morto di questa lite, per farli tacere finalmente esclamai: Insomma io scriverò tutto questo al P. N. N. — I due sensi a sentire il suo nome rimasero fulminati come a nominar a poveri condannati il boia stesso in persona. E l'intelletto anch'esso rimase lì con la faccia triste che faceva pietà; e mi accorsi che stava pensando sul serio ai casi suoi. Perchè alla fin fine, poveraccio, fin'ora era stato in buona relazione coi 5 sensi. S'eran trattati sempre da amici, ed ora gli balenò al pensiero che con queste liti verrebbe facilmente a perdere tutto il capitale acquistato finora, anche con tutte le esperienze più fine fatte sempre coi sensi, e che non avrebbe neanche più modo di acquistar nulla da vedere per l'avvenire; e mi accorsi che di tutto questo sapeva pessimo grado a V. R. con tutto che da lei venga adulato. Intanto però che essi tacevano così spaventati, io finalmente mi addormentai; e le ho voluto scrivere tutto questo perchè ne sia informato e ci pensi un poco sul serio.

. . . . . .

QUAESTIO SECUNDA.

De Veracitate Intellectus.

THESIS I[a]. — Circa quodquid est, intellectus non decipitur [1]).

632. Probatur. — I. Huius ratio est in evidenti: quia ad proprium obiectum unaquaeque potentia per se ordinatur, secundum quod ipsa; quae autem sunt huiusmodi, semper eodem modo se habent. Unde, manente potentia, non deficit eius iudicium circa proprium obiectum. Obiectum autem proprium intellectus est quidditas rei; unde circa quidditatem rei, per se loquendo, intellectus non fallitur [2]).

II. Omne agens agit sibi simile; sed res sunt quae agunt in facultates nostras cognoscitivas. Ergo de necessitate in ipsis causant species sibi similes. Sed rursus virtus cognoscitiva sic informata, de necessitate elicit actum conformem speciei qua informatur. Ergo difformis a re cognitio illa esse non potest, nisi virtus cognoscitiva a suo esse deficiat.

Declaratur. — S. Thomas *De Verit.* q. 19. a. 1. ait. "Impossibile est quod sit idem aliquid quod educat se de potentia in actum. Anima autem nostra (et singulae facultates cognoscitivae quae sunt in anima) est in potentia ad similitudines rerum quibus cognoscit (species intelligibiles vel sensibiles impressas). Unde oportet quod efficiatur in actu non per ipsam animam (ut vellet Kant cum asseclis), sed per aliquid quod habet illas similitudines in actu, vel per res ipsas, vel per Deum in quo sunt omnes formae in actu. Unde nec imaginatio nec intellectus aliquam formam *componit de novo* nisi ex aliquibus praeexistentibus sensibilibus (praeexistentibus, inquam, in ea ut similitudines impressae a rebus), sicut cum componit formam montis aurei, ex praeexistentibus speciebus auri et montis „.

Nota autem quod conceptus auri et conceptus montis de necessitate important aliquid reale. Nam "id quod est rationis tantum non potest esse nisi duplex, scilicet *negatio* (sub nega-

---

[1]) S. Th. I. p. q. 17. a 3: Suarez, *Disput. Metaph.* d. 9. s. 1. n. 14. sqq.
[2]) S. Th. 1. p. q. 85 a. 6.

tione venit etiam privatio quae negatio quaedam est) vel aliqua *relatio;* omnis enim positio *absoluta* aliquid in rerum natura existens significat „ [1]).

III. " Respondeo dicendum quod sicut res habet esse per propriam formam, ita virtus cognoscitiva habet cognoscere per similitudinem rei cognitae (quae est propria forma virtutis cognoscitivae, quae facit eam in actu). Unde sicut res naturalis non deficit ab esse quod sibi competit secundum suam formam, potest autem deficere ab aliquibus accidentalibus vel consequentibus, sicut homo ab hoc quod est habere duos pedes, non autem ab hoc quod est esse hominem: ita virtus cognoscitiva non deficit in cognoscendo respectu illus rei cuius similitudine informatur, potest autem deficere circa aliquid consequens ad ipsam vel accidens ei; sicut dictum est in articulo praecedenti quod visus non decipitur circa sensibile proprium, sed circa sensibilia communia, *quae consequenter se habent ad illud* et circa sensibilia per accidens. Sicut autem sensus informatur directe similitudine propriorum sensibilium, ita intellectus informatur similitudine quidditatis rei. Unde circa quod quid est, intellectus non decipitur, sicut neque sensus circa sensibilia propria „. (S. Th. I. q. 17 a. 8). Perpende singula diligenter: Sicut res habet esse etc. ita virtus cognoscitiva cognoscere etc. sicut enim essentia se habet ad esse ita posse agere ad agere, seu ita potentia operativa ad operationem. Ergo sicut res naturalis habet esse per suam formam, ita virtus cognoscitiva agere per suam ; *sed forma virtutis cognoscitivae ut sic* est similitudo rei cognitae ut sic; ergo sicut res habet esse per suam formam, ita virtus cognoscitiva habet cognoscere per similitudinem rei cognitae. Res naturalis non deficit ab esse quod sibi competit secundum suam formam ; impossibile enim est quod homo non sit homo : ergo nec virtus cognoscitiva deficit in cognoscendo illud cuius similitudine in-

[1]) S. Th. *De Verit.* q. 21. a. 1. Ubi adverte quod proprie loquendo, relationes tantum, possunt esse *mere* entia rationis; nam id cuius negationem accipio ut ens, reale aliquid est: pariter id cuius privationem accipio ut ens, reale pariter est; relationes contra ipsas seu habitudines saepe intellectus *unice* de suo facit ut cum componit aut dividit, vel relationes termini, syllogismi, aut similium efformat.

formatur; informata specie hominis, si ut sic eliciat actum, de necessitate cognoscit hominem, et deficere non potest ab hoc nisi deficiat a natura ipsa facultatis cognoscitivae. Sed res naturalis deficere potest ab aliquibus accidentalibus vel consequentibus, et pariter virtus cognoscitiva; et hoc valet sive de sensibus, ut dictum est quod sensus potest decipi quantum ad ea quae consequenter se habent vel per accidens respectu obiecti proprii; sive de intellectu. — Quid est autem id cuius similitudine vis cognoscitiva directe informatur? respectu sensus, est similitudo proprii sensibilis; respectu intellectus, est similitudo quidditatis rei. Ergo circa *quod quid est,* intellectus non decipitur sicut neque sensus circa sensibilia propria [1]).

633. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Vix non semper accidit, ut multo plures notae in rebus insint, quam ego apprehensione concipiam. Atqui falsitas praecise consistit in hoc quod res non sit in re sicut ab intellectu apprehenditur. Ergo vix non semper intellectus apprehendens est falsus.

---

[1]) Quotiescumque scilicet cogito de homine, efformo mihi hominis phantasma in quo hominis rationem vel confusa vel clara cognitione et distincta percipio. Dico vel clara vel confusa; quia etiam cum percipio de homine ens, percipio *quod quid est* eius; item cum percipio substantiam vel corpus, vel vivens, vel animal de eodem. Unde etiam aliquo modo *quod quid est* sic latius acceptum, potest esse medium demonstrationis; ex hoc enim quod homo est ens, sequitur quod habeat omnes passiones proprias entis ut sic, quae proinde de eo demonstrantur secundum quod est ens; idem dic de ratione substantiae etc. et consequentibus. Et utile erit etiam hic notare haec S. Thomae *Phys.* lib. I. lect. I. "Dicendum quod definientia secundum se, sunt prius nota nobis quam definitum; sed prius notum est nobis definitum quam quod talia sint definientia ipsius, sicut prius sunt nota nobis animal et rationale quam homo. Sed *prius est nobis notus homo confuse, quam quod animal et rationale sint definientia ipsius*„. Sic de hoc quod video apprehendo canem; apprehendo per hoc quod quid est huius rei, unde si quis interroget quid est? respondeo: canis. Si instet: quid est canis? non respondeo ineptam esse interrogationem quia iam responderim; sed iterum respondeo: animal; et sic etiam puto me assignare *quid* est; et cum dico animal latrabile, magis determinate exhibeo quod quid est esse rei. Scilicet sicut principium continet in potentia omnes conclusiones, ita *hoc ens* omnia praedicata, et primum *quod quid,* est principium omnis sequentis intellectivae cognitionis, aliquo modo. (Cf. Urràburu, *Log. Mai.* n. 11; Schiffini, *Princ. Phil.* n. 273).

Resp. *D.M.* Et in hoc attendi potest quaedam *difformitas negativa* quantum ad aliqua quae in re sunt, quae optime stat cum conformitate positiva quantum ad id quod de re apprehenditur *C.M.:* et haec est *difformitas positiva* vel quae non compatiatur veram ac perfectam conformitatem quantum ad id, quod de re apprehenditur *N.M.* — *Cdm.* Falsitas consistit in hoc quod res non sit in se sicut ab intellectu apprehenditur *quantum ad id quod apprehenditur C.m.,* quantum ad id quod non apprehenditur *N.m.* vel *Sbd.* in hoc attendi potest *ignorantia C.m.,* falsitas proprie *N.m.* — *N.C.* (Cf. Suarez : *Disp. Metaph.* d. 9 s. 1 n. 20 sqq.). — Si quis comparationem adhibere velit, is falsitatem negativam cum speculo plano comparabit, quod partem tantum corporis repraesentat: falsitatem positivam cum speculo concavo vel convexo, quod augendo vel minuendo deformat idipsum quod de corpore repraesentat. (Pesch : *Inst. Log.* p. II. n. 812 *nota*).

Ob. 2ª. Multae apprehensiones hominum praesertim rudium et eorum qui cupiditate vehementi affecti sunt, a suis obiectis difformes esse constat. Ergo potest haberi falsitas in apprehensione.

Resp. *D.A.* Obiectum non percipitur ut apparet *N.A.:* aliquando conformitas apparentiae cum realitate est confusa et imperfecta *Sbd.:* et ex hoc habetur falsitas in quantum inde homines incauti in multis rebus ad falso iudicandum inclinati sunt *C.A.;* quasi in ipsa apprehensione sit per se falsitas *N.A.* (Cf. Pesch. *Inst. Log.* II. n. 817).

Ob. 3ª. Intellectus accipit a sensu. Atqui sensus potest falli etiam circa sensibile proprium propter corruptionem organi. Ergo etiam intellectus potest falli in perceptione quidditatis simplicis et praescindendo a quaecumque compositione.

Resp. *D.M.* Et tamen obiectum eius est rei natura, quae non percipitur a sensu *C.M.;* est ipsum obiectum sensus *N.M.* — *D.m.* Sensus potest falli circa rationem specificam sensibilis proprii *C.m.;* circa rationem genericam *N.m.* — *D.C.* Si attribuat rationem specificam a sensu abstractam ei quod sensus falsus percipit secundum talem rationem *C.C.;* praescindendo ab omni compositione. *N.C.* - Igitur sensus ne per accidens quidem potest falli circa rationem genericam proprii obiecti : nam a tali ratione

generica specificatur ipsa facultas. Sic oculus potest percipere ut flavum quod est album vel rubrum, sed non potest percipere aliquid quod non sit coloratum, ut v. g. sonorum vel etiam chimericam qualitatem quae non sit obiective in rerum naturis. Ad hoc enim requireretur ut visus iam non esset visus, sed vel auditus vel aliquid aliud. Porro nulla est corruptio organi quae facere possit ut visus non sit visus. Sic ergo si oculus apprehenderet ut flavum quod est album, intellectus abstrahens rationes entis, substantiae in genere, vel etiam substantiae cuius talis sit color, et etiam rationes accidentis et colorati et flavi non erit falsus, cum omnes tales rationes sint obiectivae. Erit tamen falsus si rationes flavi aut substantiae cuius sit color flavus, attribuat tali rei cuius est sensus falsus. Falsus autem dicitur sensus, licet ipse non componat suam perceptionem cum re, quia eius perceptio individuum non excedit: unde in praesentia talis individui, si sensus percipiat qualitatem, quae saltem secundum speciem in re illa non est, iam censetur difformis a proprio obiecto. At intellectus conceptio est universalis, quae igitur quodlibet individuum excedit, nec igitur ante compositionem falsa dici potest, nisi occasionaliter aut possibiliter, inquantum facile intellectus attribuet illam obiecto a sensu percepto: quae consideratio a compositione minime praescindit.

THESIS II.ª — Intellectus in componendo et dividendo potest decipi dum attribuit rei cuius quidditatem intelligit, aliquid quod eam non consequitur vel quod ei opponitur; unde in iudicio potest per se esse falsitas [1]).

634. Praenotanda. — I. Ut iam dictum est in praenotionibus, sicut in intellectu ratiocinante comparatur conclusio ad principium, ita in intellectu componente et dividente comparatur praedicatum ad subiectum; subiectum enim virtualiter continet omnia praedicata [2]).

II. Dicit S. Thomas (q. 85, a. 5) quod intellectus humanus *apprehendit aliquid de ipsa* (nempe de re) *puta quidditatem ipsius rei, quae est primum et proprium obiectum intellectus*; *et deinde intel-*

---

[1]) S. Th. 1. p. q. 17. a. 3.

[2]) Cfr. S. Th. 1. p. q. 58 a. 4. et q. 85. a. 5.

ligit proprietates et accidentia, et habitudines circumstantes rei essentiam. Nam quod primo apprehendit est ipsa illa res indirecte, liceat sic loqui, et aliquid de illa directe, h. e. quidditas seu natura eius.

Dixi — liceat sic loqui — quia multo exactius dicitur cum S. Thoma " *aliquid de re* „: per hunc enim modum loquendi exactius exhibetur quod cognitio intellectiva ut sic, terminatur directe ad universale quod est illud " *aliquid* „ quod apprehendo, et simul exhibetur quod universale ab intellectu apprehenditur de hoc singulari, attingendo nempe indirecte ipsum singulare. Unde etiam in modo *significandi prima apprehensa, significamus concrete,* concretum autem significat naturam aliquam, sed simul connotat indirecte subiectum habens naturam talem. Unde etiam communius subiectum ipsum enunciationum exhibetur per universale aliquod concretum quod significat formam aliquam apprehensam, sed tamen stat *pro materiali* in enunciatione et hoc ideo quia in enunciatione ipsa, subiectum cum tali forma apprehensum et significatum est *de quo ulterius apprehendo ulteriora* quae deinde compono cum ipso.

Habemus ergo primo rem singularem quae non est proprie obiectum intellectus ut singularis est, deinde formam aliquam apprehensam *de ea* quae est primum apprehensum intellectus et *proprium* obiectum intellectus, ut dicit S. Thomas; habemus tandem etiam id *de quo* apprehenditur, quod non attingitur ab intellectu directe *ut quod,* sed solum indirecte ut *de quo* et *in quo* ut in initio explicavimus. Tum de hac re sic primo apprehensa per intellectum, aliquid ulterius apprehendo, quod non immediate exhibetur mihi per ipsam speciem, quae rem illam mihi exhibet. Et quando cognosco hoc quod apprehendi de re esse in re, tunc cognosco veritatem, cognoscendo quod intellectus meus est rei adaequatus et hoc est quod enuncio cum dico v. g. " *Homo est animal* „ " *homo est disciplinae capax* „; quod quandoque assero unice intuendo diligentius terminos, quandoque medium aliquod assumendo, ut alibi erit declarandum.

III. Notanda item sunt quae S. Thomas (q. 85, a. 5.) consequenter asserit: " Et secundum hoc, necesse habet unum apprehensum alii componere et dividere, et ex una compositione

et divisione ad aliam procedere „ ; ex hoc scilicet quod non statim in prima rei apprehensione capit perfectam rei notitiam seu cognitionem. Nempe postquam intellectus in prima simplici apprehensione, ut diximus, apprehendit *aliquid de hoc,* quia nondum de eo habet *perfectam cognitionem,* comparat intellectus cum hoc alia quaedam apprehensa quae habet apud se, ab aliis rebus hausta, saltem plerumque; si enim ab hoc immediate ea omnia haberet quae ad ipsum pertinent et ad eius habitudines, quiesceret totaliter; sed, quia ab hoc non haurit immediate, propter debilitatem luminis et etiam propter modum specierum ipsi lumini proportionatarum, perfectam eius cognitionem, quaerit adiumentum aliunde, comparando hanc rem cum aliis universalibus conceptibus quos aliunde hausit, ut veluti addat cognitionem supra illam imperfectam quam habuit ab hac re de ipsa. Et hoc valet saepe etiam de ipsis definientibus ut notavimus cum S. Th. (I *Phys.* l. 1. et I p. q. 85, a. 3, ad 3m); ubi in obiectione ponit illud Phil. 1 *Phys.* " definitum prius cadit in cognitione nostra quam partes definitionis „ et in solutione sic explicat: " Pars aliqua dupliciter potest cognosci: uno modo *absolute secundum quod in se est:* et sic nihil prohibet prius cognoscere partes quam totum, ut lapides quam domum. Alio modo *secundum quod sunt partes huius totius;* et sic necesse est quod prius cognoscamus totum quam partem. Prius enim cognoscimus domum *quadam confusa cognitione,* quam distinguamus *singulas partes eius.* Sic igitur dicendum est quod *definientia absolute considerata* sunt prius nota quam definitum, alioquin non notificaretur definitum per ea: *sed secundum quod sunt partes definitionis* sic sunt posterius nota. Prius enim cognoscimus hominem, quadam confusa cognitione, quam sciamus distinguere omnia quae sunt de hominis ratione „. Et sic, postquam apprehendi hominem confusa cognitione, possum adhuc quaerere an sit animal et rationale animal; et ad hoc praerequiritur quod jam cognoscam animal sed non quod praecognoscam *de hoc;* quod hoc sit revera animal, habebo solum in termino inquisitionis cum iudicabo ita revera esse. Et licet definientia non sint quaedam consequentia quidditatem, cum ad ipsam pertineant, possunt tamen se habere consequenter ad quidditatem sic con-

fuse et imperfecte cognitam, relate scil. ad meam cognitionem quam de re non habeo perfectam jam ab initio, quandoque neque etiam quantum ad essentialia. Et sic intelliges etiam quomodo intellectus noster veritatem saepe intelligat dividendo; non dividit ab hac re quod immediate hausit ab hac re, sed illud quod aliunde haustum comparavit cum hac re et nunc rationibus quomodocumque inductus cognoscit non esse in hac re. — Hinc perpendes quantum distet apprehendere aliquid *absolute* et apprehendere aliquid *de aliquo*. Quod est apprehensum absolute per primam directam apprehensionem, res est, sed idem non exhibet rem de quocumque apprehendatur, et cum dividit illud intellectus ab hac re, hoc ideo facit quia intelligit huic apprehenso nihil respondere *in hoc,* quamvis in rerum natura aliquid ei respondeat *in aliis*. Et ex eadem ratione intellectus ex una compositione et divisione in aliam procedit. Hinc iterum patet quod omnis simplex prima ac directa apprehensio, habenda est *ut res,* si absolute spectatur, *ut intellectus* formaliter in quantum, ut ita dicam, retorquetur supra aliam, seu apprehenditur *de hoc.*

IV. Nota diligenter etiam illud quod S. Th. ait *ibidem* in resp. ad 1m; quod scil. " *compositio* et *divisio intellectus* per quandam differentiam vel comparationem fit. Unde sic intellectus cognoscit multa componendo et dividendo, sicut cognoscendo differentiam vel comparationem rerum „.

Nempe, sic intellectus cognoscit praedicatum simul et subiectum, sicut multa cognoscit quandocumque *comparationem* plurium, vel *plurium rerum differentiam cognoscit.* Componendo enim, unum alteri comparat et coniungit, et dividendo, unius ab altero differentiam vel diversitatem cognoscit et enunciat. Habes ergo ex hoc iterum, quod intellectus componens ac dividens comparat *plures res,* seu, ut alibi S. Th. loquentem audivimus, *plura apprehensa ;* plura enim apprehensa sunt plures res, si unumquodque *absolute* spectetur ; sive concrete sive abstracte significetur, v. g. " *animal* „ est res quaedam, " *substantia* „ est res quaedam, " *humanitas* „ res quaedam, etc. Neque potest ratio aliqua simplex esse in intellectu, quin exhibeat rem aliquam, imo intellectus directe ipsas res apprehendit, seu universalia ipsa ma-

terialia in rebus realiter existentia, ut vidimus. Qua comparatione instituta, asserit differentiam et negat identitatem, non certe rei respectu sui ipsius, sed eius, quod aliunde haustum, comparavit, cum hac ipsa re. Et quandoque e contra asserit identitatem rationis illius abstractae universalis, quam ab aliis extraxit, cum hac re. Dico — *abstractae* et *universalis rationis* — non enim applicat huic, quod est illius, *in quantum illius;* sed in quantum est ratio abstracta a notis individuantibus [1]), quae proinde etiam huic applicari potest eadem omnino ut ratio communis huic et illi ; et ex hoc est quod saepe dicere solemus : *etiam hoc* est animal, et *etiam hoc,* nempe eodem modo quo illud et illud et tot alia ; quod exprimit comparationem. Incipimus autem ab iis, a quibus immediate conceptum haurimus, et postea aliis, tamquam posterius notis secundum hanc rationem, eandem omnino communicamus (scil. non ut in analogis, de quibus alibi). Et idem facimus cum dividimus ; nempe etiam tunc instituimus comparationem quandam rerum [2]), qua instituta, nego illud quod, aliunde apprehensum, comparavi cum hoc, esse in hoc, a quo non est primo apprehensum. Et inde est, ut dicebamus, quod possit intellectus unica specie simul praedicatum et subiectum habere, quia conveniunt in unitatem, ut inter se comparata, et hoc est quod S. Th. directe intendit in illa solutione.

635. Probatur 1ª pars. — *Intellectus in componendo et dividendo decipi potest.* — Quod ita sit, patet miserrima experientia, unde non indiget ulterius probari ; ut autem assignetur *propter quid,* sic dici potest.

1.º Intellectus informatus similitudine rei cognitae, se habet ad hoc quod est cognoscere, sicuti res naturalis ad esse per propriam formam. Sed dum res naturalis habet suam formam, non potest non esse, seu ab essendo deficere. Ergo a pari intellectus habens similitudinem rei non potest deficere a cogno-

---

[1]) Adverte tamen, quod, ut dictum est [n. 495. ob. 5ª] abstractio et universalitas, etc. non sunt nisi conditiones, ut natura ipsa *absolute* praedicari possit.

[2]) Res est de transcendentibus, et natura etiam abstracta res quaedam est, hic autem sumitur in oppositione ad fictiones mentis tantum.

scendo, respectu eius, cuius similitudine informatur. Si informatur similitudine felis, cognoscit felem, si lapidis, lapidem etc. Sed sicut res naturalis, manente eius forma et eius esse, potest deficere ab aliquibus accidentibus et consequentibus (non enim priora dependent a posterioribus), ita etiam intellectus potest deficere circa aliquid consequens ad ipsam rem, quam cognoscit, vel accidens eius, et sic " in componendo vel dividendo, potest decipi, dum attribuit rei, cuius quidditatem intelligit, aliquid, quod eam non consequitur, vel quod ei opponitur „[1]).

Declaratur consequens. Nam in componendo et dividendo, intellectus attribuit rei, cuius quidditatem intelligit (rei, inquam, non quidditati, quam tamen intelligit ut huius, simul attingens directe quidditatem et indirecte hoc), aliquid de suo haustum ab aliis rebus, cum quibus hanc comparat, eique hoc attribuit tanquam consequens talem rem, vel eidem accidens. Atqui contingere omnino potest, quod, id, quod intellectus sic rei attribuit de suo, non haustum immediate ab ipsa, in ea non sit. Ergo intellectus " in componendo et dividendo potest decipi dum *attribuit* rei aliquid, quod eam non consequitur, vel quod ei opponitur „[2]).

Probatur 2ª pars. — *Unde in iudicio potest per se esse falsitas.* Nam ratio in prima parte allata est concludens, quod possit intellectus decipi ex ipso modo connaturali, quo intellectus iudicat, apponendo rei ea, quae aliunde hausit. Illud *per se* potest etiam significare, et commodius, *non per aliud,* seu *non ratione alterius,* ut contingit in apprehensione.

THESIS III.ª — Falsitas in intellectu esse potest non solum quia cognitio intellectus falsa est, sed quia intellectus eam cognoscit sicut et veritatem [3]).

636. Praenotandum. — Primum, scilicet quod aliqua cognitio intellectus possit esse falsa, probavimus. Probandum est unice quod solum intellectus potest falsitatem ipsam cognoscere, seu, quod idem est, falsum ut falsum.

---

[1]) S. Th. I. p. q. 17. a. 3.
[2]) ibid. — Cfr. etiam I. p. 17. a. 3.
[3]) S. Th. I. p. q. 17. a. 3.

637. Probatur. — 1° Solum intellectus potest cognoscere difformitatem cognitionis ad rem cognitam, et eius, quod apprehendit de re ad rem ipsam. Sed falsitas *proprie consistit* in difformitate intellectus a re. Ergo solus intellectus potest cognoscere falsitatem.

2° In ea sola facultate potest esse falsitas ut cognita, in qua potest esse veritas ut cognita, quia contraria cadunt sub eadem potentia. — Atqui veritas ut cognita non potest esse nisi in intellectu. Ergo etiam falsitas ut cognita non potest esse nisi in intellectu.

THESIS IV.ª — Sicut ad habendam veritatem formalem ut cognitam in intellectu, non requiritur iudicium reflexum, quo iudicem meum iudicium esse verum, ita neque ad cognoscendam falsitatem hoc requiritur.

638. Probatur. — Nam possum cognoscere falsitatem mei intellectus in apprehendendo animal de hoc signato, et hoc cognosco cum dico ; " *hoc non est animal* „ in quo iudicio habetur cognitio ipsius falsitatis, quae inerat apprehensioni meae ; in propositione enim negativa, nego conformitatem intellectus cum re. Possum etiam reflexe falsitatem *iudicii ipsius* cognoscere, ut cum dico " *hominem esse irrationalem est falsum* „. Atque ita connectuntur cognitio veritatis et falsitatis " quia statim per hoc quod cognoscitur veritas affirmationis cognoscitur falsitas negationis oppositae „ (S. Th. 1. p. q. 58. a 4. ad 2m). V. g. statim ac intelligo triangulum habere tres angulos duobus rectis aequales, intelligo etiam oppositae negationis falsitatem. — Ad hoc autem intelligendum prodest advertere quod habet S. Th. 1. p. q. 17. a. 1. ad 1m : " Res comparata ad intellectum, secundum id quod est, dicitur vera, secundum id quod non est, dicitur falsa. Unde verus tragoedus est falsus Hector. Sicut igitur in his quae sunt, invenitur quoddam non esse : ita in his quae sunt, invenitur quaedam ratio falsitatis „. Sed falsitas rei est consequens ad falsitatem intellectus. Ergo tunc intelligit falsitatem alicuius rei intellectus, quando intelligit quod non est. Tunc enim reprehendit veluti deceptionem sibi a re intentatam, et tunc cognoscit falsitatem intellectus quando cognoscit non esse adaequatum seu simile rei id quod intelligebatur seu

potius apprehendebatur de re; vel etiam iudicium ipsum prius latum de re difforme a re esse. Et potest etiam intellectus cognoscere falsitatem per accidens in sensu existentem et sic bonus rusticus ille, per intellectum iudicabat de falsitate gustus male sentientis de caepis.

Nota 1ª — Satius est abstinere, ni fallor, a nomine falsitatis formalis, est enim falsitas in defectu debitae formae.

Nota 2ª — Per se patet quod sicut intellectum esse falsum est ipsum deficere e propria forma, ita e contra intellectum cognoscere falsitatem pertinet ad eius perfectionem. Utinam falsitatem omnium falsarum opinionum semper cognosceremus! Et falsitates omnes humanorum intellectuum cognoscit Deus cuius intellectus falsus omnino esse non potest, cum sit ipsa veritas subsistens.

THESIS V.ª — **Per accidens etiam in operatione intellectus, qua cognoscit quod quid est, potest esse falsitas, in quantum ibi compositio intellectus admiscetur** (S. Th. 1. p. q. 17. a. 3.).

639. Probatur. — Ibi potest esse falsitas, ubi potest esse compositio intellectus. Atqui compositio intellectus accidit operationi intellectus, qua cognoscit quod quid est. Ergo per accidens etiam in operatione intellectus qua cognoscit quod quid est, potest esse falsitas in quantum ibi compositio intellectus admiscetur.

Probatur Maior. — Nam praeter ea, quae superius diximus de hac re, etiam ista considera: S. Thomas (1. p. q. 85. a. 6.) ait " Obiectum proprium intellectus est quidditas rei; unde circa quidditatem rei, per se loquendo, intellectus non fallitur; sed circa ea quae circunstant *rei essentiam vel quidditatem, intellectus potest falli, dum unum ordinat ad aliud*, vel *componendo,* vel *dividendo,* vel *etiam ratiocinando* „. Scilicet tunc falli potest intellectus quando ordinat ad hoc, id quod ab hoc non hausit immediate sed ab alio. — Unde in responsione ad 1.m (q. 85. a. 6) ad illud Philosophi: " Verum et falsum sunt in mente „ respondet " *esse in mente secundum compositionem et divisionem* „. Et eodem modo respondet ad 2.m quoad opinionem et *ratiocinationem* in qua non potest esse falsitas nisi ratione compositionis

et divisionis; defectus enim consequentiae non est falsitas ut ita dicam formalis, hoc est in subiecto (quod est iudicium) nato apto habere formalem veritatem, sed erit falsitas rei. — Et similiter dicit respondendum ad 3m " de errore peccantium, qui consistit in *applicatione* ad appetibile.... „ Ex quibus verbis patet etiam quod *error consistit* non in apprehensione ut sic, sed in applicatione *huius ad illud;* quae applicatio quamdam *pluralitatem* importat secundum quam nominatur *hoc et illud:* dum e contra in consideratione *absoluta* quidditatis et etiam *quidditatis rei,* numquam decipitur intellectus, neque in consideratione eorum quae per ipsam cognoscuntur. *Et sic quidditas seu definitio rei est principium demonstrationis in qua non est falsitas, et per quam ideo est scientia perfecta, quia tunc scire dicimur unumquodque, quando resolventes illud in quod quid est, sic de eo iudicamus, ut ait S. Thomas.* Et nota illa verba: " in quantum ibi compositio *intellectus* admiscetur „ hoc est compositio facta ab intellectu non accepta ab ipsa re: compositio inquam, in qua intellectus ipse aliquid rei attribuat quodammodo, eique applicet de ipsa apprehendendo quae aliunde hausit. — Hic recole quae diximus de differentia quae intercedit inter hoc quod est apprehendere *aliquid absolute* et *apprehendere de hoc,* quod *non est sine aliquali compositione duorum.* Et memento etiam quod intellectus plura apprehensa componit ad invicem, ut cum apprehendit montem aureum, vel animal rationale quadrupes.

THESIS VIa — In cognoscendo quidditates simplices, non potest esse intellectus falsus, sed vel est verus, vel totaliter nihil intelligit. — (S Th. Ia p. q. 17, a. 3).

640. Praenota. — Simplicia dicuntur ea, quae non componuntur ex principiis materialibus et formalibus. Unde intellectus accipiens quidditatem eorum non comprehendit ea quasi componens definitionem eorum ex diversis principiis, sed magis per modum negationis, sicut punctum est, cuius pars non est; vel etiam per modum habitudinis ad composita, sicut si dicatur, quod unitas est principium muneri [1]).

---

[1]) Cf. V° *Metaph.* l. 7.

641. Probatur. — I° S. Thomas (I^{a} p. q. 58, q. 5) ait: Intellectus autem *circa quod quid est, semper verus est,* sicut et sensus circa proprium obiectum, ut dicitur in 3° *de anima.* Sed per accidens in nobis accidit deceptio et falsitas intelligendo quod quid est, scilicet secundum rationem alicuius compositionis..... Et hoc quidem accidit in compositis, quorum definitiones ex diversis sumuntur, quorum unum est materiale ad aliud. Sed intelligendo *quidditates simplices,* ut dicitur 9° *Metaph., non est falsitas;* quia *vel totaliter non attingitur et nihil intelligimus de eis, vel cognoscuntur ut sunt* „. Scilicet eo quod in compositis definitio sumitur ex diversis, ita nempe quod genus sumatur ab eo quod est materiale, et differentia ab eo quod est formale in ipsa re, accidit quod intellectus noster possit secundum aliquid attingere rem ut est, et secundum aliud non attingere: attingere v. g. suppositum hoc in quantum corpus est, non autem in quantum est animal; et dum attingit in eo rationem corporis, aliquid reale in eo attingit. In quidditate vero *simplici* intelligenda, hoc non potest accidere; nam vel totaliter non attingitur, vel cognoscitur ut est. Falsitas autem non potest esse in intellectu respectu alicuius, quod nullo modo attingatur; omne enim falsum fundatur in aliquo vero. — S. Doctor idem affirmat I^{a} p. q. 85, a. 6, dicens: " Per accidens tamen contingit intellectum decipi circa *quod quid est* in rebus compositis, non ex parte organi, quia intellectus non est virtus utens organo, sed ex parte compositionis intervenientis circa definitionem..... Unde *in rebus simplicibus,* in quarum definitionibus compositio intervenire non potest, *non possumus decipi; sed deficimus in totaliter non attingendo,* sicut dicitur 9° *Metaph.* „. — Et *ibid.* ad 3^{m} ait: " .....In absoluta consideratione quidditatis rei, et eorum quae per eam cognoscuntur, intellectus nunquam decipitur. Et sic loquuntur auctoritates in contrarium inductae „. Quae auctoritates sunt: 1° S. Augustini dicentis: " Omnis qui fallitur, id in quo fallitur non intelligit „ [1]) unde sequitur quod, quandocumque intelligit, non fallitur; 2° Philosophi asserentis. " In-

[1]) S. Aug. QQ. lib. 85. q. 32, in princ.

tellectus semper est verus „ [1]) h. e. in apprehendendo *absolute quod quid est.*

IIo Vidimus cum S. Th. (Ia p. q, 85, a. 6 ad 3m), quod *compositioni et divisioni intellectus* ita aliquid respondet a parte rei, ut compositioni, qua totum universale de sua parte praedicatur, respondeat compositio rei ex materia et forma; et compositioni intellectus, secundum quam praedicatur accidens de subiecto, respondeat et *realis compositio* accidentis et subiecti: tamen differt compositio intellectus a compositione rei, quia ea, quae componuntur in. re, sunt *diversa;* compositio vero intellectus est signum identitatis eorum, quae componuntur. Sed certe modus noster intelligendi, cum proportionaliter respondeat ei, quod est obiectum proprium et proportionatum intellectus nostri, si efficit quod etiam ea quae simplicia sunt, a nobis intelligantur ad modum compositorum et per compositiones et divisiones, *efficere non potest* quod ex parte attingamus, et ex parte non attingamus, obiective loquendo, id quod in se partes non habet neque ullam omnino compositionem, saltem in sua quidditate. Et sic intelligendo quidditates simplices non possumus intelligere eas ut secundum partem tantum.

642. Corollarium Im — *Cum in sola apprehensione quidditatis compositorum admisceri possit compositio intellectus, sequitur quod in operatione intellectus, qua cognoscit quidditatem rerum, solum relate ad apprehensionem quod quid est (essentiae) in rebus compositis possit esse per accidens falsitas.* (S. Th. Ia p. q. 17, c. 3; et q. 58 a. 5; et q. 85, a. 6). — Nam compositio intellectus habetur, dum intellectus ipse unum ordinat ad aliud vel componendo, vel dividendo, vel ratiocinando; scilicet compositio intellectus essentialiter consistit in applicatione huius ad illud. Atqui hoc importat quandam pluralitatem, pluralitas compositionem, quae esse non potest nisi in rebus compositis, quorum definitiones ex diversis sumuntur. Ergo etc. — Quomodo autem possit in apprehensione quidditatum compositarum subrepere seu admisceri compositio intellectus videas apud S. Th. locis supra citatis.

---

[1]) Arist. 3o *De anima,* text. 51.

Corollarium II^{m} — *Tunc proprie dicimur intelligere aliquid, quando reducentes illud in quod quid est (quod est terminus resolutionis) sic de eo iudicamus.* (S. Th. I^{a} p. q. 17. a. 3. ad 1^{m}). — Ratio est, quia *quodquid est,* seu quidditas rei, est *proprium* obiectum intellectus, ad quod nempe intellectus se habet secundum quod ipsum; h. e. per respectum ad quod intellectus, per se loquendo, non fallitur: unde quidditas rei est id, quod primo, proprie, ac immobiliter intelligitur. Sed primum in unoquoque genere est causa *ceterorum.* Ergo tunc proprie dicimur etc. — Et hoc modo intelligitur verbum S. Augustini aientis: " Omnis qui fallitur, id in quo fallitur, non intelligit „.

Corollarium III^{m} — *Intellectus semper est rectus secundum quod est intellectus principiorum.* (S. Th. I^{a} p. q. 17. a. 3. ad 2^{m}). Ratio est, quia circa ea non decipitur *ex eadem causa,* qua non decipitur circa *quod quid est.* Nam principia *per se* nota sunt illa, quae statim intellectis terminis cognoscuntur, eo quod praedicatum ponitur in definitione subiecti. Unde S. Thomas (I^{a} p. q. 85. a. 6) ait.: " .....Etiam circa illas propositiones errare non potest (intellectus), quae statim cognoscuntur, cognita terminorum *quidditate,* sicut accidit circa prima principia, ex quibus etiam accidit infallibilitas veritatis secundum certitudinem scientiae circa conclusiones „.

QUAESTIO TERTIA

De Testimonio conscientiae et Sensu Communi.

643. Praenotiones. — Praeter praedicta media assequendae veritatis, quae nihil aliud sunt quam facultates ipsae quibus de facto, ut probavimus, attingimus veritatem, plura alia assignantur communiter ab auctoribus, quae tamen reducuntur ad praedicta, vel non sunt nisi praedicta, considerata tamen per ordinem ad actus quosdam particulares. Nam *intellectus, ratio, intelligentia, conscientia, sensus naturae communis,* veniunt sub facultate intellectiva. Eadem namque potentia intellectiva humana, quae una est, secundum diversos actus, diversas accipit denominationes.

I.° *Intellectus* seu intelligere (si sumitur in oppositione ad *rationem)* " est simpliciter veritatem intelligibilem apprehendere „.

II.° *Ratio* seu ratiocinari " est procedere de uno intellectu in aliud ad veritatem intelligibilem cognoscendam „. — Unde ratiocinari comparatur ad intelligere sicut moveri ad quiescere vel acquirere ad habere, quorum unum est perfecti, aliud autem imperfecti. Et quia motus semper ab immobili procedit, et ad aliquid quietum terminatur, inde est quod ratiocinatio humana procedit a quibusdam simpliciter intellectis quae sunt prima principia, et rursus in via iudicii resolvendo redit ad prima principia ad quae inventa examinat. Quiescere autem et moveri non reducuntur ad diversas potentias sed ad unam. Unde in homine eadem potentia est *ratio* et intellectus. (Cf. I. p. q. 79. a. 8. c.).

III.° *Intelligentia* proprie significat ipsum actum intellectus qui est intelligere: sic ergo intelligentia ab intellectu non distinguitur sicut potentia a potentia sed sicut actus a potentia [1]).

IV.° *Conscientia* proprie loquendo non est potentia sed actus: secundum nomen enim (quasi *cum alio scientia*) importat ordinem scientiae ad aliquid: applicatio autem scientiae ad aliquid fit per actum. — Item hoc patet secundum attributiones ipsius. Dicitur enim conscientia testificari, ligare, vel accusare vel remordere, quae omnia important applicationem alicuius nostrae cognitionis ad ea quae agimus. Quae applicatio fit tripliciter; vel recognoscendo nos fecisse *(testificatio)*: vel iudicando aliquid faciendum (instigatio, ligatio): vel indicando id quod fecimus *(remorsus, excusatio* etc.) [2]). — Testimonium conscientiae de quo

---

[1]) " Innuitur talis divisio etiam a philosophis. Quandoque enim ponunt quatuor intellectus, scilicet intellectum agentem, possibilem, et in habitu et adeptum: quorum quatuor, intellectus agens et possibilis sunt diversae potentiae, sicut et in omnibus est alia potentia activa et alia passiva: alia vero tria distinguuntur secundum tres status intellectus possibilis: qui quandoque est in potentia tantum, et dicitur *possibilis,* quandoque autem in actu primo, qui est scientia, et sic dicitur intellectus *in habitu*: quandoque autem in actu secundo qui est considerare, et sic dicitur intellectus in actu sive intellectus *adeptus* „. (I. p. q. 79. a. 10. c.).

[2]) I. p. q. 79 a. X. c.

nunc agimus, respicit primam applicationem: non est ergo nova facultas sed alius actus eiusdem facultatis, nempe intellectus.

V° *Sensus communis.* Non est confundendus cum sensu communi qui est facultas sensitiva, de qua agit S. Th. I. q. 78. a. 4. Cum autem S. Doctor nihil expresse dicat de tali sensu communi, ex hoc ipso deduci posse videtur, quod sensus communis non sit nec facultas distincta ab intellectu, nec habitus distinctus ab habitibus intellectualibus. Et re quidem vera intellectus noster secundum S. Th. duobus habitibus naturaliter inditis est instructus, quorum unus respicit prima principia speculabilium et dicitur *intellectus principiorum,* alius vero respicit prima principia operabilium et dicitur *synderesis* [1]). Porro ex utroque habitu, naturaliter profluunt quaedam iudicia quae, utpote immediata atque facillima, vocantur iudicia sensus communis. Sensus communis igitur nihil aliud videtur esse quam facilitas quam intellectus, duobus praedictis habitibus instructus, habet proferendi iudicia prima atque facillima tum circa speculativa tum circa operabilia. Consequenter autem sensus communis, *quasi consensus communis* significare potest ipsum factum consensionis omnium hominum in talibus iudiciis proferendis [2]).

THESIS Ia – Testimonium conscientiae ut indubium haberi debet.

644. Praenotandum — Veracitas conscientiae non indiget probatione quia est notissima, et proprie non potest probari quia praesupponitur demonstrationi, tamen indirecte probari seu declarari potest.

645. Probatur. — Illud per se errori obnoxium non est, cuius veritas negari vel in dubium vocari non potest quin eo ipso affirmetur. Atqui id de conscientiae veritate dicendum est. Ergo conscientia per se non fallit.

Prob. minor. — Qui negat vel dubitat de conscientiae ve-

---

[1]) I. p. q. 79 a. 12. — Et nota quod synderesis aliud est a synesi e qua aliqui dicuntur homines sensati vel homines *boni sensus,* ut dicit S. Th. 2. 2ae q. 51. a. 3.

[2]) Cf. De Mandato *Log. Mai.* P. II. q. VIII.: Pesch, Lib. I. (III) II *De motivis certitud.* Tamen hoc modo acceptus sensus communis potius quam *medium* aequirendae veritatis, esset *criterium* veritatis.

ritate, dicit: — Nego vel dubito, me cogitare, me percipere quidquam. Sed qui id dicet, eo ipso affirmat se cogitare, percipere aliquid atque existere. Neque in his rebus ulla est (ut dicit S. Augustinus): " Academicorum formido dicentium: quid si falleris? Si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest, ac per hoc sum, si fallor. Quia igitur essem qui fallerer, etiamsi fallerer, procul dubio in eo, quod novi me esse, non fallor. „. (15. de Trin. c. 21.) [1]).

646. Obiectiones — Ob. 1ª. Amentibus et somniantibus, conscientia manifestat plurima quae falsa sunt. Ergo testimonium conscientiae non est certum.

Resp. *D.A.* Conscientia testatur amentibus aliquam affectionem quae non est in anima *N.A.:* cui non respondet obiectum reale *Sbd.* et hoc per accidens propter indispositionem organi *C.A.:* per se *N.A.*

Ob. 2ª. Saepe homines dubitant de affectionibus internis, nescientes utrum dormiant an vigilent, an de delicto commisso vere doleant an tentationibus assensum praestent etc. Ergo ut supra.

Resp. *D.A.* Fieri potest ut homines post clarum conscientiae testimonium dubitent de natura affectionis habitae, vel de praeterita eius existentia *C.A.:* ut rationabiliter dubitent de existentia praesentis affectionis, quam adesse conscientia certe testatur *N.A.*

Ob. 3ª. Illud non possumus dicere esse reale cuius essentiam clare non percipimus. Atqui quidditas doloris, lucis etc. a nobis ignoratur. Ergo testimonium conscientiae circa ipsa, nullum est.

Resp. *N.M.* Non enim requiritur ut verum sit testimonium conscientiae, quod per ipsum manifestetur nobis quidditas affectionum nostrarum. Ceterum quamvis praedictam quidditatem ignoremus, tamen clare percipimus eas non esse modos subiectivos mentis cognoscentis, sed modos vel qualitates quae obiec-

---

[1]) Pesch, *Inst. Phil.* I. (III) n. 664: De Maria *Log. Maior.* Trac. Un. Q. III. a. V.

tive in nobis ratione mentis vel corporis existunt: tales sunt affectiones *odoris, coloris, visionis,* etc.

THESIS II.ª — **Dantur in nobis iudicia quaedam stabilia uniformia et communia, quae merito iudicia sensus naturae communis, et ab omni falsitate immunia dicuntur. Errant vero manifesto qui ea ex caeco naturae instinctu proferri arbitrantur.**

647. Praenotandum. — Sunt qui desperantes de veracitate facultatum cognoscitivarum, ad instinctum rationalem recursum habuerunt; dicentes naturae rationali praeter omnes perceptivas facultates inesse vim quandam necessariam, caecam qua homo sine ulla motivi perceptione ad iudicia quaedam pro certis habenda adigeretur. Ita Thomas Reid cum *Schola Scotica.* Similiter docuerunt Cartesius, Loke, Leibnitz, qui omnes ultimam rationem certitudinis non in evidentia obiectiva, sed in aliquo impulsu subiectivo posuerunt; ita ut multi ex schola Leibnitziana sensum naturae communem ut speciale immo unicum motivum certitudinis statuerint. Iste error refutatur in ultima parte thesis.

648. Prob. 1ª pars. — *Extant iudicia stabilia* etc... Patet exemplis: v. g. "*bonum est facendum, malum est vitandum*„ — "*Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*„ — "*Foedera sunt servanda*„ etc.

Prob. 2ª pars. — *Quae merito iudicia sensus communis dicuntur.* Quia peculiari ratione ab ipsa natura intellectus immediate procedunt, quod patet ex consensu constanti, communi. Vocatur "*sensus*„ quia veritas, quae per ipsum manifestatur, quodammodo sentitur, seu ante oculos ponitur.

Prob. 3ª pars. — *Et ab omni falsitate immunia.* Quia cum oriantur ab ipsa natura intellectuali, si falsa esse possent, error refunderetur in Auctorem naturae.

Ceterum ad infallibilitatem talium iudiciorum ostendendam valent eae probationes quae allatae sunt ubi de veracitate facultatis nostrae intellectivae egimus.

Prob. 4ª pars. – *Errant qui ea caeco naturae instinctu proferri arbitrantur.*

Nam 1º experientia teste, nulla cognitio certa a nobis admittitur nisi ob perceptum a nobis motivum obiectivum. Ab om-

nibus ergo vel rudissimis admittitur non propter caecum instinctum sed propter evidentiam veritatis. Nec obstat quod rudes, ut plurimum talia ratiocinia diserte explicare nobis nesciant. Aliud enim est cogitare, aliud cogitata recte exponere [1]).

2° Talia iudicia simul essent irrationalia (utpote destituta omni motivo rationabili) et simul maxime rationi consentanea. Ut ipsis fidere possemus, deberemus antea cognoscere naturam fide dignam esse: quod si cognoscimus ex ipso communi naturae sensu, in circulo vitioso versaremur [2]).

649. Obiectiones — Ob. 1ª. Si darentur iudicia sensus communis, ea essent quae spectant existentiam Dei et prima moralitatis principia. At ne haec quidem sunt apud homines communia. Ergo nulla dantur iudicia communia.

Resp. — *C.M.* — *D.m.* non sunt communia apud illos homines qui aut mente capti aut ob perversum abusum libertatis, lumine ipso rationis fere amisso, ut monstra iure haberi debent *C.m.*: apud reliquos *N.m.* — *N.C.* — Ad id vero quod existentiam Dei attinet, oportet praeterea distinguere cum Zigliara, *substantiam* iudicii sensus communis a *modo* accidentali eiusdem: porro existentia supremi Numinis est substantia talis iudicii, unitas vel pluralitas eiusdem, est modus [3]).

Ob. 2ª. Non minor potest esse inclinatio intellectus in falsum quam inclinatio voluntatis in malum. Atqui magna est voluntatis in malum inclinatio. Ergo magna quoque esse potest inclinatio naturalis intellectus in falsum, ideoque sensus naturae communis potest esse fallax ac falsus.

Resp. Idest ut non repugnat hominem appetere aliquod malum sub ratione boni, ita non repugnat intellectui ut sub ratione veri teneat aliquod falsum *per accidens C.A.* quasi et voluntas in malum et intellectus in falsum tendant *per se* et essentialiter, quod dicendum esset si iudicia communia falsa essent *N.A.* — *D.m.* Voluntas humana inclinatur in malum sub ratione mali *N.m.* sub ratione boni *Sbd.* per accidens *C.m.*, per se et

---

[1]) Liberatore, *Log.* p. 2. n. 100.

[2]) Liberatore, *ibid.*

[3]) *Summa phil.* tom. 1, n. 50.

essentialiter *N.m.* — *N.C.* — Adverte quod sicut intellectus naturaliter et ex necessitate inhaeret primis principiis, ita voluntas ultimo fini. Sunt autem quaedam intelligibilia, quae non habent necessariam connexionem ad prima principia, sicut contingentes propositiones, ad quarum remotionem non sequitur remotio primorum principiorum, et talibus non ex necessitate assentit intellectus. Quaedam autem propositiones sunt necessariae, quae habent connexionem necessariam cum primis principiis, sicut conclusiones demonstrabiles, ad quarum remotionem sequitur remotio primorum principiorum: et his intellectus ex necessitate assentit, cognita connexione necessaria conclusionum ad principia per demonstrationis deductionem: sed antequam cognoscat per demonstrationem necessitatem huiusmodi connexionis, non ex necessitate assentit, et ideo potest deficere. Similiter etiam ex parte voluntatis. Sunt enim quaedam particularia bona, quae non habent necessariam connexionem ad beatitudinem, quia sine his potest aliquis esse beatus: et huiusmodi bonis voluntas non de necessitate adhaeret. Sunt autem quaedam habentia necessariam connexionem ad beatitudinem. Sed antequam per certitudinem divinae visionis, necessitas huiusmodi connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhaeret, nec his quae Dei sunt. Unde patet discrimen inter intellectum et voluntatem: potest enim intellectus, etiam in praesenti vita, videre ea, quae sunt connexa cum primis principiis, et sic determinari necessario et infallibiliter: contra, voluntas, ea quoque quae sunt necessario connexa cum vera beatitudine, non necessario appetit in hac vita, quia necessitas huius connexionis non apparet, et ideo voluntas nullum bonum determinatum necessario appetit; et ipsi summo Bono et his, quae cum eo necessario connexa sunt, non indefectibiliter inhaeret: dum intellectus, ut dictum est, veritatibus primis et iis, quae cum ipsis ut necessario connexa cognoscuntur, omnino necessario et indefectibiliter inhaeret. Et ideo dici potest quod, *simpliciter loquendo,* magis in hac vita intellectus adhaerere potest veritati, quam voluntas bono.

Ob. 3ª. Plures sententiae communes inventae sunt fuisse falsae (e. g. de vi siderum in ortum metallorum et viventium, de motu solis circa terram etc.). Ergo non sunt certa iudicia.

Resp. *D.A.* Et illa iudicia erant quae nulla ratione fulciebantur sensu naturae communi, utpote quae non erant de fundamentalibus nec de necessariis ad vitam humanam, socialem, ethicam, religiosam *C.A.;* erant huiusmodi *N.A.* — *N.C.*

Tractatus III.us

De statibus mentis respectu veritatis.

650. Introductio. — Status, in quibus intellectus noster reperiri potest, respectu veritatis hi numerantur: *nescientiae, ignorantiae, erroris, dubii, suspicionis, opinionis et certitudinis.* Nam intellectus respectu veritatis potest dupliciter considerari, in potentia et in actu. Si est in potentia, hoc potest esse quia vel negative, vel privative, vel contrarie se habet ad veritatem: *si negative,* habetur *nescientia,* quae " dicit simplicem scientiae negationem „ (S. Th. 1a 2ae q. 76 a. 2); unde est " *scientiae negatio* „: *si privative,* habetur *ignorantia,* quae " importat, ut dicit S. Thomas l. c., scientiae privationem, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quae aptus natus est scire „ unde est " *negatio scientiae quam quis deberet habere, nedum habere posset* „ ; si *contrarie,* habetur *error* qui est " *deviatio certa a regula certa* „ seu ut dicit S. Thomas (De Malo q. 3. a. 7): " Error autem est approbare falsa pro veris „. — Si est in actu, vel est in actu imperfecto, vel in actu perfecto. Si primum, habetur dubium, suspicio et opinio; si secundum, certitudo.

Dubium est " fluctuatio animi inter utramque contradictionis partem, seu suspensio iudicii „.

Suspicio est " actus intellectus in unam partem contradictionis magis declinantis quam in aliam ex aliquo levi signo „.

Opinio est " actus intellectus qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius „. (Cf. S. Th. 1. p. q. 79 a. 9. ad 4m).

Certitudo est " determinatio ad unum „ seu ut dicit S. Thomas (3. D. 26. q. 2. a. 4) " Certitudo autem proprie dicitur firmitas adhaesionis virtutis cognoscitivae in suum cognoscibile „ [1]).

---

[1]) Cfr. 2a 2ae q. 2a a. 1.

" Actuum ad intellectum pertinentium quidam habent firmam assentionem absque tali cogitatione, (scilicet absque illa cogitatione quae sumitur pro actu intellectus deliberantis); sicut cum aliquis considerat ea, quae scit vel intelligit; talis enim consideratio iam est formata. Quidam vero actus intellectus habent quidem cogitationem informem absque firma assensione, sive in neutram partem declinent, *sicut accidit dubitanti;* sive in unam partem magis declinent, sed tententur aliquo levi signo, *sicut accidit suspicanti;* sive uni parti adhaereant, tamen cum formidine alterius, *quod accidit opinanti* „ (2ª 2ae q. 2. a. 1).

De his ergo singillatim nunc agendum.

QUAESTIO PRIMA.

De Nescientia, Ignorantia et Errore.

THESIS Iª — **Nescientia, ignorantia et error differunt inter se; horum autem causa, partim in limitatione facultatis nostrae, partim vero in ipsa natura quorumdam obiectorum quaerenda est.**

651. **Probatur 1ª pars.** — Nam nescientia importat simplicem negationem scientiae. Ignorantia vero quandoque quidem significat scientiae privationem; et tunc ignorantia nihil est aliud, quam carere scientia, quam quis natus est habere: hoc enim est de ratione privationis cuiuslibet. Quandoque autem ignorantia est aliquid scientiae contrarium, quae dicitur ignorantia perversae dispositionis; puta, cum quis habet habitum falsorum principiorum, et falsarum opinionum, ex quibus impeditur a scientia veritatis. Error autem est approbare falsa pro veris; unde addit actum quemdam super ignorantiam; potest enim esse ignorantia sine hoc, quod aliquis de ignotis sententiam ferat; et tunc ignorans est, et non errans: *sed quando iam falsam sententiam fert de his, quae nescit, tunc proprie dicitur errare.* (Cf. S. Th. q. 3 *de Malo* a. 7.).

Probatur 2ª pars. — S. Th. 2. *Met.* l. I: " Considerandum est, quod in omnibus, quae consistunt in quadam habitudine unius ad alterum, potest impedimentum dupliciter vel ex uno vel ex alio accidere, sicut..... oculus impeditur a visione alicuius

visibilis, aut quia est debilis, aut quia visibile est tenebrosum. Sic igitur potest contingere quod veritas sit difficilis ad cognoscendum, vel propter defectum, qui est in ipsis rebus, vel propter defectum, qui est in intellectu nostro. Et quod quantum ad aliquas res difficultas contingat in cognoscendo veritatem ipsarum ex parte earum patet. Cum enim unumquodque sit cognoscibile inquantum est ens actu...., illa quae habent esse deficiens et imperfectum, sunt secundum seipsa parum cognoscibilia, ut materia, motus et tempus..... Non tamen principalis causa difficultatis est ex parte rerum, sed ex parte nostra..... Quia si difficultas esset principaliter ex parte rerum, sequeretur quod illa magis cognosceremus, quae sunt magis cognoscibilia secundum suam naturam: sunt autem maxime cognoscibilia secundum naturam suam, quae sunt maxime in actu, scilicet entia immaterialia et immobilia, quae tamen sunt maxime nobis ignota. Unde manifestum est, quod difficultas accidit in cognitione veritatis maxime propter defectum intellectus nostri „.

652. Nota. — Causae praecipuae ignorantiae sunt quoque: *a)* desidia, *b)* cura rerum tumporalium et passiones — erroris autem: *a)* sensus non bene adhibiti, *b)* praeiudicia, *c)* pravus affectus, *d)* praeposterus Magistrorum, et librorum delectus, *e)* multorum lectio et paucorum aut etiam nullorum meditatio. (Cf. Remer, n. 675).

THESIS II^{a} — **Nullus error est physice necessarius humano intellectui. Sed error omnis ab imperio voluntatis originem ducit.**

653. Probatur 1^{a} pars. — Nam intellectus physice non cogitur, nisi a proprio obiecto evidenter ei apparente. Atqui obiectum erroris non est huiusmodi. Ergo ad errorem, physice non cogitur intellectus.

Probatur 2^{a} pars. — 1° Intellectus non libere movet seipsum, sed movetur. Aut ergo ab obiecto, aut a voluntate. — Atqui non ab obiecto in casu erroris. Ergo voluntas est, quae movet intellectum ad errorem. 2° Si intellectus de se necessario fertur ad assensum, talis assensus est infallibilis. Ergo si fallitur, non ex se necessario processit, sed ex voluntate inclinatus

fuit ad aliquem assensum, sive in praemissis, sive in conclusione. Omnis ergo error repudiari potest.

654. Nota. Hinc manifeste apparet, quam stulti sint hodierni illi philosophi, qui voluntati totum tribuentes, iudicium ipsum dicunt esse voluntatis actum, eamque non dirigi ab intellectu, qui principia ipsa, voluntate motus, caeca fide tenet. Oh seculum fidei! Cui stultorum non creditur a stultis, et ab his praesertim, qui fidem denegant Deo? Vere stultam fecit Deus sapientiam huius mundi!

THESIS III.ª — **Error manifeste habet rationem deordinatae actionis** (S. Th. *De Malo* q. 3. a. 7).

655. Probatur. — Quod aliquis de ignoratis, et maxime in quibus periculum existit, *(absolute)* sententiam ferat, non est absque praesumptione. — Atqui, ut in Thesi I vidimus, quando aliquis *absolute* falsam sententiam profert de his, quae nescit, tunc dicitur *proprie* errare. Ergo error non est absque praesumptione, et quidem voluntaria; nam uti vidimus in Thesi II, error omnis ab imperio voluntatis originem ducit [1]). Sed praesumptio est deordinata actio: nam quod aliquis *assumat ad agendum ea quae superant suas vires* — quod pertinet ad rationem praesumptionis, sicut et ipsum nomen manifestat — est quid deordinatum ac vitiosum; nam quidquid secundum rationem humanam fit quod est contra ordinem communiter in naturalibus rebus inventum, est vitiosum. Porro communiter in omnibus rebus naturalibus invenitur, quod quaelibet actio commensuratur virtuti agentis, nec aliquod agens naturale nititur agendum id quod excedit suam facultatem [2]). Ergo error manifeste habet rationem deordinatae actionis. — Hinc patet quod si res non est sicut fuit prudenter iudicata, proprio ac stricto sensu non erratur, nec error proinde habetur *proprie dictus,* deest enim praesumptio. Explico: in pluribus, ut v. g. in moralibus, saepe non nisi probabilitatem aliquam maiorem vel minorem habere possumus, et in contingentibus pariter: et si iudicium non habeat firmiorem adhaesionem quam ferant motiva,

[1]) Cf. S. Th. *De Malo* q. 3. a. 7.
[2]) Cf. S. Th. 2. 2. q. 130. a. 1.

falsum esse non videtur. Cum assero v. g. " *Petrum esse furem probabiliter* „ non decipior, assero enim implicite quod potest esse et non esse, sed positis iudiciis, probabiliter est, vel iuxta allegata haberi debet, puta secundum legem statuentem modum criminalis processus [1]). Si contra affirmem *absolute* quod est, et

---

[1]) Haec si bene retinebis, habebis unde verum iudicium tibi efformare valeas — in pluribus quaestionibus, e. g. in quaestione nimis trita — *de condemnatione Galilei.* Nam praeterquamquod infallibilitas Ecclesiae et Pontificis nullo modo labefactatur propter illam condemnationem, ut sciunt omnes, si bene attendas indolem sententiae quae a tali Tribunali lata fuit, immune omnino a quolibet *errore* Tribunal ipsum tibi apparebit. Nam sicut quodlibet tribunal habet normas quasdam determinatas, iuxta quas ferendae sunt sententiae, et ita quidem ut in quacumque sententia qua aliquis declaratur *reus* vel *innocens,* semper subintelligatur clausula: " *iuxta allegata, et iuxta normas iuridicas* „ ita quoque in Tribunali S. I. quaedam regulae habentur, iuxta quas feruntur sententiae et ita quidem ut aliquis declarari possit *haereticus* vel *non haereticus,* non quidem simpliciter sed " *iuxta allegata et iuxta normas iuridicas* „. Nunc autem inter regulas proprias huius Tribunalis, haec habetur: reprobetur quaecumque sententia quae neget sensum litteralem alicuius loci Sacrae Scripturae et inducat sensum *mere* metaphoricum, *nisi sufficientes rationes afferantur:* talis sententia iudicatur *haeretica:* haereticum enim est negare sensum proprium ac litteralem Sacrae Scripturae *absque sufficienti ratione:* sed ut patet, in isto casu, vis huius " *haereticum* „ est omnino relativa: si enim verae rationes afferantur quae demonstrent quod in casu possit recedi a sensu litterali, hoc ipso talis sententia — iuxta normas et iuridicas proprias huius Tribunalis — non est amplius haeretica. Porro rationes quae afferebantur a Galileo ut recederetur a sensu litterali Sacrae Scripturae, non erant sufficientes, ut patet ex hystoria. Rectissime ergo *et absque ullo errore* potuit a Tribunali S. I. condemnari et quidem ut *haereticus,* subintelligendo — *iuxta allegata, et iuxta normas Tribunalis* —. Porro semper erit verum et etiam nunc verissimum est quod sententia Galilei *non comprobata veris ac demonstrativis* rationibus, haberi debet ut haeretica — *iuxta normas dicti Tribunalis* —, sicut verum est quod eadem sententia, comprobata veris ac demonstrativis rationibus, nullo modo haberi debet ut haeretica — *semper iuxta normas dicti Tribunalis.* — Eodem modo is qui nunc declaratur *reus* a legitimo tribunali, eo quod se iustificare nescit ab imputationibus alicuius criminis, et hoc sine ullo errore tribunalis, cras, *iterum absque ullo errore* dicti tribunalis, declarari potest innocens, eo quod sufficientes rationes allatae fuerint. Et dico — *sine ullo errore tribunalis* — quia, ut dictum est, sententia tribunalis semper sumi debet cum clausula " *iuxta allegata* „; patet autem quod sententia

non est, erit *error* in meo iudicio, quia sententiam fero de ignoratis, quod non est absque praesumptione. Item si dicam : in moralibus possum regi probabilitate, sed hoc est vere probabile esse licitum, ergo sic possum me gerere etc. Unde illud S. Thomae (*De Malo* q. 3. a. 7). " Error manifeste habet rationem peccati. Non enim est absque praesumptione quod aliquis de ignoratis sententiam (absolute) ferat et maxime in quibus periculum existit „. — Non fert sententiam qui dicit probabile est hoc, et etiam oppositum eius est probabile.

Adverte tamen quod si quis, iuxta modum loquendi nunc receptum, vocaret *errorem materialem* seu *inculpabilem* iudicium illud quod quamvis in se prudens, tamen materialiter est difforme a veritate, solum quantum ad verbum dissentiret a S. Thoma.

656. Obiectiones. — **Ob. 1.ª** In pluribus casibus omnino difficillimum, imo moraliter impossibile est attendere omnibus adiunctis propter quae in hoc vel in illo casu accidere potest contrarium eius quod rationabiliter expectare deberemus. Ergo error non semper includit aliquam praesumptionem voluntatis.

Resp. *D.A.* Et in his casibus iudicium non potest dici erroneum dummodo fiat iuxta data et non absolute, sed cum probabilitate oppositi *C.A.* ; potest dici vere erroneum *N.A.* — *N.C.*

Ob. 2.ª In aliquibus casibus esset contra prudentiam non credere absque ulla formidine aliquibus testibus omnino fidedignis, qui tamen in casu vel decipiuntur vel decipiunt. Ergo dari potest aliquis error absque ulla imprudentia.

Resp. *D.A.* ut supra; nempe et in isto casu iudicium non

---

quae pronuntiat aliquem *reum* vel *haereticum iuxta haec allegata,* non est contradictoria alteri sententiae quae pronuntiat illum eundem hominem *innocentem et orthodoxum iuxta alia allegata.* Possunt ergo esse ambae verae, quamvis simpliciter certissime veritas rei *uno modo* se habeat.

Hoc autem dictum est omnino *obiective,* considerata scilicet natura dicti Tribunalis, quidquid de facto cogitaverint illi qui sententiam contra Galileum protulerunt, et iterum praescindendo a quaestione utrum aliquid melius potuerit fieri necne. — Cave ergo ne dum nimia facilitate, ignorantiam vel errorem adscribis legitimae Auctoritati, ignorantiam tuam vel, quod peius esset, *errorem* tuum prodas. Cf. Billot, *De Eccl.* T. II. p. 119.

potest dici per se falsum seu erroneum nisi per ordinem ad veritatem absolutam *C.A.*; potest dici de se erroneum per ordinem ad rem prouti exhibita fuit *N.A.* — *N.C.* — Ceterum rarissimum erit quod in his casibus omnis probabilitas oppositi prudenter excludi debeat: sed hoc etiam concesso, iudicium semper erit *iuxta data*, et ideo non simpliciter erroneum.

QUAESTIO SECUNDA.

De Scepticismo.

Articulus I.us

Expositio Scepticismi.

657. Praenotandum generale. — Antequam rationis humanae deliramenta in examen adducamus, placet hic referre aurea verba Angelici Doctoris, quae lumen afferre nobis poterunt in his quaestionibus, quaeque indignationem veri philosophi contra has ignominias humani intellectus (quibus hisce temporibus maxime plauditur), comprobare poterunt. En verba Angelici: " Error circa ea, quorum cognitio est homini naturaliter indita, est **gravissimus** et **turpissimus** „ et ab eodem S. Doctore comparatur turpissimo inter peccata turpissima (2a. 2ae. q. 154. a. 12. c.).

658. Notio Scepticismi. — Sceptici (*σκεπτικοί*) ii primo vocati sunt, qui non negabant veritatem ab hominibus acquiri posse, sed dicebant eam nondum ab aliquo acquisitam esse: ideo curam eam inveniendi susceperunt. Postea tamen idem nomen translatum est ad designandos philosophos omnes, qui vel negant vel in dubio revocant aut omnes aut plures alicuius ordinis veritates, ita ut ab homine non possit de iis haberi certitudo. Sunt itaque gradus etiam in scepticismo: aliqui (et ii non videntur fuisse multi) [1]) eo usque desipiunt ut negent di-

[1]) Extremi inter Scepticos non videntur potuisse dubitare de " sensu invincibili internae experientiae „. Sextus Empiricus v. gr. sic loquitur: " Cum mel gustamus, evidenter sensationem habemus, quae facit ut dicamus: " mel est dulce „; controversia non est de realitate huius sensationis; sola res de qua potest quaestio agitari est ut sciamus an mel sit

stinctionem inter somnum et vigiliam, principium contradictionis, uno verbo omnia. Plerique alii concedunt se experiri sensum quemdam certitudinis, sed, cum de facultatibus diffidant, refugiendum dicunt a considerationibus speculativis, maxime vero ab affirmanda aliqua re cum certitudine. Primi vocari possunt sceptici *absoluti,* secundi sceptici *relativi* [1]).

659. Historia Scepticismi. — Ut evolutio historia scepticismi clarius appareat, utile erit in tres classes distribuere eos qui plus minus illi adhaeserunt. *Prima* est eorum, qui occasionem dederunt et quasi viam aperuerunt scepticismo, licet ipsi sceptici non fuerint: *secunda* est eorum, qui *vere* scepticismum professi sunt: *tertia* tandem amplectitur eos, qui scepticis sunt valde *affines.*

I. **Viam aperuerunt scepticismo.** — 1° Inter **Eleaticos** *a)* Xenophanes (a. 570 circiter a. C.), qui admittit cognitionem empiricam, sed haec, ita ipse, non est digna fide perfecta, veritas enim per gradus est detegenda [2]). *b)* Parmenides (a. 540 a. C.), secundum quem veritas est in cogitatione quia nihil potest esse

---

dulce. Et generatim obiectum controversiae inter nos et dogmaticos non est hoc aut illud subiectum, quod in conscientia appareat, sed id quod affirmatur de hoc subiecto „ (*Hypotyp. Pyrrhon.* c. X.) — Et Hume: " Personne n' a jamais professé sincèrement un scepticisme total.... Quiconque se met en peine de répondre aux chicanes de ce scepticisme total, discute seul, in n' a pas d' antagoniste „ Hume, (*Treatise of human nature* B. 1. Part. IV. Sect. I. et II.). — Cfr. Mercier, *Critériol.* n. 27,et 132. Quod ante tot saecula docuerat Aristoteles *Met.* IV. cap. IV. " Quod si nihil (dicat qui dubitat), ridiculum est quaerere rationem ad eum qui nullius habet rationem, quatenus nullam habet rationem: similis namque plantae est talis, prout talis est „ *ὅμοιος γάρ φυτῷ ὁ τοιοῦτος ἢ τοιοῦτος ἤδη.* Cfr. S. Th. in IV^m Met. Lect. VI. prope finem.

[1]) Scepticis e diametro opponuntur ii, qui *dogmatici* vocantur ; et, in philosophia, sunt illi, qui tamquam certissimas admittunt plures veritates quae vel sunt *per se* manifestae, ut prima principia, vel evidenter ex aliis eruuntur. Sunt tamen etiam inter Dogmaticos, qui non recte sibi aliqua assumunt *a priori,* v. gr. qui ponunt ut *veritates primitivas* non solum in ordine *ontologico* (quod concedendum est), sed etiam in ordine *logico,* existentiam subiecti cogitantis, et aptitudinem mentis (cognitam) ad suos actus antecedenter ad operationis exercitium (Cfr. Mercier, *Critér.* nn. 44-54).

[2]) Cfr. Turner, opere cit. p. 42.

nisi id quod potest cogitari „ ; sensus ducunt nos in errorem quia referunt dari plura entia, dum contra *ens* est unum, immutabile, ingenitum, indivisum etc. Consequitur quod esse et cogitare sint idem [1]). *c)* Zeno (a. 490 a. C.), discipulus Parmenidis, negavit motum, testimonium sensuum, spatium, pluralitatem. Hic dicitur introduxisse dialecticam in philosophia tamquam instrumentum, sed sine inquisitione de natura et conditionibus cognitionis [2]).

2°. Inter **Ionios** *a)* Heraclitus (a. 530 a. C.), sec. quem plerique homines non vident nisi formas sensibiles, nec advertunt esse rationem (*λόγον*), quae omnia discernit : sensus nos decipiunt quia non nuntiant fluxum continuum qui est in rebus : soli *rationi* est ergo fidendum. " Ratio generalis et divina „ cuius participatione homo est rationalis, est criterium veritatis [3]). *b)* Empedocles (circa a. 490 a. C.) cognitionem sensitivam explicat per theoriam emanationis " simile *simili* quod sit in nobis cognoscitur „ ; videtur et ipse distinguere cognitionem sensitivam, cui non sit fidendum (*γνίων πίστιν ἔρικε*), a cognitione facultatum superiorum. *c)* Anaxagoras (n. a. 500 ? a. C.) dicit " simile cognosci *dissimili* „, sensus ponit debiles, sed non deceptores, intellectum (*νοῦν*) esse veram potentiam cognoscitivam. Affirmat utique illusionem sensuum, sed quia vident solum aliquid quod in obiecto est, non vero omnia, ut intellectus, qui est simplex. *d)* Democritus (natus circa a. 460 a. C.) posuit emanationes (*ἀπορροαί*) et imagines (*εἴδωλα*), necessarias ad cognitionem sensitivam : a qua non differt essentialiter intellectio. Ponit cognitionem sensitivam obscuram (*σκοτία*) ; ergo debuisset ponere obscuram etiam cognitionem intellectivam : ita impugnatur ut scepticus [4]) ; sed ipse fugit scepticismum absolutum quia *illogice*

[1]) Cfr. Turner opere cit. p. 43 ; Pesch, n. 26.

[2]) Cfr. Pesch, n. 27 ; Turner, pag. 45 et 47. Cfr. Arist., VI. *Phys.* 9, 229 b ; 421 a. ; Diog. Laert. IX. 25-30.

[3]) Cfr. Arist. *Metaph.* IV. 5. 1010. a. 13 ; *De Anima* 1. 2. 405 a. 25 ; S. Thom., 1 p. q. 84, a. 1.° — Tum Plato, tum Aristoteles ut characterem doctrinae Heracliti afferunt illud " *πάντα χωρεῖ* „ licet materialiter haec verba non inveniantur nunc in operibus ipsius. — Cfr. Turner, p. 49.

[4]) Cfr. Arist. IV. *Metaph.* 5. 1009. a. 38. ; S. Thom. *ibid.*, et 1 p. q. 84. a. 6. c.

affirmat, quod intellectione manifestatur existentia atomorum invisibilium, et per hanc rerum naturae. Et hi, licet non sint sceptici, viam explanarunt scepticismo ; et prae aliis Heraclitus. —

II. **Scepticismum aperte professi sunt.** — 1° **Sophistae :** *a)* Protagoras (n. circa a. 480 a. C.) secundum quem omnia sunt in fieri (ut Heraclitus docuerat), omnia relativa, etiam *fieri* ipsum ; ut oculus non videt, nisi quando exercetur, ita obiectum non est coloratum nisi quando influit in oculum ; ideo non datur veritas obiectiva, cognitio est relativa, est opinio quaedam individualis : propositiones oppositae sunt aequaliter verae, si diversis individuis verae videntur, " homo enim est mensura omnium rerum „ [1]). *b)* Gorgias (ex principiis Parmenidis) conatur ostendere *omnia esse aequaliter falsa ;* vult probare dialectice quod nihil existit, etsi existeret non posset cognosci, si cognitio esset possibilis, non posset cum aliis communicari [2]).

2°. **Secunda Academia** (Media). — *a)* Arcesilaus (n. circa a. 315. a. C.), institutor huius secundae Academiae, docet quod omnis cognitio scientifica est impossibilis : nam perceptio quaevis falsa potest esse irresistibilis ut quaevis perceptio vera. Sapientis igitur est abstinere a firmo assensu dando cuicumque propositioni, et se continere in ea mentis dispositione quae *ἀποχή*, *moderatio* dicta fuit [3]). *b)* Carneades Cyrenensis (210-129 a. C.) scepticismum ulterius evolvit, docuit non dari criterium veritatis, id quod nos verum dicimus esse *Φαινόμενον ἀληθές*, " *probabile visum* „ [4]). Nihilominus nec Arcesilaus nec Carneades docuerunt quod in re practica sit abstinendum ab omni iudicio ; admiserunt necessitatem alicuius normae ad operandum ; in agendo debemus nos regere secundum id quod est rationale. Repraesentationes, unde oriuntur iudicia, aliae sunt mere verisimiles, aliae insuper conveniunt cum iis omnibus, quae ad idem subiec-

---

[1]) Plato, Teet. 152. A. refert ut verba Protagorae : " *Φησὶ γάρ που πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπον εἶναι· τῶν μὲν ὄντων ὡς ἔστι, τῶν δὲ μὴ ὄντων ὡς οὐκ ἔστιν.* Merito igitur considerari potest ut praecessor et parens sensistarum et empiristarum.

[2]) Cfr. Mercier, op. cit. n. 28 ; Turner, p. 66.

[3]) Cfr. Pesch, n. 569-70 ; Turner, p. 112 ; Cantoni, § 55.

[4]) Cfr. Cic. de *Orat.* III. 13.

tum referuntur, aliae tandem post diligens examen reperiuntur bene fundatae [1]; atque ita a sapiente approbari possunt. *Nova Academia,* cuius auctor Carneades fuerat, sub Philone Larissensi et Antiocho reversa est ad dogmatismum Platonis.

III° **Sceptici propriissime dicti,** inter quos eminent Pyrro (360-270 a. C.) Aenesidemus (sec. 1° a. C.), Sextus Empiricus (sec. 2° p. C.). *a)* Pyrro dicitur in scepticismum devenisse admiratione Democriti. Res, iuxta ipsum, nec pulchrae sunt nec faedae: ergo rationabiliter abstinendum est ab alterutro affirmando. Res in se sunt humanae cognitioni inaccessibiles: ideo sapiens, agnoscens vanitatem inquisitionis, non indicat de ulla re, sed in ea dispositione manet quae vocatur *ἐποχὴ ἀφασία*; sic *imperturbabilitatem* (*ἀταραξίαν*) acquirit in qua invenitur humana felicitas [2]. *b)* Secundum Aenesidemum cognitio est impossibilis, quia de una eademque re possunt verificari contradictoria: propterea nec verisimilitudo a Carneade defensa admitti potest. — Hi primo omnibus viribus dixerunt sibi contendendum esse in inquisitionem veritatis (eo usque non inventae); postea illam inventu impossibilem praedicaverunt, moti his rationibus. Si veritas posset inveniri, id deberet fieri aut per sensus aut per rationem. Sed non per sensus — quia sunt vires subiectivae, variabiles secundum variationes infinitas organorum etc. Neque per rationem, quia quidlibet totidem rationibus potest oppugnari et defendi. Praeterea repraesentationes nostrae variant secundum quod variant individua, facultates, adiuncta (situs, temporis, consuetudinis, morum, victus, locorum, legum etc. [3]). *c)* Agrippa, Me-

---

[1]) Ita Carneades respondens Stoicis qui doctrinam Arcesilai impugnabant. Cfr. Cantoni, § 55.

[2]) Cfr. praeter alios supra adductos Mercier, op. cit. n. 28; De Wulf, *Hist. de la Philos. médiév.* 2. edit. p. 74.

[3]) Decem *τρόποι* ab Aenesidemo collecti digni sunt qui recenseantur quia sunt *armamentarium* pro iis omnibus *modernis* qui suo progressu iterum defendunt relativitatem cognitionum nostrarum. En igitur Aenesidemi *τρόποι*: 1. Varietas organorum sensitivorum; 2. varietas hominum; 3. varietas viventium generatim; 4. adiuncta rerum apparentium 5. mutatio circumstantiarum vitae nostrae; 6. situs, intervalla, loca; 7. quantitas et

nodotus, Saturninus, maxime vero Sextus Empiricus, a quo et asseclae dicti sunt *empirici*. Is crisi subiecit non solum dogmatismum philosophicum, sed etiam arithmeticum, geometricum, et sustinuit nullam dari scientiam certam, vel potius sceptico abstinendum esse a quovis iudicio absoluto [1]). Argumenta quibus utitur, ad quinque revocantur. 1. opinionum discrepantia; 2. necessitas regressus in infinitum; 3. varietas ipsius iudicantis; 4. dogmata ex libitu et arbitrio admissa; 5. Petitio principii. *d)* Tempore *renascentiae*, scepticismo adhaeserunt, in Gallia Montaigne (1533-1592) et Petrus Charron (1541-1603); in Lusitania Franciscus Sanchez († 1632). Hic in libro " *Quod nihil scitur* „ praeter alia, haec habet: " Omnes res creatae simul unum totum efficiunt. Hinc sequitur, singulas res non posse cognosci nisi per relationem ad omnes alias, i. e. nos debere cognoscere omnes res, ut possimus vel unam cognoscere. Sed quis infinitam rerum multitudinem scientia complecti potest? Quid scimus de iis, quae fiunt in media terra, quid de iis quae in supremo aethere, quid tandem de iis, quae olim acta sunt? Contendunt quidem philosophi, notitiam specierum et generum satis esse, ut singula individua cognoscamus, quum scientia sit de universalibus. Sed quid tandem illud universale? Quid genera, quid species? Fictiones merae et phantasiae imagines. Accedit ut res non cognoscamus in se ipsis, sed tantum per earum imagines; quanta igitur cognitionis imperfectio! Perfecta cognitio supponit perfectum subiectum cognoscitivum. Sed Deus tantum perfectus „ Tandem concludit: " *Nihil scitur, sola fides solvit dubium et praebet veritatem* „ [2]).

---

constitutio corporum; 8. relationes; 9. frequentior vel rarior sensatio; 10. victus, mores, leges, fabulae, mythicae et dogmaticae hominum sententiae. Cfr. Pesch, n. 570; Turner, p. 167.

[1]) Non igitur nunc primo errores circa ipsam mathesim prodiere. Neoterici videntur delectari in jamdiu sepultis ac putrefactis errorum cadaveribus eruendis!

[2]) Cfr. Pesch, n. 571. — Ex ultimis verbis recitatis, Sanchez videtur annunerandus cum iis qui certitudinem ab auctoritate et revelatione expetunt, et sic potius *traditionalista* esset quam scepticus; auctores tamen illum reponunt inter scepticos nec immerito, nam, abstractione facta ab inten-

III. **Scepticis affines** sunt: 1° **Subiectivistae,** imo hi melius sceptici simpliciter dicendi essent. Istis *esse* et *percipi* sunt idem: sequuntur autem priores Naturales qui " credebant quod totum *esse* et veritas rerum esset in *apparere* „ [1]) sequuntur Protagoram, quem Sceptici parentem habent, de quo S. Thomas: [2]) " ipsum *videri* est mensura rerum, secundum opinionem Protagorae, ut scilicet *in tantum sit verum rem esse, in quantum videtur* „.

Inter recentiores, praecipuus subiectivista est Berkeley (1685-1753), cui obiecta nostrae cognitionis non sunt aliud quam affectiones subiectivae, a Deo in nobis productae. Non percipimus nisi sensationes vel ideas: pugnantia dicit qui ponit existere res praeter ideas — Atque hic subiectivismus nostra aetate latissime circumvagatur; et, maxime propter Kantii philosophiam, de qua infra, omnes eruditorum classes inficit.

2° **Empiristae,** qui post Baconem de Verulamio (n. a. 1561) admittunt eam solam cognitionem quae habetur per experientiam sensuum. Ideo 1° Saltem in dubio ponunt omnem veritatem quae non possit probari experientia sensibili. 2° Experientia percipitur unum phaenomenon post aliud, non vero nexus inter utrumque, ideo 3° nexus causalis non cognoscitur, 4° tandem finis philosophiae, educationis, legislationis, religionis positivae est *commodum proprium:* nihil est bonum, nobile, virtuosum quod in hoc non fundetur, hoc est ultimum elementum characteris humani, fons cuiuslibet activitatis mentalis et moralis [3]). Praecipui materialistae aut empiristae sunt: Thomas Hobbes (1588-1679); Locke (1632-1704); Condillac (1715-1780); La Mettrie (1709-1751); David Hume (1711-1776); Augustus Comte (1798-1857); John Stuart Mill (1806-1873); Herbert Spencer (1820-1903); et inter Italos Gaetanus Negri et Robertus Ardigò [4]). Sed de iis plura hic non addimus: est enim

---

tione, de qua philosophus non iudicat, scepticus est qui *positive* suis facultatibus diffidit in inquisitione veritatis.

[1]) Cfr. S. Thom. 3° *de Anima,* lect. 2ª; et 1 p. q. 85, a. II. c.

[2]) XI. *Metaph.* lect. 11.

[3]) Cfr. Turner, op. cit. p. 452.

[4]) Accipimus hic sub uno eodemque *Empirismi* nomine *sensismum,*

alterius loci (in quaestionibus de Intellectione in Psychologia) horum errores data opera refutare.

3° Non irrationabiliter iis qui scepticis sunt affines connumerari possunt philosophi qui, cum nullam fiduciam in ratione habeant, ad certitudinem sibi comparandam recurrunt ad *rationes cordis,* ad inspirationes gratiae supernaturalis, ad revelationem, quales sunt Pascal, Huetius, Lamennais, Immanentistae et Pragmatistae anti-intellectuales; Cartesius, etiam qui a dubio universali vult incipere [1]).

4° Tandem ad verum scepticismum ducit *Criticismus* Kantii et eorum qui ipsum secuti, nobis subtrahunt cognitionem obiectivae absolutae veritatis et noumenorum.

Articulus II^us^

Refutatio scepticismi.

THESIS UNICA — Dubium universale, quamvis ex principiis propriis refutari non possit, tamen nullo modo cogitari potest, et, dum mente vel ore profertur, seipsum destruit.

660. Praenotandum. — Hic solum agimus de scepticismo universali, quia de particularibus scepticismi speciebus iudicium fertur hinc inde in toto decursu tractationis philosophicae, ubi nempe occurrit tractatio veritatis oppositae.

661. Probatur 1^a^ pars. — Refutatio cuiuslibet erroris, cum sit quaedam demonstratio, h. e. manifestatio quaedam erronei-

---

materialismum et *positivismum:* tamen proprie *sensismus* ponit obiectum intellectus et sensus differre solo gradu; *materialismus* negat omnia quae excedunt materiam; *positivismus* non negat, sed systematice abstinet ab iudicio circa ea quae puram experientiam excedunt, et sic merito vocari potest *agnosticismus.* Cfr. Mercier, *Psych.* Tome II. n. 176 in nota (7^a^ edit).

[1]) Intentionem quod attinet, *Cartesius* est Dogmatista et quidem *exaggeratus,* et a suo dubio positive excludit res Fidei: sed hoc non tollit quod eius Methodus ducat ad scepticismum: imo confirmat, quia non est prohibitum ne procedatur dubio methodico etiam in rebus Fidei, ut faciunt quotidie, cum S. Thoma, Scholastici. Si ergo Cartesius timet pro rebus Fidei, si hae suo dubio subiiciantur, signum est quod eius dubium non est pure methodicum.

tatis, quaeque proinde est a noto ad ignotum, procedere debet ab aliquo principio notissimo ac certissimo. Atqui in systemate dubii universalis, omnia ponuntur in dubium, etiam primissima principia. Ergo dubium universale ex principiis propriis refutari non potest.

Neque tamen de hoc, scepticismus, tanquam victor, gloriari potest, quia non est haec vis vera, nam etiam trunci et lapides hoc modo refutari non possunt.

Probatur 2ª pars. — Repugnat quod aliqua potentia se extendat ultra latitudinem sui obiecti formalis, ad quod se habet secundum quod ipsa. Atqui quod nihil cognoscatur, est extra totum genus cognitionis et cognoscibilitatis, h. e. cadere non potest sub ulla potentia cognoscitiva, cum totaliter deficiat ab illa ratione formali, qua aliqua res fit attingibilis a potentia cognoscitiva ; nam, si nihil cognoscitur, nec scio quid sit ipsa cognitio, nec utrum existat nec ne ; et si nescio utrum sit vel non sit cognitio, quomodo possum affirmare : me nihil scire, cum sciam saltem hoc, me nihil scire ? — Ergo repugnat quod aliqua potentia cognoscitiva concipiat hoc, quod est nihil cognoscere ; nam nihil cognosceret, et aliquid cognosceret simul ; nihil cognosceret, quia hoc importat dubium universale ; aliquid cognosceret, quia cognosceret saltem hoc quod est nihil cognoscere ; quae, ut patet, contradictorie opponuntur. — Sed, uti diximus, dubium universale praecise hoc affirmat : " nihil sciri „. Ergo dubium universale nullo modo cogitari potest.

Probatur 3ª pars. — Ut destruatur aliquod enunciabile universale, sufficit instantiam dari in uno : v. g. ut sit falsa haec enunciatio " omnis homo est albus „ sufficit quod sit vera haec " aliquis homo non est albus „. — Atqui dubium universale, dum mente vel ore profertur, importat quod aliquid cognoscatur, nempe hoc quod est scire " nihil sciri „. — Ergo dubium universale, dum mente vel ore profertur, seipsum destruit. — " Nam si omnino *nihil* scias, idipsum nihil sciri posse tolletur „ Lactantius l. 3 *Instit. div.* c. 6 — Et S. Augustinus *De Trinitate* l. 10 c. 14 ait : " Si dubitat, vivit ; si dubitat, unde dubitet, meminit ; si dubitat, dubitare se intelligit ; si dubitat, certus esse vult ; si dubitat, cogitat ; si dubitat, scit se nescire ;

si dubitat, iudicat non se temere consentire oportere „. Nam ipsum dubium praesupponit certitudinem de quibusdam aliis, et ex certis plerumque suboritur, idque natura disponente ut provocemur ad ulteriorem inquisitionem et cognitionem.

Unde Dantes ait :

Io veggio ben che giammai non si sazia
Nostro intelletto, se 'l ver non lo illustra,
Di fuor dal qual nessun vero si spazia.
Posasi in esso come fera in lustra,
Tosto che giunto l' ha : e giunger puollo ;
Se non, ciascun desìo sarebbe frustra.
Nasce per quello, a guisa di rampollo,
Appiè del vero il dubbio ; ed è natura,
Ch' al sommo pinge noi di collo in collo.

Par. C. 4. v. 125 etc.

662. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Illud systema amplectendum est quod non potest refutari, et removet ab omni periculo erroris. Atqui huiusmodi est systema scepticorum qui dicunt abstinendum esse ab omni iudicio certo. Ergo systema scepticorum est amplectendum.

Resp. *Dist. 1.m partem M.is* — Illud systema est amplectendum quod non potest refutari neque *directe* neque *indirecte* et elenchice *Tr. M. ;* quod non potest refutari *directe Sbd.* scil. contra quod non sunt valida argumenta *C.M. ;* quod non potest refutari directe quia ponit se extra locum conflictus *N.M.* — *Dist. 2.m partem M.is* Amplectendum est illud systema quod non solum removet a periculo erroris, sed etiam ducit ad veram cognitionem rerum *C.M. ;* quod removet a periculo erroris particularis et ducit ad errorem universalem, et destruit omnem scientiam ad quam natura humana sponte sua tendit *N.M.* — *C.d.m.* — *N.C.*

Sceptici non possunt directe refutari quia pugnam vitant. Saxa et plantae refutari non possunt, et tamen nemo nostrum invidet plantis et saxis naturam infallibilem ! Sceptici sunt veluti medici qui videntes aliquem identidem aegrotum, ab aegritudine liberent eum occidendo.

Ob. 2ª. Qui vult proponere aliquam rem ut certam, ad illam probandam aut sumit aliquid quod et ipsum indiget probatione ;

aut sistit in aliquo quod supponit verum et non probat, aut tandem sumit id quod indiget probari ea ipsa re ad quam probandam accipitur. Atqui nullum ex his dici potest. Non 1m quia daretur processus in infinitum ; non 2m quia gratis assumitur ; non 3m quia essemus in circulo vitioso. Ergo nemo debet proponere aliquid ut certum. (Sextus Empir.)

Resp. *N. disiunct. M.is et assigno 4m membrum :* aut sumit aliquid quod *ex se immediate* est evidens, et non indiget ulla probatione. Ut ad lucem videndam non indigemus alia luce, imo lux est id *quo* omnia videmus, ita prima principia sunt per se evidentia, et sunt ea quibus evidentia fiunt reliqua.

Ob. 3a. Omnia quae circa nos sunt, inveniuntur esse in perpetuo fluxu et mutatione. Sed de iis quae sunt in perpetuo fluxu et mutatione non potest haberi scientia certa. Ergo de rebus quae circa nos sunt non potest haberi certa scientia.

Resp. *D.M.* sunt in perpetuo fluxu et mutatione quantum ad rationes essentiales *N.M.* ; quantum ad esse et ad modos subsistendi in singularibus materialibus *Sbd* .ita ut in ipsa mutatione remaneat aliquid immutabile *C.M. :* ita ut res *totaliter* defluat *N.M.* — *C.d.m.* — *N.C.* — Omnia patent ex iis quae dicta sunt in Quaestione de Universalibus.

Ob. 4a. Cum homo aliquando fallatur, aut cognoscit se falli, aut non. Atqui non potest dici quod cognoscat, quia, si cognosceret, non falleretur. Ergo non cognoscit se falli. Sed, si non cognoscit se falli, adhaerebit aequali modo rebus quae sunt et rebus quae non sunt, veris et falsis. Sed non est fidendum assertioni illius qui adhaeret aequali modo veris et falsis. Ergo est abstinendum ab omni iudicio.

Resp. *D.M.* aut cognoscit se falli positive aut negative et implicite, aut non cognoscit *C. dis. M. ;* aut cognoscit positive et explicite se falli aut non cognoscit *N.M.* — *C.d.M.* — Non potest dici quod cognoscat explicite et positive *C.m.* non potest dici quod cognoscat implicite et negative *N.m.* — *D.C.* et reliqua simili modo. — Qui falsum iudicat, non videt utique clare quod errat, sed hoc videt saltem obscuro modo quatenus advertit quod sine debita attentione ad motiva iudicii, procedit. Cf. quae diximus in quaestione *de errore.*

QUAESTIO TERTIA.

De Systemate Kantiano.

663. Introductio. — " Kant Emmanuel, ut scepticismo se efficaciter obiiceret, reliquos omnes philosophos qui ad illa usque tempora scepticismo adversabantur, *Dogmatismi* accusavit, eo quod facultates animae ut idoneas quidem ad verum detegendum sumerent, neque tamen inquirerent utrum iis fidendum esset, necne. Ipse igitur fundamentum omnis philosophiae sive potius ipsam philosophiam in crisi posuit, i. e. in examinatione facultatum animae vel omnium elementorum cognoscenti insitorum, quae experientiam omnem anteverterent „ [1]). Et hinc ad novum monstrum philosophicum confingendum motus est, quod, quasi *novum transcendens,* in omnibus partibus philosophiae, imo in omnibus his quae ad humanam cognitionem quomodocumque pertinent intime imbibitur, confusionem, perversionem atque desolationem ubique relinquens. — Ut ergo facilius nobis sit in sequentibus philosophiae partibus, venenatas talis systematis derivationes indicare atque respuere, directe de ipso nobis agendum hic esse duximus. — Cum vero tale systema fundamentum sit philosophiae Modernistarum et fons Rationalismi, qui fidem conatur et Dei Ecclesiam destruere [2]), latiori, et, quoad fieri potest, clariori modo exponendum atque refutandum erit.

Tripartita autem erit tractatio nostra : in *prima parte* expositionem historicam, in *secunda* expositionem doctrinalem, in *tertia* denique refutationem dicti systematis exhibebimus.

Articulus I.[us]

Expositio historica.

664. I. **Quis Emmanuel Kant.** — E paupere familia ex Scotia originem trahente, Emmanuel Kant natus est a. 1724 Regiomonte (Königsberg). In *Pietismo* a matre puer institutus, postea, influxu

[1]) Pesch, *Log.* n. 832.

[2]) Cf. Willems, *Inst. Phil.* p. 293. Mattiussi, *Il Veleno Kanziano. Introd.*

Rousseavii, in impietatem rationalisticam lapsus est. In patria universitate studiorum 16 aetatis anno admissus, duce Martino Knutzen, Wolffi discipulo, crevit in admiratione Leibnitii et Newtonii; sed, postquam incepit studere philosophis anglicis, et maxime *Humio,* incidit in dubia, quae, ut ipse ait, excitarunt eum a sopore dogmatico, ita ut deinceps suis investigationibus in philosophia speculativa, directionem penitus novam dederit, et anno 1766 cultores metaphysicae irriserit opere cui titulus: " *Somnia visionarii explicata somniis metaphysicae* „.

Eius vitam quod attinet, expletis studiis, 9 annos munus praeceptoris exercuit in pluribus familiis privatis; anno 1755 Regiummontem regressus, ut " doctor privatus „ recipitur, manetque 15 annos. Tandem a. 1770 obtinet cathedram Logicae et Metaphysicae in qua sedet usque ad annum 1797. — Mortuus est a. 1804. [1]).

II. **Opera Kantii.** Primo edidit varia scripta inter quae " *Geographia physica* „ et " *Anthropologia* „ et universim in 1ª periodo *ante critica* egit de rebus disparatissimis: de physica, mathesi, logica, metaphysica, morali, et esthetica. In 2ª periodo *critica* plura edidit quibus respondet tribus quaestionibus quas sibi proposuerat.

I.ª Quaestio: *quid possumus scire?* Huic respondet primo per opusculum " *De mundi sensibilis atque intelligibilis forma et principiis* „; deinde per opus: " *Critica rationis purae speculativae* „ inter cuius Iam editem. (a. 1781) et IIam (a. 1787) edidit a. 1783 " *Prolegomena ad omnem futuram metaphysicam* „ in quibus magis succincte suam doctrinam exponit, et parat iter " *Metaphysicae naturae* „ quae ex mente Kantii debebat sequi et ostendere secundum principia posita in *Critica,* quid sciamus, descendendo ad ontologiam, physicam, psychologiam, cosmologiam et theologiam rationalem; sed de facto hoc opus non apparuit.

II.ª Quaestio: *Quid debemus agere?* Huïc respondet a. 1785

---

[1]) Cfr. Cantoni, *Storia compendiata della Filosofia* (Hoepli 1897); Mercier, *Critériol.* n. 104; Turner, *Storia della Filos.* Periodo III cap. LXIII; Pesch, *Logica* 1° n. 69.

" *Metaphysica morum* „ et a. 1788 " *Critica rationis practicae* „. Duabus criticis addidit 3am " *Critica facultatis iudicativae* „ a. 1790, quod opus in prima eius ordinatione non fuerat praevisum, sed ad illud Kant adductus est logico nexu systematis, ipse ait, ut inveniret principia a priori etiam pro tertia facultate animae, quae est " sensus delectationis et doloris „ sicut invenerat pro facultate cognoscendi et appetendi.

III.a Quaestio : *Quid possum sperare?* Huic respondet a. 1793 " *Religio intra limites rationis purae* „ in quo opere, religio non innititur principiis et probationibus ordinis speculativi, sed indigentiae practicae quam experimur statuendi quod lex moralis sit expressio voluntatis divinae, et credendi Deum esse auctorem et tutorem ordinis moralis [1]).

Articulus II.us

Expositio systematis.

665. I. Quid critica rationis. " Non est, dicit Kant, critica librorum aut systematum, sed virtutis *rationis* generatim, relate ad omnes cognitiones quas ea colligere quaerit *extra omnem experientiam;* ideo iudicat de possibilitate aut impossibilitate metaphysicae generatim et universaliter „ [2]).

Necessitas huius criticae. Unde tantae discordiae et lites inter omnia systemata? cur tot praecedentium philosophorum conatus inutiles evaserunt? Ex deficientia analysis et inquisitionis criticae; ex non facta examinatione potentiarum cognoscitivarum et elementorum quae ad cognitionem concurrunt et subiecto cognoscitivo insunt ante omnem experientiam. Ideo, qui recte vult procedere in scientifica inquisitione, debet dubitare de omnibus cognitionibus, etiam de propria existentia; ex hac autem universali dubitatione, ad cognitionem certam pervenitur per crisim omnium elementorum quae cognitiones nostras antecedunt [3]).

---

[1]) Cfr. Turner, l. c.; Cantoni, l. c.; Willems, *Instit. Phil.,* vol. 1o, p. 2a, cap. 2o, § 3a; Mercier, *Critér.* n. 76, 104 etc.

[2]) Cfr. Mercier, *Critér.* n. 105.

[3]) Cfr. Pesch, *Logica,* disp. Va n. 832.

II. **Cur dicatur critica et criticismus transcendentalis.** Quia est inquisitio et examen cognitionis ut determinentur elementa *a priori* quae sunt conditiones cognitionis, quaeque non possunt sola experientia cognosci. Nomine ergo " *transcendentale* „ venit proprie, secundum Kant, id quod *in subiecto praesupponitur ad actum cognitionis* et eam possibilem reddit. Ipse Kant ait : " Le mot " transcendental „ ne désigne pas une relation de la connaissance aux choses, mais seulement de l' acte de cognition aux facultés cognitives „ Critica *transcendentalis* inquirit conditiones quibus fit possibilis cognitio.

III. **An sit possibilis scientia.** — De facto datur, reponit Kant; ergo est possibilis. Quis enim dubitet de existentia scientiae qui vel leviter consideret admirabiles successus quos obtinuit astronomia, geometria Euclidis, scientia experimentalis Galilei et Newtonii? Longe aliud esset si de possibilitate Metaphysicae quaereretur: quis enim ignorat circa hanc perpetuum exarsisse conflictum, et theorias omnes usque nunc elaboratas cessisse loco sine ullo felici exitu?

IV. **Quid requiratur ad scientiam.** — Scientia ut habeat valorem realem debet referri ad obiecta; praeterea scientia debet inniti principiis universalibus et necessariis. *Iudicia perceptionis* importantia aestimationes personales non faciunt scientiam, sed *iudicia experientiae,* quibus enunciatur aliqua relatio generalis valens pro omnibus, ab omnibus verificabilis. Sic quando iudico " *aqua humefacit terram, latera quadrati sunt aequalia inter se* „ . . . efformo iudicia quod non referunt solas meas impressiones, sed enuncio relationes necessarias, universales, *obiectivas* [1]);

[1]) Cum a Kantio audis illud " *obiectivum* „, cave ne vocem accipias significatione communi. " Obiectivum „ Kantio idem est ac universale et necessarium. Ex eo quod iudicium convenit cum obiecto, omnia iudicia circa idem obiectum conveniunt inter se; et vicissim quando tenemus aliquod iudicium ut necessarium et universale, ibi videmus non nexum subiectivum, sed proprietatem *constitutivam obiecti* „ (Cfr. Mercier, l. c. n. 105, nota 2.). " Negat Kant ratione theoretica sive speculativa nos doceri quidquam posse de ipsis rebus a nostra mente non pendentibus. Unde certitudinem ex hac ratione haustam, subiectivam esse dicit, et eatenus tantum *obiectivam quatenus obiecta respiciat menti interna et a mente producta* „ Pesch, l. c. n. 836.

contrarium vero accidit quando enuncio iudicium particulare ut: " *hic abacus est quadratus, hic calamus scribit, laboro ex capite* „ et alia huiusmodi quae referunt impressiones personales quas alii experiri non possunt semper et ubique [1]).

V. **Quomodo acquirantur iudicia scientifica.** — Ante omnia tenendum est triplex esse genus iudiciorum: *analyticum, syntheticum a posteriori, syntheticum a priori.* Usque nunc admissa fuerant solummodo *primum* et *secundum;* Kant invenit requiri ad scientiam *tertium genus,* imo sola iudicia huius tertii generis conficere scientiam.

Et ratio est quod ea recte vocantur iudicia scientifica quae sunt necessaria et universalia, et simul augent thesaurum cognitionum. Atqui sola iudicia *synthetica a priori* haec duo praestant: ergo sola iudicia synthetica a priori sunt vere scientifica. Et sane, iudicia *synthetica a posteriori* non elevantur supra conditiones contingentes et individuales: quomodo ergo ex eis posset deduci aliquid necessarium et universale? quod est maius quomodo posset erui ab eo quod est minus? Neque hac via solvi possent difficultates quas Humeus opponit contra absolutam universalitatem et necessitatem et *obiectivitatem* legum physicarum et mathematicarum: experientia enim (et iudicia a posteriori fiunt experientia particulari) docet solum quod tale factum sic accidit, sed non dicit aliter accidere non posse: ideo, quotcumque experimenta fiant, lex quae illis innititur non habebit nisi valorem *problematicum.* Sed datur vera scientia; ergo per iudicia *a priori.* Non tamen per iudicia *analytica,* ut errando posuerunt Leibnitz et Wolffius, qui docebant omnem scientiam pro-

---

[1]) Cfr. Turner, *Storia della Filos.,* Periodo III, capo LXIII.; Mercier, l. c. n. 106 nota 1ª (pag. 343, edit.is 5ae); Pesch, l. c. Adverte tamen cum Falckenberg *(Geschichte der neueren Philosophie* p. 277); Kantium variis temporibus varias dedisse significationes eidem vocabulo " transcendentale „; sed semper in oppositione ad *empiricum:* ideo auctores varie et ipsi usurpant iam hanc vocem. Sensu scholastico *transcendens* erat quod includebatur in omnibus quae de re praedicantur, ut ens, unum etc.: nunc, modo est quod *excedit omnem cognitionem* (Mattiussi *Vel. Kanziano),* modo quod *opponitur immanenti* (Willems, l. c.), modo quod praeterit fines sibi statutos etc.

cedere ex analysi subiecti. Nam iudicia analytica sunt *mere explicativa* eorum quae iam saltem confuse cognoscuntur, sed non addunt aliquid subiecto, ideo non augent scientiam. Restant iudicia *synthetica a priori* quae sunt universalia, *pura,* independentia a particularibus, et addunt subiecto elementum quod est extra primum conceptum. Sunt judicia aliquo sensu *deductiva,* sed deductio non fit ex notione quae subiiciatur analysi sed ex ipsa natura subiecti cogitantis in quo invenitur ante omnem eius actum *forma* constituens universalitatem obiecti. Hoc pacto veri nominis scientiae sunt mathesis et physica, quarum 1ª tota componitur iudiciis universalibus, 2ª ab iis dependet: utraque vero habet obiectum subiicibile crisi aut per experientiam realem (physica), aut saltem per imaginariam (mathesis).

VI. **Quomodo sint possibilia iudicia synthetica a priori.**

Ex dictis apparet in tantum posse dari scientiam in quantum possunt dari iudicia *synthetica a priori:* sed haec quomodo fiunt? In omni cognitione, ita Kant, oportet distinguere *materiam* (i. e. obiectum) et *formam* (i. e. modum quo cognoscimus obiectum). Sensus (facultates receptivae) afferunt *materiam* i. e. impressiones passivas, multiplas, seiunctas; mens (activa, spontanea) reagit et vi sua unitiva dat *formam,* scil. reducit ad unum multiplas impressiones, ponit *modum* secundum quem multiplex elementum unificatur: utraque vis necessaria est ad cognitionem, nam, si tollis *sensibilitatem* (vim receptivam), non habes amplius obiectum cognoscibile; si tollis mentem (vim spontaneam) non potes cognoscere, oportet igitur ut in omni repraesentatione forma et materia fundantur, ita ut forma quae est *a priori* in cognoscente applicetur *datis* concretis experientiae: hac fusione habetur cognitio [1]).

Iam vero, si late accipiatur repraesentatio, haec est sensibilis et intellectualis: debent ergo admitti *formae* sensus, et formae intellectus: primae vocantur " *intuitiones a priori* „ secundae " *categoriae* „ [2]).

---

[1]) Cfr. Mercier op. cit. n 105; Cantoni l. c. § 137 ubi haec pluribus declarantur.

[2]) " Posto che la forma è parte integrante delle nostre rappresenta-

VII. **Formae sensibilitatis.** — Homo cum exercet suas facultates recipit primo plures impressiones passivas — visivas, tactiles, olfactivas — sed hae sensationes nondum efficiunt veram repraesentationem, sed prout per imaginationem proponuntur fiunt phaenomena; Quando habebitur vera repraesentatio? quando anima spontanea reactione unit et ordinat multiplicem impressionem, seu dat formam. Haec forma est duplex " *spatium* et *tempus,* ut duplex est sensus *externus* et *internus.*

Spatium est " *intuitio pura* „ forma a priori sensus externi, quia ad hoc ut aliquis sibi repraesentet obiectum sensibile experientiae externae, debet illud ponere extensum, figuratum, in aliquo loco spatii. Notio spatii non potest erui ab obiectis perceptis hoc ipso quod omnis alia notio supponit notionem spatii; praeterea *spatium* est universale, infinitum . . . .

Tempus est " *intuitio pura* „ sensus interni: nemo enim potest percipere factum internum quin illud sibi repraesentet ut veniens post aliud phaenomenon, et ideo connexum cum successione temporali. Tempus, mediante sensu interno, potest esse forma etiam sensus externi, estque et ipsum infinitum, cuius omnia tempora sunt partes . . . . Hoc modo intuitiones ponunt phaenomena in spatio et tempore; sed nondum habetur *vera* et *proprie dicta* cognitio, imo ipsae formae spatii et temporis (elementum necessarium et universale) non habent hunc valorem nisi quando *intuitiones* fiunt materia synthesis intellectualis: sed, sicut ad habendam intuitionem sensibilem requiritur forma sensibilis, ita ad habendam synthesim intellectualem requiritur forma intellectualis.

Et sane nostris cognitionibus damus valorem obiectivum, quia in ipsis repraesentamus nobis obiecta ut realia et habentia determinatam naturam, quod fieri non potest nisi obiectis appli-

---

zioni, Kant ne trae la conseguenza che l'*a priori* ha valore obiettivo, quando è, ed in quanto è parte integrale delle nostre rappresentazioni reali, e quindi della nostra cognizione sperimentale. Ora, noi avremo provato che i giudizi matematici e i principî della fisica hanno valore oggettivo, quando avremo dimostrato che essi esprimono le forme dei nostri oggetti, ossia di quella cognizione „ Cantoni l. c. — Hinc vides quo sensu Kant utatur voce illa " *obiectivum* „ ut iam supra indicatum est.

centur conceptus quidam universales, qui non possunt haberi per experientiam.

Itaque *Categoriae,* et maxime *totalitas, substantialitas, causalitas, unitas, pluralitas* sunt conditiones necessariae ad formandum omne obiectum nostrae cognitionis scientificae.

VIII. **Quid Categoriae et quot.**

Categoriae sunt conceptus primordiales, quorum ope fit synthesis obiectorum cognitionum nostrarum. Iuxta Kant, *cogitare* est *iudicare,* iudicare autem est unire duas repraesentationes, seu ponere relationes inter subiectum et praedicatum, et considerare hanc relationem ut obiectivam. Tot ergo dari debent categoriae, quot sunt species relationum inter subiectum et praedicatum, seu species iudicii. Atqui, attentis *quantitate, qualitate, relatione* et *modalitate,* dantur duodecim species iudiciorum primordialium. Ergo dari debent duodecim categoriae. Sunt autem quae sequuntur et species iudicii et categoriae ab iis profluentes.

Species Iudicii	**Categoriae**
Ratione quantitatis	
Universale	Unitas
Particulare	Pluralitas
Singulare	Totalitas
Ratione qualitatis	
Affirmativum	Realitas
Negativum	Negatio
Infinitum	Limitatio
Ratione relationis	
Categoricum	Subsistentia - Inhaerentia
Hypotheticum	Causalitas - Dependentia
Disiunctivum	Reciprocitas (actio et passio, communitas.)
Ratione modalitatis	
Problematicum	Possibilitas - Impossibilitas
Assertorium	Existentia - Non existentia
Apodicticum	Necessitas - Contingentia.

Aristoteles, licet " acutus cogitator „ non advertit rectam methodum exigere ut instituatur analysis cogitationis et non analysis entis, et ideo non valuit complete et scientifice ordi-

nare suprema genera. In Kantiana vero ordinatione, mirabilis cernitur symmetria!

IX. **Quomodo Categoriae applicentur sensibilibus, seu multiplo experientiae.** — Haec applicatio debet fieri per conceptus intermedios, et per quasdam repraesentationes, quas Kant vocat *schemata,* quae sunt opus imaginationis syntheticae et mediant inter formam a priori et multiplum experientiae. — Ita v. gr. " determinatio scientifica temporis (schema principale) est homogenea tum categoriae, tum phaenomeno: est enim generalis et fundata supra normam a priori, et simul continetur in omni empirica multipli repraesentatione „. — Quae si paulo obscuriora sunt, memineris " *schematismum* „ (intellectus nostri applicatum phaenomenis) esse artem in profundo animae nostrae insitam, cuius verum sensum difficulter possumus intelligere!

Habes igitur: *a)* multiplicem impressionem sensibilem; *b)* intuitionem sensibilem, quae resultat ex applicatione formarum *a priori* (spatii et temporis); *c)* intuitiones magis adhuc unificatas a *schemate* determinante; *d)* schema, quod dat realitatem altiori formae unificatrici = categoriae; *e)* Categorias quibus nostrae cognitiones acquirunt valorem *obiectivum.* — Sed unde tandem hae categoriae? Ex *apperceptione fundamentali,* i. e. ex conscientia pura; exprimunt enim varios modos, quibus cogitatio nostra unit multiplex experientiae, et tali unificatione dat obiectivitatem nostris repraesentationibus.

X. **Quid per hanc elaborationem cognoscamus.** — Categoriae non possunt extendere cognitionem ultra phaenomena, seu non possunt aliquem introducere in cognitionem noumenicam eorum, quae dantur ab experientia, et ratio huius est manifesta: categoriae, in se *vacuae,* ut aliquid valeant, repleri debent ab experientia, quae in illis non potest aliud ponere quam phaenomenon, quia solum hoc est obiectum experimenti: ideo intellectus non potest excedere limites sensibilitatis: phaenomena, seu apparentiae, habent natura sua existentiam relativam ad nostram perceptionem: ideo excitant nos ad cogitandum aliquid quod existat in se, *noumenon* [1]); de hoc autem, sive sit tale sensu

[1]) *νοούμενα* nempe *intelligibilia: φαινόμενα* = *apparentiae.*

positivo (obiectum possibilis intuitionis intellectualis, cuius homo non potest videre possibilitatem), sive sit tale in sensu negativo (quidquid non potest percipi sensu), nulla apud nos datur scientia.

XI. **Quaenam scientia sit possibilis.** — Ex dictis patet nos posse habere scientiam obiectorum sensibilium, i. e. phaenomenorum, i. e. scientiam experimentalem, et scientiam puram, quae inserviat cognitionibus experimentalibus: *Physicam* et *Mathesim* sensu latiore acceptas.

XII. **Quid dicendum de Metaphysica.** — Haec, ut scientia dogmatica, est impossibilis et illusoria, quia nullum obiectum suprasensibile est accessibile formis intellectus et rationis, hoc ipso quod de iis nec datur nec est possibilis experientia. Tamen est in nobis tendentia naturalis ad metaphysicam, i. e. ad praetergrediendos fines phaenomenici et relativi, ad relinquendam, ait Kant, "*insulam veritatis*„ ut quaeramus absolutum (obiectum metaphysicae), ut penetremus in regnum noumenorum! . . Hoc est opus *rationis* quae distinguitur a sensu et intellectu, et eius activitas ad duo potest se porrigere; nempe, aut tenet se intra limites experientiae, movet intellectum ad extendendas suas cognitiones, easque reducendas ad maiorem unitatem, subordinando eas principiis usque universalioribus (usus logicus rationis); aut, independenter ab omni experientia, tendit ad comprehendendam totalitatem conditionum, quae faciunt possibilem experientiam (usus *transcendentalis* rationis). In hoc secundo casu non potest pertingere ad cognitionem proprie dictam, quia deest *materia,* tamen unificat multiplum experientiae intellectualis, reducit seriem conditionum ad inconditionatum, quod non potest percipi experientia; hoc autem *inconditionatum* est obiectum *rationis purae,* cui non potest respondere aliquod obiectum sensibile; est *idea* [1]).

XIII. **Quot ideae.** — Tres sunt *ideae* rationis purae ut triplex aspectus absoluti; I.ª Conditio inconditionata omnium phaenomenorum experientiae internae: *idea psychologica - anima;* II.ª Conditio inconditionata omnium phaenomenorum experientiae externae: *idea cosmologica - mundus;* III.ª Conditio incondi-

[1]) Cfr. Cantoni, op. cit. § 137, pag. 362.

tionata omnium, quae quocumque modo sunt conditionata: idea *theologica - Deus, Absolutum* simpliciter [1]).

XIV. **Quem valorem habeant ideae.** — Ut ratio nullam habet relationem directam ad obiecta, et ideo est *immanens,* ita etiam *ideae rationis* sunt immanentes. Nisus ad ponendas extra mentem necessario duceret ad *antimonias;* ideo dialectica transcendentalis debet exponere *antimonias,* et ita dissipare illusionem trascendentalem, quae ad hoc usque tempus vitiavit omnia systemata psychologica, cosmologica et theologica [2]). Et quantum ad ideam psychologicam, haec est veluti vertex piramidis, est *principium consciens,* vacuum omni contento empirico, noumenon, *x,* quantitas incognita [3]); et similiter dicendum est

---

[1]) Cfr. Mercier, op. cit., n. 108 — Quomodo in suo discursu ratio procedat ad inveniendas tres *ideas,* sic declarat P. Mattiussi in " *Veleno Kanziano* „ (p. 27): " La facoltà suprema ch' è in noi — è la ragione — particolarmente è portata a sorgere da ciò che le sembra condizionato ad una condizione onde quello dipenda; e, se questa condizione paia ancora dipendere, la ragione tende a pensarne un'altra anteriore, finchè le sembri di ravvisare nell'ordine delle cose un principio assoluto e primo. E in un triplice ordine aspira a cotal principio. Nelle categoriche — *per iudicium categoricum* — tende a trovare un soggetto che non sia più predicato: è l'anima. Nella via dei giudizî ipotetici tende ad una totalità assoluta che non supponga nulla fuori e prima di sè: è l'universo. Nella via delle disgiunzioni (con le quali diciamo p. es.: le cose sono corruttibili o non sono; il mondo è prodotto o non è) — *in iudicio disjunctivo* — la ragione tende ad un primo che si opponga al resto come causa d'esistere: è Dio„. Cfr. etiam Pesch, op. cit., n. 835; Willems, l. c. § 3ª, 3, c; ubi postquam dixit: " Tres illas ideas debere esse a priori in mente, quum sint finis et terminus discursus mentis; finem autem dirigere actum ac proinde eum praecedere debere „ sic epilogat quae Kant statuit de modo nostro cognoscendi. — " Modus igitur cognoscendi est, ut impressioni organicae, quae ab extra in nos exercetur, primum formae sensibilitatis, spatii et temporis applicentur, ut fiat sensatio; sensationes vero plures categoriis intellectus invicem coniunguntur in iudicio, indeque conceptus formantur; conceptus vero per ratiocinium ad unitatem trium idearum rationis reducuntur, itaque cognitio perficitur „.

[2]) Cfr. Turner, op. cit. pag. 484 (vers. ital. Verona 1906).

[3]) " Che cosa è, domanda Kant, l' Io? È la più vuota di tutte le forme, un soggetto psicologico di stati coscienti, che non possono mai diventare il soggetto logico di un predicato che si riferisca a questi stati od a qualche altra cosa. La psicologia empirica, la quale sola può estendere la no-

de aliis duabus ideis. Kant eas non negat absolute, sed dicit has ideas nulla scientia fulciri; haec enim est essentialiter experimentalis, illae supra omnem experientiam.

Tunc nonne in scepticismum labimur? Minime, inquit Kant; ratio practica salvat omnia; scientia vero, si nihil potest pro *ideis,* neque potest aliquid contra ipsas [1]).

XV. **Primatus rationis practicae.** — Errarunt philosophi omnes qui nomine scientiae putaverunt homines teneri ad moralitatem et religionem, ac si *moralis* esset quaedam extensio scientiae. — Contrarium, sec. Kantium, verum est; scientia est *a-moralis;* quaestiones an detur lex moralis, libertas, anima immortalis, Deus, ad scientiam veri nominis non spectant; quantum ad haec, scientia agnosticismum profitetur [2]). Aliunde tamen quomodo possunt non admitti hae veritates, sine quibus vita moralis satisfactionem non haberet? Atque hac via nonne possunt identificari postulata moralia et ideae rationis, nonne potest tribui metaphysicae saltem subiectiva certitudo? Hoc modo, quamquam Deus, anima, libertas, moralis, religio non possunt esse obiectum cognitionis scientificae, sunt tamen postulata rationis practicae, quia firmissime tenemus obligationem moralem, libertatem etc.; *ideae* rationis identificantur cum postulatis rationis practicae. — Hoc modo scientia non affirmat neque negat veritates supra-sensibiles, non impedit ergo quominus supra rudera rationis speculatione, ratio practica construat metaphysicam fidei, dogmatismum moralem [3]).

Atque haec in praesenti sufficiant quantum ad *expositionem* systematis Kantiani. Iam ad eius refutationem veniamus [4]).

---

stra conoscenza della vita mentale, non tende punto a dirci alcunchè sull' Io; la psicologia rationale, la quale mira a stabilire le verità concernenti l' Io, erra fin dal suo punto di partenza, e nel corso del suo svolgimento è piena di contradizioni „. Turner, l. c. p. 485.

[1]) Cfr. Mattiussi, " Il *Veleno Kanziano* „ p. 27-30.

[2]) Cfr. Mercier, op. cit. n. 109.

[3]) Cfr. Mercier, op. cit. n. 109 et 77.

[4]) Pluries alibi occurret nobis Kantius refutandus: est enim eius systema ad instar pestiferi veneni: ut hoc, brevi pervadit totum corpus et usque ad internecionem adducit; ita Kantiana placita totam philosophiam

Articulus III$_{us}$.

Confutatio systematis Kantii.

THESIS I^{a}. — **Crisis rationis quae a Kantio instituitur intrinsece absurda censenda est.**

666. Probatur. I. Absurdum est instituere crisim rationis et aliarum facultatum per has ipsas facultates, de quarum veracitate *positive* et *serio* dubitatur [1]). Atqui talis est processus Kantii. Ergo.

Declaratur. — " Nemo non videt eius generis consilium plane absurdum esse. Quam facultatem adhibebit criticus? qua potestate elevabit se supra rationem suam? Nihil habet nisi rationem suam, cuius ad assequendam veritatem aptitudo ipsa in quaestione versatur: huic igitur ante fidere debet, quam ipsi fidendum esse probaverit: cuius firmitatem negavit et quam in ipso crisis negotio ut instrumentum firmum adhibet „. Pesch., *Inst. Log.*, l. [III], n. 840 [2]).

---

sua tabe inficiunt et corrumpunt, si semel admittantur. " Nell' opera del filosofo di Koënigsberg, ait P. Mattiussi (op. cit. Introd. p. 6), tutto è rovina, e qualunque asserzione si ammetta di quello che egli da sè nuovamente disse, ne rimane tronco alla radice l' ordine conoscitivo, ed è *veleno* del quale basta una goccia per dar la morte alla scienza „.

[1]) Ex iis, quae contra Cartesium dicemus, facile colliges quo sensu possit admitti dubium de veracitate facultatum nostrarum, i. e. dubium *negativum*, quatenus ante earumdem exercitium possumus non cognoscere earum virtutem, sicuti ante opus digestionis possumus non cognoscere virtutem digestivam stomachi, quam tamen facile cognoscimus per ipsum exercitium talis virtutis.

[2]) Vide hoc argumentum optime evolutum in " *Occultismo e Modernismo* „ lett. IV. p. 95 sq. (P. Gioachino Ambrosini S. I.), ubi inter alia, scribit: " staremo a vedere come andrà a finire questa critica, perchè se mai si avesse a decidere che le nostre facoltà non ci fan conoscere le cose come sono, dovremo rinunziare per sempre ad ogni speranza di poter acquistare mai scienza delle cose, o mai raggiungere la tanto desiderata Verità: e quand' anche il risultato fosse in favore delle facoltà nostre e venissero assolte in quel gran giudizio da quel solenne tribunale, non sapremmo che farcene della sentenza e del processo, fatto tutto da quelle medesime facoltà che erano accusate di menzognere. E così per ogni modo, della povera Verità sarà fatto addirittura macello „.

II. Secundum Kantium facultates nostrae non sunt nisi " *noumena* „ quae nullo modo cadent sub aspectum empiricum ideoque excedunt limites praefinitos nostrae veri nominis scientiae. Ergo absurdum est crisim de ipsis instituere [1]).

In hoc ergo videtur Kant laborare ut doceat quomodo possimus cognoscere ea, quae firmissime tenet nobis esse incognoscibilia ; ut quaerat superare transcendentalem illusionem, per eam ipsam rationem, quae est capta eadem transcendentali illusione. Ideo Hegel et Herder, Kantii discipuli fassi sunt magistrum velle cogitare ante cogitationem, natare sine aqua [2]).

667. Obiectiones. — Ob. 1ª. Prudentis est, ante usum instrumenti quod possit decipere, investigare an illud sit bene dispositum. Sed ratio et facultates nostrae cognoscitivae sunt instrumenta, quae possunt nos decipere et de facto decipiunt non raro. Ergo prudentis est prius investigare an sint bene dispositae et quid valeant.

Resp. *D.M.* Prudentis est investigare per alia instrumenta meliora (si dantur), aut attentius adhibendo instrumentum de cuius valore *negative* dubitetur *C.M.;* prudentis est investigare dispositionem instrumenti per ipsum istrumentum de quo *positive* dubitetur an valeat *N.M.* — *D.m.* Ratio et facultates nostrae cognoscitivae per accidens, aliquando possunt non decipere *C.m.;* per se et semper aut ut in pluribus *N.m.* — *D.C.* Prudentis est investigare an facultates sint bene dispositae comparando actus et perceptiones facultatum inferiorum cum actibus et perfectionibus facultatum superiorum, et harum actus secundarios cum primariis, et reflectendo supra primarios actus, non tamen *positive* dubitando de illis, *C.C.;* modo a Kantio invecto *N.C.* [3]).

Ob. 2ª. Etiam physiologus utendo facultate visiva vel au-

---

[1]) Cfr. Mercier, *Critér.* n. 53, 56.

[2]) Cfr. Willems, l. c. I. p. 283. necnon P. Ambrosini, *ibid.* ubi opportune refert illud Poetae :

" *Vie più che indarno da riva si parte*
Perchè non torna tal qual ei si move
Chi pesca per lo vero e non ha l' arte „.

(parad. c. xiii. v. 121).

[3]) Cfr. Mattiussi, op. cit. p. 36-38.

ditiva, investigat qua ratione hae facultates applicari debeant. Ergo a pari potest philosophus, utendo facultate cognoscitiva, investigare quomodo ea debeat applicari ad hoc, ut recte fiat cognitio.

Resp. *D.A.* Physiologus hoc facit recte, quia non dubitat *positive* de veracitate talium potentiarum *C.A.;* facere posset recte, *positive* dubitando an oculus possit videre et auditus audire *N.A.* — *N. parit. C.* [1]).

Ob. 3ª. Astronomus non posset affirmare cum veritate aliquid de sideribus, si non curaret crisim instituere, qua certior fieret imagines non haberi ex telescopii defectu, sed a corporibus remotis. Ergo a pari philosophus, hoc nomine dignus, antequam aliquid affirmet de realitate obiectorum, debet instituere crisim facultatum cognoscitivarum.

Resp. *C.A.* — *N.C. et paritatem.* — In primo enim casu habemus instrumentum, cuius partes non sunt essentia sua — *secundum quod ipsae* — ordinatae ad talem operationem, sed ex deficiente hominum adaptatione; praeterea tubus ille, lentes ecc. concurrunt ad illusionem quandam faciendam, quam propterea oportet dimetiri; sed in secundo casu habemus aliquid intrinsece *ex ipsa sua natura* ordinatum ad talem operationem ab ipso Auctore naturae: ideo si in eo *per se* haberetur error, ea res naturalis esset intrinsece mala, peior natura: et hoc malum in ipsum naturae optimum Conditorem refunderetur [2]).

Ob. 4ª. Qui recte vult cognoscere naturam imaginis alicuius, debet considerare prius attente quomodo sit dispositum speculum, in quo imago repraesentatur. Sed potentiae animae sunt veluti specula, in quibus obiecta repraesentantur. Ergo ut recte cognoscamus obiecta, oportet ut prius consideremus facultates seu potentias animae.

Resp. *C.M.* — *D.m.* Sunt veluti specula hoc sensu, quod sunt quaedam *instrumenta* animae *C.m.;* hoc sensu quod, sicuti specula alia sunt plana, alia concava, alia convexa, et secundum hanc diversitatem, diversas imagines efformant; ita potentiae

---

[1]) Cfr. Pesch, op. cit. n. 840.

[2]) Cfr. Mattiussi, op. cit. p. 79.

animae varie unam eamdemque rem repraesentent *Sbd;* varietate accidentali et se tenente *ex parte modi sciendi C.m,* varietate essentiali et se tenente ex parte rei scitae *N.m.* — *N.C.* Non negamus tamen reflexione intellectus supra sensus et supra se ipsum, haberi confirmationem de rebus perceptis [1]).

THESIS II.ª — Systema Kantianum destruit possibilitatem cuiuscumque cognitionis, et multo magis cuiuscumque scientiae.

668. Probatur 1ª pars. — Cognitio est operatio immanens (manens in subiecto cognoscente et ipsum perficiens) per quam facultas cognoscitiva attingit obiectum *ut sibi unitum,* non quidem in esse physico (quo in se ipso est), sed in esse intentionali; vel, aliis verbis, cognitio est repraesentatio vitalis et intentionalis obiecti. Ergo non potest intelligi *vera* cognitio quae non referatur ad obiectum, ut clare manifestant etiam voces, *capere, percipere, apprehendere, concipere* . . . quibus cognitio exhibetur [2]). Atqui, iuxta doctrinam Kantii, cognitio non est nisi *inclinatio et tendentia* nobis intima ad apprehendendum aliquid reale aut dispositiones realium similes illis quae videntur repraesentari in subiecto quin unquam, nisi temere et irrationabiliter, liceat affirmare hanc conformitatem cognoscentis cum obiecto, vel etiam solam existentiam obiecti externi respondentis actui nostro interno. Ergo iuxta Kantium, ipsa existentia cuiusque cognitionis tollitur, aut saltem in dubium revocatur [3]). Semel autem sublata, vel posita in dubio proportione actus cognoscitivi ad obiectum, corruit distintio inter verum et falsum, non poterit excogitari aliquid chimaericum, quidquid aliquis cogitet hoc ipso verum erit, omnis disputatio inutilis evadet, inutilis ipsa critica Kantiana ut nos ab illusione revocet, quia phaenomenon cognoscibile non est nisi modificatio conscientiae unicuique propria : sic in purum putumque agnosticismum devenitur [4]).

---

[1]) Cfr. Mattiussi, op. cit. p. 83.

[2]) Cfr. S. Th. I. p. q. 14. a. 1° c.

[3]) Cfr. Mattiussi, op. cit. pag. 66.

[4]) Cfr. Mattiussi, op. cit. pag. 68; Civ. Cattol. n° 1379, pag. 541; — Et S. Th. I. p. q. 85. a. 2. c. "Sequeretur (si species essent id quod directe in cognitione cognoscitur) error *antiquorum* dicentium omne quod

Probatur 2ª pars. — Iº Scientia est cognitio rei *per causas*. Sed Kantio causa est *categoria* subiectiva mentis, quae non dat ius ad deductionem scientificam. E.

IIº Scientia aut ponitur esse etiam *noumenorum*, aut saltem *phaenomenorum*. Sed Kant excludit ab ambitu intellectus humani quamcumque notitiam *noumenorum*, et *implicite* negat scientiam phaenomenorum. Ergo destruit omnem scientiam. Et quantum ad *noumena*, res est manifesta et ab ipso repetitur usque ad nauseam. Quantum ad phoenomena, licet verbo tenus et, ne ut amens despiceretur, admiserit Physicam et Mathesim, tamen ab eis sustulit ipsum fundamentum, cum posuit principium causalitatis esse *syntheticum a priori* seu trahens originem ex natura intellectus nostri [1]).

IIIº Praeterea, si non ponitur obiectivum principium causalitatis, quaenam relatio potest exurgere inter *moveri* sensuum et *movere* excitativi extrinseci ? Cur facultas quae in omni cognitione suppeditat *formam*, non potest ipsa se excitare sine excitativo extrinseco ? Si spatium, tempus et quaevis forma est a subiecto, subiectum facit leges naturae, leges physicas ; ideo hae non erunt nisi leges meae imaginationis, aut potius delirii.

IVº Tandem *inductio* est argumentum quo utuntur physici, ut ad conclusiones et leges universales deveniant : sed haec a Kantio non admittitur, quia maius (universale) non continetur in minore (particulari), non advertens scilicet sufficere ut aliquid *ex natura subiecti* profluat ut possit, cum certitudine affirmari idem semper cum eodem subiecto coniunctum iri [2]). Ergo systema Kantii, destruit ipsam possibilitatem cuiuscumque scientiae.

---

videtur esse verum, et similiter quod contradictoriae essent simul verae etc. „. — Haec et quae ibidem sequuntur perpendant Modernistae Kantii admiratores et obstupescant se, post *tot progressus* (putant enim semper progredi eum qui utcumque currit), eo devenisse ubi *antiquiores* medio aevo tantisper haeserant !

[1]) Cfr. Mattiussi, l. cit. p. 46.

[2]) Cfr. Mattiussi, l. c. pag. 48. — Ideo bene notat Mercier, l. c., " le vrai nom du criticisme est donc, quoi qu'en dise Kant, le *subiectivisme* (qui, ut diximus, est negatio cognitionis). On l' appellera aussi *relativisme* pour signifier qu'un jugement, conditionnè exclusivement par la structure

669. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Kant passim docet Physicam et Mathesim felicem exitum habere et ab omnibus admitti. Ergo falsum est ab ipso destrui et negari scientiam.

Resp. *D.M.* sibi contradicendo seu illogice procedendo *C.A.* secus *N.A.* — *N.C.* Logice procedendo deberet dicere: omnis scientia est impossibilis [1]).

Ob. 2ª. Kant in suis operibus adversatur Humei empirismum et scepticismum. Ergo impossibile est ut negarit scientiam et eius possibilitatem.

Resp. Intentio Kantii erat ut Humeum refutaret *Trans A.* (non enim de intentionibus quae Dei iudicio reservantur hic agimus); non incidit et ipse alia via in abyssum profundiorem *N.A* — *N.C.* Et sane ut est verum non posse haberi ut fontes scientiae solas affectiones psychologicas quae pendent a statu subiecti quod illas experitur et subiiciuntur modificationi ipsius subiecti cogitantis (ut ponebat Humius): ita etiam non potest ulla scientia haberi, si (ut docet Kant) syntheses a priori — solae scientificae — non habentur nisi per formas acceptas a subiecto cogitante, quod profecto et ipsum est mutabile, et secundum hanc aut illam dispositionem determinatur ad cogitandum hoc aut illo modo secundum leges sui intellectus [2]).

THESIS III.ª — Iudicia synthetica a priori quae Kantius invexit omnino explodenda sunt.

670. Praenotandum. — *De iudiciis scientificis.* Circa haec sufficiat notare quae sequuntur. 1° Non sufficiunt ex se solis ad scientiam iudicia particularia, neque a nobis omnia quae in scientia demonstrantur possunt deduci a subiecto propositionis *a priori:* ideo neque empirismus Humei, neque rationalismus Leïbnitzii sufficiunt; haec Kant bene dicit. — 2° Sed non im-

---

du sujet, n'a de valeur que pour ce sujet, relativement à lui „. Imo cum iuxta Kant non cognoscantur nisi phaenomena, eius systema rite vocatur *phaenominalismus,* aut melius *agnosticismus:* sic ad culmen progressus ascenditur!

[1]) Mattiussi, ibid.

[2]) Mercier, op. cit. n. 116. ubi, praeter alia egregie dicta, notat ex positione Kantii sponte sua oriri idealismum transcendentalem Fichtei. Cfr. etiam Pesch, op. cit. n. 841. 2°.

mediate sequitur admittendum esse systema Kantianum, antequam aliud systema crisi subiiciatur i. e. Scholasticorum qui, ducibus Aristotele et S. Thoma, tot saecula antequam Sol Regiomontanus oriretur, quaestionem de origine cognitionum nostrarum longe lateque explanaverant et profundissime solverant [1]). — 3° Quod Scholasticorum systema si attigisset, non statim dixisset Metaphysicam impossibilem hac *praeclara ratione,* quod non habuit exitum felicem et adhaesionem hominum doctorum. Nam *a)* intellexisset scientias positivas hac ratione facilius ab omnibus admitti quod earum obiectum est magis proportionatum animae humanae in statu praesenti unionis ad corpus; sed *b)* intellectum humanum, etsi per sensus recipiat rerum impressiones et imagines materiales, habere tamen virtutem abstrahendi rationem universalem a conditionibus individuantibus, videndi relationes necessarias et universales quae exurgunt inter elementa habita ex analysi harum rationum abstractarum, et sic conficiendi iudicia necessaria, universalia, scientifica ex considerata natura rerum, et non ex natura subiecti intelligentis; quae omnia a Scolasticis fuse tractantur in Logica ubi de Universalibus, et in Psycologia ubi de Intellectione. Tunc non confinxisset sua iudicia synthetica a priori [2]).

671. Probatio. — *Excludi debent iudicia synthetica a priori* si falsum est principium duplex Kantii, i. e. *Iudicia analytica esse tautologica;* et *iudicia a posteriori non posse esse universalia.* Atqui hoc duplex principium est falsum. E.

Pr. m. Et primo quoad *iudicia analytica.* I° Kant male coarctat haec iudicia cum dicit talia esse solum ea in quibus praedicatum ingreditur definitionem subiecti et est pura *explicatio* subiecti;

[1]) Kant, ignoravit vel finxit se ignorare Peripatetismi Scholastici opera, et praesertim libros Aristotelis *De anima,* et commentaria S. Thomae, et quae idem S. Doctor abunde exponit in I^a parte *S. Theol.* q. 79, 74, 89, et passim alibi, quibus, antequam orirentur, tot monstra errorum invicte refutavit.

[2]) Cfr. Mercier, l. c. n. 115 — et Mattiussi qui maxime in cap. III° "La nuova critica confrontata all'antica„ ostendit nil veri inter tot falsa esse a Kantio excogitatum quod a S. Thoma non fuerit lucide expositum ac probatum.

nam analytica debent vocari, et usu communi philosophorum vocantur, etiam illa quorum praedicatum est propria passio seu proprietas subiecti, in cuius definitione ingreditur essentia subiecti. — Atqui haec iudicia non sunt *tautologica,* sed ostendunt inter varios terminos qui praecognoscantur dari relationes et habitudines necessarias quod prius non cognoscebatur, etsi hoc *implicite* fuisset contentum in terminis [1]). E.

IIº Etsi iudicia analytica sumantur sensu strictiore, ut vult Kant, tamen non sunt inutilia, sed ditant scientiae thesaurum; nam ante iudicium, subiectum et praedicatum cognoscuntur ut duo distincta quin inter illa statuatur ordo; sed cum unum de altero praedicatur, percipitur duorum mutua relatio. Suppone te habere apud te imaginem incogniti cuiusdam: profecto ipsam cognoscis: finge tibi occurrere incognitum cuius possides imaginem, quam modo non consideras; cognoscis hunc: quandonam cognosces relationem inter imaginem et exemplar? nonne quando utrumque simul comparabis? Iterum certo constat determinato sonorum numero melodiam effici; sed ipsam non percipies nisi cum soni ad aures ordine requisito pervenient. Sic in proposito: cognoscis subiectum, cognoscis praedicatum: sed non hoc ipso relationem identitatis quae intercedit [2]).

Praeterea in scientia non habentur solum simplices propositiones separatae; sed complexus propositionum logice inter se coniunctarum. Neque ut habeas scientiam sufficit possideas terminos; sed debes aliquem *medium* terminum invenire atque ita ordinare inventa ut aliquid reperias quod prius ad summum confuse vibebas vel forte nec suspicabaris. Sic v. gr. proceditur in arithmetica, algebra, geometria, quae tamen non dicuntur steriles et inutiles [3]).

Secundo quod attinet iudicia *synthetica a posteriori,* ut supra dictum est, haec possunt esse universalia, scientifica, certa, saltem certitudine physica, per abstractionem intellectus, vel per

---

[1]) Cfr. Mattiussi, op. cit. p. 44; S. Th. I. *Anal.* l. 10; lect. 35; Suarez, *Disp. Metaph.* sect. 6. c. 27: Pesch n. 841.

[2]) Cfr. Mercier, op. cit. n. 117.

[3]) Cfr. Mercier, *ibid.*

inductionem rite intellectam quae suo loco declarabitur, licet non sufficiat associatio imaginum sensibilium. Nec profecto requiritur peregrinum ingenium ad intelligendum quod est constans et necessarium ut ipsa essentia id quod per sufficientem experientiam compertum est ab eadem essentia profluere.

672. Obiectiones. — Contra factum, dicit Kant, non valet argumentum. Sed est factum certissimum quod dantur iudicia *synthetica* a priori. Ergo haec sunt omnino admittenda. Probat autem " *factum certissimum* „ pluribus iudiciis desumptis ex arithmetica, geometria, physica et metaphysica. Sunt autem quae sequuntur :

Ob. 1ª. Theorema arithmeticum $7 + 5 = 12$ est universale et ideo *a priori*. Atqui non potest esse analyticum. Ergo est *syntheticum a priori*.

Resp. *C.M.* — *N.m.*

Pr. m. Si hoc iudicium esset analyticum, ex analysi subiecti $7 + 5$ liceret eruere non solum quod praedicatum est summa, sed etiam quod haec summa est 12. Atqui ex sola analysi subiecti, hoc non licet eruere ; quia, conscientia teste, ad hoc eruendum debemus adiuvari intuitione sensibili digitorum, aut globulorum, aut punctorum, quo modo addimus numero 7, unitates quae continentur in numero 5. Ergo iudicium " $7 + 5 = 12$ „ non est analyticum.

Resp. *C.M.* — *N.m.* — *Dist. rat. add.* Conscientia teste, repraesentatio sensilis adiuvat ad reddendam claram et, ut ita dicam, palpabilem relationem identitatis, et potest esse conditio requisita ad hoc ut, v. gr. a pueris, intelligantur termini *C.* repraesentatio sensibilis est ratio determinans intellectum ad tale iudicium *N.* — Numeri $7 + 5$ non solum dicunt summam, sed *determinatam* summam ; qui terminos intelligit, statim intuetur identitatem partium simul sumptarum cun toto [1]).

Ob. 2.ª *In Geometria* haec propositio : " Inter duo puncta determinata linea recta est brevissima „, non est analytica, sed *synthetica a priori*. — Nam " *recta* „ dicit *qualitatem*. Sed ex *qua-*

[1]) Pro huius et aliarum difficultatum solutione Cfr. Mercier, op. cit. n. 118 ; Pesch, nn. 834-844 ; Willems, l. c.

litate subiecti non potest erui praedicatum quod est in ordine *quantitatis,* ut est praedicatum " brevissima „. Ergo praedicatum " brevissima „ attribuitur subiecto per synthesim quae fit per intuitionem.

Resp. *N. Assert.* Ad probat. *N.M.;* etenim et " *recta* „ et " *brevissima* „ pertinent ad praedicamentum *quantitatis.* Quando dicitur *recta* subintelligitur *linea,* quae profecto est in genere quantitatis: τὸ *recta* vero importat differentiam specificam quantitatis.

Ob. 3.ª *Instabis:* " *Brevissima* „ importat *relationem.* Atqui in absoluto " *linea recta* „ non continetur relatio. Ergo praedicatum *brevissima* addit aliquid per synthesim subiecto *linea recta.*

Resp. *C.M.* — *D.m.* in absoluto *linea recta* relatio non continetur explicite, si propositio, brevitatis causa, exprimitur modo eliptico *C.m.;* si exprimitur integre subiectum hoc modo: linea recta comparata aliis omnibus quae non sunt rectae... *Nm.* - *N.C.* [1]).

Ob. 4.ª *In Physica* duo iudicia: " In omni mutatione mundi corporei quantitas materiae manet invariabilis „ et " in omni communicatione motus, actio et reactio debent esse inter se aequales „ sunt necessaria, a priori. Atqui non sunt analytica. Ergo sunt synthetica a priori.

Resp. *N.M.* — Nam *primum* iudicium innititur experientiae, non videtur habere omnimodam certitudinem: quidquid sit de hoc, etsi forte alicui intellectui qui melius penetraret naturam materiae posset esse et dici analyticum, non tamen relate ad nostrum intellectum. — Neque *secundum* iudicium relate ad nos

---

[1]) Ex ipsa lineae rectae definitione ab Euclide tradita: " *Εὐθεῖα γραμμή ἐστιν, ἥτις ἐξ ἴσου ἐφ' ἑαυτῆς σημείοις κεῖται* „ potest videri quod linea recta importat unicam relationem tum inter duo puncta, determinata inter se, tum cum punctis extremis. Linea curva aut sinuosa e contra mutat relationem diversorum punctorum inter se et cum extrêmis. Cum vero linea possi definiri etiam relatio distantiae inter duo puncta sequitur ex dictis quod in linea recta habetur unica relatio distantiae omnium punctorum inter se et cum extremis, in curva et sinuosa aut fracta habentur plures relationes distantiae. Ergo ex conceptu lineae rectae, educitur notio brevissimae. Cfr. Mercier, op. saepius cit. n. 118.

est *a priori,* sed cognoscitur a posteriori [1]), fundatur supra experientiam.

Ob. 5.ª *In Metaphysica* hoc iudicium: " Quod incipit existere, causam habet „ non est analyticum, neque ab experientia, seu syntheticum a posteriori. Ergo est syntheticum a priori.

Resp. *N.A.* quia ille qui vim terminorum percipit, statim, in analysi illius quod incipit, videt implicitam causam; nam quod incipit esse, hoc non habet ex se, sed ab alio, et hoc dicitur causa ipsius. — Adverte tamen quod principium causalitatis non debet limitari ad id quod *incipit,* aut ad id quod *accidit,* sed debet universalissime extendi ad omne id quod non est vi formae suae et enunciari debet sic: " Existentia entis contingentis postulat causam „ — Contingens de se *non est:* si ergo ex hypothesi *est,* hoc habet ab alio, et hoc aliud est causa illius [2]). Sed de hac re agendum erit ubi de causis.

THESIS IV.ª — **Formae sensibilitatis a Kantio invectae excludi debent.**

673. Praenotandum. — Aliquo sensu potest concedi quod forma in cognitione ponatur a facultate.

Et 1º eo sensu qui iam pridem declaratus fuit a S. Thoma, scil. modus quem res habet in cognoscente non est idem ac modus quem habet in se, licet *id* quod est in cognoscente sit illud idem quod est in re. 2º Praeterea cognoscens generatim non ita attingit obiectum ut ipsum *comprehendat;* sed in ipso percipit plures aut pauciores rationes (reales licet in obiecto non sint realiter distinctae) confusas aut minus confusas, aut etiam gradatim distinctas, quin tamen per hoc intellectus sit falsus; quia non dicit in obiecto esse solum has rationes, aut in eo esse realiter distinctas — apprehendit *distincte,* sed non ea esse distincta. — 3º Praeterea ex *parte modi* cognoscendi, unus potest eamdem rem cognoscere *melius* quam alius, sed non ex parte rei cognitae quia sic non cognosceret sed erraret [3]). 4º Ideo in quaest. de Universalibus dictum est *formam universalitatis* esse ab intel-

---

[1]) Cfr. Mattiussi, l. c. p. 45; Willems, op. cit. p. 285; Pesch, n. 844.
[2]) Cfr. Mercier, op. cit. n. 118.
[3]) Cfr. S. Th. I. p. q. 85. a. 7; q. 76. a. 3. ad 4m et *alibi passim.*

lectu sicuti generatim omnia entia rationis, ut iam in Log. Min. dictum est. Antiquum autem est effatum: " quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur „ sed ut poculum non corrumpit naturam vini quod in ipsum infunditur, ita nec facultates animae nostrae mutant naturam rerum quas apprehendunt, nec eas corrumpunt in sua forma, sed potius dant *modum* nobiliorem [1]).

674. Probatio. — *Excluduntur formae sensibilitatis.* — Essent *spatium* et *tempus:* sed utrumque est reale, finitum, externum et non subiectivum, ut conscientia omnibus testatur. Ergo excludendae sunt formae sensibilitatis a Kantio invectae.

675. Obiectiones. — **Ob. 1.ª** Ut percipiatur obiectum materiale, ait Kant, debet referri ad situm extra percipientem; ut percipiatur mutatio debet referri ad successionem. Ergo spatium et tempus praesupponuntur experientiae, non possunt esse eiusdem obiectum.

Resp. *D.A.* Corpus refertur ad locum, et mutatio ad tempus, quia haec sunt in obiecto et semper comitantur omne extensum et omnem motum *C.A.;* quasi hoc proveniat ex necessitate subiectiva cognoscentis *N.A.* - *N.C.* - Quid diceres, si quis argueret: Nihil possum apprehendere, quin ei tribuam aliquem modum essendi: ergo rationi entis non respondet quidquam reale, sed ea est pura forma subiectiva? Rideres, et diceres: Ideo tribuo, quia in omni re, quamcumque percipiam, est communissima ratio entis, non quia ipsa in me prius sit. — Secus eadem ratione omnes conceptus deberent esse innati [2]).

Ob. 2.ª *Instat Kant.* — Tempus et spatium sunt infinita, aeterna, necessaria, universalia; etsi labatur orbis manebunt etc. etc.!

Resp. Kant lusu imaginationis decipitur, confundit spatium et tempus reale cum possibili et immaginario, turpiter ignorat non posse haberi tempus reale sine reali motu quem mensuret, spatium reale sine corpore quod circumscribat. Spatium non est *unum* (semper finitum, ut finita sunt corpora) nisi in quantum

---

[1]) Cfr. supra tract. *de Veritate* n.

[2]) Cfr. Mattiussi, l. c. p. 49; Pesch, op. cit. n. 843; Mercier, n. 142.

considerantur omnes dimensiones, non attenta substantiarum corporalium distinctione; neque *unum* est tempus nisi quatenus mensuratur a quodam supposito primo motu uniformi et continuo, cui omnes motus coexistunt [1]).

Ceterum cur pari ratione non ponit esse formas a priori *colorem, sonum, resistentiam* . . . ? Cur forma spatii et temporis modo sic, modo aliter applicatur, ut dicamus montem altum 1000 passus, collem 50; avem volare, lapidem iacere? [2]).

THESIS V.ª — Noumena sunt cognoscibilia; imo, nisi sibi contradicat, ipse Kant debet ea agnoscere ut talia.

676. Probatur 1ª pars. — Posset negari cognoscibilitas noumenorum si: 1º ad omnem cognitionem requireretur *intuitio* obiecti, et 2º non haberetur alia intuitio quam sensitiva. Atqui utrumque est falsum. Ergo noumena sunt cognoscibilia.

Pr. m. per partes. — 1º. Non ad omnem cognitionem requiritur intuitio; nam quando duo sunt invicem connexa propter aliquam convenientiam aut relationem, ille qui cognoscit unum eorum, hoc ipso venit in aliquam cognitionem etiam alterius, prout scil. dicit habitudinem ad primum. Atqui plura sunt invicem intime connexa. Ergo qui unum eorum intuetur, hoc ipso, *sine eius intuitione,* aliquo modo cognoscit alterum. — Sic v. gr. etsi immediate non intueamur essentias rerum, hae tamen manifestantur per proprietates, quae necessario, semper et ubique cum illis sunt connexae, proprietates autem cognoscuntur per actus. Ergo non ad omnem cognitionem requiritur intuitio.

2º. Praeter intuitionem sensitivam habetur intuitio intellectiva longe excellentior. Nam, ut aliquo modo declaratum est in quaest. de Universalibus, et iterum declarabitur in quaest. de Intellectione, intellectus passivus ope intellectus agentis accipit ab obiecto sensibili formam intelligibilem, qua determinatur ad concipiendam aliquam rationem *realem,* quae *realiter* est in re, licet in re sit alio *modo* ab eo, quo est in intellectu. Sic primo

---

[1]) Cfr. *ibid.* Ceterum plenior harum cavillationum confutatio reservatur *Physicae rationali,* ubi genuinae temporis et spatii notiones vindicabuntur.

[2]) Cfr. Pesch, l. cit.; Willems, op. cit. pag. 285 et fusius p. 175.

intellectus *intuetur* rationes universaliores, sed paullatim apprehendit rationes magis determinatas, varias relationes inter diversa obiecta et tandem notiones magis reconditas. Primis autem conceptibus apprehensis, statim exurgunt prima principia, v. gr. ex conceptu entis, cui repugnat ratio opposita, mox habetur principium contraddictionis: eo quod experientia ostendit partes adunari ad aliquod totum faciendum, intellectus, perceptis rationibus totius et partis, affirmat: " totum aequat partes simul sumptas, et excedit quamlibet earum „ ; ex mutationibus, in quibus aliquid cessat et aliquid remanet, habentur conceptus substantiae et accidentis, actus et potentiae, etc. [1]).

Probatur 2ª pars. — *Noumena debent dici ab ipso Kantio cognoscibilia,* secus: 1° quo iure, quave ratione ponit *tres facultates* cognoscitivas, et in eis bene *septemdecim formas a priori,* praeter schemata? cur ponit *x* externum excitativum potentiarum? cur ponit *Ego* esse veluti fontem, unde emanet quidquid videmur percipere?

2° *Noumenon* existitne, annon? Si non existit, corruit a fundamentis theoria Kantiana, quae innititur in relatione *noumeni* suppositi cum phaenomeno. Si existit, quomodo poterit distingui veritas supposita theoriae Kantianae a suis contrariis,[2]) si a nobis non potest cognosci?

3° Si verum esset nullum noumenon esse nobis cognoscibile, qua ratione Kant oppositionem statuit inter cognitionem noumenorum experientiae, et cognitionem realitatis metaphysicae? Forte quia noumena experientiae sunt nobis pervia et cognoscibilia? Tunc cadit statutum principium; tunc vero ex reali empirico, quod non est extra ambitum nostri intellectus, cur non poterimus ascendere usque ad habendam certitudinem noumenorum metaphysicorum, quae, ex hypothesi, sunt conditio necessaria ad existentiam priorum?

4° Ceterum quis non videt Kantium non distinxisse nec

---

[1]) Cfr. Mattiussi, op. cit. p. 40-44.

[2]) Cfr. Pesch, op. cit. n. 841; Willems, l. c. De Maria, *Philosophia Peripatetica-Scholastica* Vol. 2° P. 2ª q. IV. a. 4., E. Boirac, L'*Idée du phenomène.* Alean 1894, pp. 33-35.

definivisse characteres sensuum et intellectus, indeque perpetuo confudisse sensationem, perceptionem sensilem et notionem abstractam ? [1])

THESIS VI.ª — **Categoriae Kantianae reiiciendae sunt ; item schemata et ideae reiiciuntur.**

677. **Probatur 1ª pars.** — I° **Ratione fundamenti cui innituntur.** — Nam 1° Primum studium et prima divisio debet fieri de ente et non de nostris cogitationibus. 2° Etsi quis velit attendere conceptus, et non res, prius debent ordinari conceptus *incomplexi,* quia iudicium supponit elementa unienda. 3° Modi iudicandi habent plus de intentionali, quia forma iudicii est actus mentis. 4° Iudicia potius dividenda sunt ratione varii subiecti quam ratione praedicati. 5° Confunduntur praedicamenta cum praedicabilibus . . .

II° **Ratione ipsius divisionis,** quae hinc abundat, inde est deficiens.

A) Abundant : 1° *causa, effectus, accidens* quia non sunt univoca.

2° *Existentia* et *non-esixtentia* eadem ratione (ex ente) et quia iudicium assertorium reducitur ad affirmativum.

3° *Possibilitas, impossibilitas, necessitas, contingentia* quia sunt modi qui possunt applicari enti in quantum est ens, et etiam quia iudicia modalia non sunt primitiva, sed possunt reduci ad categorica.

4° *Limitatio,* quia iudicium infinitum est affirmativum.

B) Deficiunt : *quando, ubi, situs, habitus* . . . quae vere praedicantur.

III° **Ratione malae ordinationis et interpretationis:** nam *substantia,* quae est maxime absoluta, ponitur in 3ª classe sub relatione ; *quantitas* ponitur primo loco ; *actio* et *passio, causa* et *effectus* ponuntur sub relatione, licet nullum ex his sit relatio ; *accidens* ponitur sub relatione, quasi omne accidens esset relativum ; *relatio,* ut describitur, non est praedicamentum, quia dicit transcendentalem habitudinem inter actum et potentiam.

IV° **Ratione finis propter quem construuntur.** — Ponuntur

[1]) Cfr. Mercier, l. c. n. 144 ; Pesch, l. c.

enim ut sint normae et veluti leges, secundum quas sensationes reducuntur ad unitatem conceptus. Sed 1° quomodo hoc praestabunt, si non cognoscuntur? quomodo cognoscuntur, si de se sunt *vacuae,* et *noumena,* quae non possunt a nobis attingi? 2° Aut repraesentant quod possum accipere ex rebus, et sunt frustra; aut non repraesentant, et tunc non inserviunt nisi ad hominem illudendum. 3° Etsi darentur, quaenam ratio est cur sensationibus applicetur una potius quam alia categoria? cur omnes homines aequali modo? num hoc faciunt ex caeco instinctu, contra ipsam cognitionis naturam?

Probatur 2ª pars. — **Corruunt ex se schemata,** eo ipso quod idem Kant, eorum inventor, ad eorum defensionem non valuit dicere, nisi illa esse vim quandam animae nostrae insitam, cuius verum sensum difficulter possemus intelligere! . . . quis, horum schematum conscientiam habet? quis potius ex dictis non videt ea gratis confingi ad complicandam elaborationem mentis nostrae, ut sic perveniat ad cognoscendum *nihil* realitatis? [1])

Probatur 3ª pars. — **Ideae Kantianae:** si sunt *vacuae* quomodo possunt cognosci et distingui inter se? si non cognoscuntur, quomodo possunt dirigere rationem? si sunt innatae, et omnes ineluctabili illusione afficiunt, quomodo dari possunt sceptici, athei? . . . quomodo conscientia non testatur eas? . . .

678. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Finis et terminus, ut dirigens actionem, debet esse ante actionem. Sed tres ideae sunt finis et terminus syllogismi (vel categorici, vel hypothetici, vel disiunctivi). Ergo tres ideae debent esse in ratione prius, seu a priori.

Resp. 1°. Argumentum nimis probaret: nam probaret semper conclusionem cognosci debere ante argumentationem, ideo haec esset prorsus inutilis.

Resp. 2°. Finis et terminus debet esse ante actionem in intentione *C.* semper etiam in executione *N.* [2]).

---

[1]) Cfr. De Mandato, *Log.* n. 207; Willems, op. cit. l. cit. p. 27 et 40 in notis, et p. 285. Cfr. etiam Mattiussi, op. cit. p. 90.

[2]) Cfr. Cantoni, l. cit. p. 360; Mattiussi, l. c, p 90; Willems, op. cit. p. 286; Turner, op. cit. pag. 483.

Resp. 3°. *Retorqueo argum.* Terminus actionis est id quod fit per actionem; sed ex Kantio, tres ideae sunt termini argumentationis: ergo fiunt per argumentationem, et non sunt in ratione a priori.

THESIS VII.ª — Ratio practica Kantii nihil salvat.

679. Probatur. — I° Ratio *speculativa* et *practica* non sunt duae potentiae, sed solum duo modi essendi eiusdem potentiae. Ergo utraque subditur eidem legi; aut ergo utraque inepta est ad aliquid cognoscendum supra phaenomena subiectiva, aut si ponitur rationem praticam posse percipere *ut in re est* obligationem moralem, tunc aliqua *res in se* (Ding-an-sich) est cognoscibilis: et ideo a *pari* etiam alia *noumena,* v. gr. causa, substantia, accidens... Si reponis hoc esse impossibile, quia, cum deest *materia phaenomenalis*, mens est sine obiecto, quia forma sola est vacua..., invenias, quaeso, materiam phaenomenalem huic obligationi morali, huic "*imperativo categorico*„ secus et ipsum est vacuum, subiectivum, incognoscibile ut alia noumena.

II° *Alio modo:* Illa ratio universalis et necessaria, quae manifestatur per concreta et particularia, est a *priori* in subiecto: sed obligatio moralis nobis manifestatur per actus voluntatis concretos et particulares. Ergo est in nobis a *priori* et sic subiectiva; saltem dubie obiectiva ut alia noumena.

III° Ceterum subiice analysi hanc moralem obligationem: quid inde erues? *relationes* inter actum liberum et finem voluntati praescriptum: *causas finales, principium causalitatis* etc. Sed omnia ista pertinent ad categorias; sunt subiectiva: ergo subiectivum est etiam id, quod iis constituitur "*imperativum categoricum*„ [1]).

IV° *Breviter* (est enim res in ethica tractanda). 1° Obligatio moralis est *noumenon,* ideo incognoscibilis. 2° Quis obligetur ad servandam obligationem difficilem propter ideam abstractam officii, obbligationis, humanitatis? 3° Humanitas ipsa, ob quam agendum esset, est noumenon incognoscibile; certe ut abstracta non existit, concrete invenitur in me, non habeo superiorem, facio quod lubet — sic divinizatur homo. — Aliunde qua via

[1]) Cfr. Mercier, l. c. n. 143.

deducam existentiam Dei si moralis ab Ipso est independens, si principium causalitatis non habet valorem obiectivum? quomodo probabitur immortalitas, si malum est agere intuitu praemii et beatitudinis? quomodo salvabitur libertas, si omnia phaenomena sunt determinata legibus physicis, noumena vero incognoscibilia? Quid ergo salvat ratio practica? **Nihil.** [1]).

---

[1]) Cfr. Mattiussi, op. cit. p. 54, 55.; — Willems, l. c. — Bene autem Adolfo Cellini, in *Critica e Fede nella Esegesi Bibl.*, p. 58, nota, sic scribit: "Secondo il sistema Kantiano la ragione pura si sforza di leggere il *noumeno,* cioè la cosa in sè stessa, dentro al *fenomeno:* ma dovendosi appoggiare in questa ricerca alle categorie, cui non corrisponde alcuna realtà esteriore, si perde naturalmente in paralogismi od antimonie. Si trova a mo' d' esempio, un' antimonia in queste due proposizioni: 1ª il mondo ebbe principio nel tempo ed ha limiti nello spazio *(tesi)*; 2ª il mondo non ebbe principio nel tempo e non ha limiti nello spazio *(antitesi).*

Il Kant espone gli argomenti tanto della tesi quanto dell' antitesi: e conchiude che gli uni si equilibrano cogli altri. Laonde le grandi verità che riguardano Dio, l' anima umana ecc. sono indecifrabili dalla ragione pura, e i ragionamenti che si fanno in proposito sono illusioni. La ragione pratica però, vale a dire la coscienza morale, non può dubitare di queste verità, ma è ridotta a ritenere come *postulati* indiscutibili la libertà dell' uomo, la immortalità dell' anima e la esistenza di Dio.

Or bene, soggiunge Ausonio Franchi (che nello stremo di sua vita divenne strenuo oppositore di quel medesimo Kantismo cui per lungo svolgere di anni aveva calorosamente difeso), "*postulare* sul serio l' esistenza di Dio, quando si è dimostrato che Dio con la sua esistenza è un abisso di contraddizioni: *postulare* la libertà e l' immortalità all' anima, quando si è dimostrato che l' anima è un ente immaginario: non è egli in verità un *postulare* che la filosofia si volga in commedia? e che la ragione si riduca da per sè, a bello studio, in istato di pazzia ragionante? Certamente chi ragionasse così in ogni altra materia, nelle occorrenze della sua vita privata, domestica, civile sarebbe tenuto da tutti, e dai criticisti sopra tutti, per un demente da raccomandarsi alla psicojatria e al manicomio, e dovrassi invece ammirare per eminentemente scientifico e superlativamente filosofico il ragionare così in materia di metafisica e di psicologia? Sarebbe stoltezza ridicola il commettere a ragionamenti così ben *postulati* un interesse di pochi soldi; e sarà filosofia sublime il subordinare ad essi le verità più importanti, più essenziali e più necessarie alla vita morale e sociale dell' uomo?„. *(Ultima Critica* Milano 1889-91 vol. 2 p. 430). E altrove (vol. 1. pag. 59) il medesimo autore avea detto, a proposito della distinzione Kantiana tra la ragione pura e la ragione pratica: "Sono due ragioni così profondamente diverse nei loro atti, che dovrebbero dirsi anche specifica-

680. Conclusio. — Optimo igitur iure P. T. Pesch. (n. 840-43) vocat Criticismum Kantianum falsum et absurdum, " tum quoad consilium, quo crisis rationis instituitur, tum quoad fundamenta, quibus haec crisis superstruitur, tum quoad terminum ad quem per crisim perventum est „. — Voluit enim ratione transcendentaliter illusa, eiusdem rationis criticam amplissimam instituere, finxit monstrum cognitionis horrendum, multiplicavit formas in subiecto, cuius obiectivam existentiam ignoramus, ut hoc posset ineluctabiliter decipi putando suis perceptionibus respondere realitates externas, quas affirmando illegitime transcendimus, excedimus limites nostro intellectui praefinitos; voluit manere scientias physicas, destructis omnibus iis, sine quibus nullo modo quaevis scientia est possibilis. Tandem sua " *Critica rationis practicae* „ construxit remedium ineptissimum iis omnibus, quae corruperat [1]).

Quid restabat? Ut haereret miserabiliter in iis omnibus, quae voluit refutare. Haesit autem: 1° *in Dogmatismo,* quia ante suam " *Criticam* „ et dum eam faceret, fisus est suis facultatibus; postea vero iratus est vehementer quod aliqui ausi sint contradicere *illi,* qui fatebatur suis conceptibus, iudiciis, ratiociniis non inesse vim obiectivam. Caeco instinctu subiectivo ipse loquitur: sileant omnes et proni venerentur novum Copernicum!

2° Haesit in *Idealismo:* quia *realitas, existentia, principium causalitatis* etc... sunt *categoriae* subiectivae.

3° Haesit in *sensualismo Lockii,* quia ponit nullam haberi cognitionem sine elemento sensibili.

4° Incidit tandem in *Humei scepticismum,* quem sibi propo-

---

mente diverse nella loro essenza: giacchè si ammette fra l' una e l' altra ragione, una differenza assai maggiore di quella che abbiano mai concepita gli scolastici fra i vari atti di una facoltà, ed eguale a quella che essi riconoscono fra le facoltà più disparate, per es. fra il senso e l' intelletto, o fra l' intelletto e la volontà. E pure i Kantiani sono fra i più accaniti a malmenare i poveri scolastici per le loro distinzioni e divisioni delle facoltà mentali! O non è veramente il caso di coloro che vedono la festuca negli occhi altrui, e non sentono il trave negli occhi propri? „.

[1]) Cfr. Pesch, l. c.; Willems, Mattiussi, et alios quos saepius supra indicavimus, unde etiam plura desumpsimus.

suerat specialius refutandum: non enim potest explicare an et quomodo formae nostrae mentis sint rebus conformes: imo omnia, quae cognoscuntur sunt ex solo subiecto. Respondetne aliquid extra? Nescio, ignoro, ignorabo, debeo ignorare. Quid percipio? impressiones, somnia: ipse Ego, qui sommiare videor, quidni et ipse in vanum somnium resolvar? Ideo Kant in hoc praestat scepticis, quod ii sine crisi desperant de certitudine: Kant per laboriosissimam crisim confirmatur in sua desperatione. Et hunc Modernistae ut parentem suspiciunt, ut ducem sequuntur, ut in foveam profundissimam simul labantur et in lutoso coeno demergantur!! — Gloriosum est Veritati, tales habere adversarios!

QUAESTIO QUARTA.

De Systemate Immanentiae.

681. Introductio. — Systema Kantianum, ut modo dictum est, logice ad negationem verae cognitionis et ad scepticismum adducit. Sic plures, Kantii admiratione capti, ad purum *subiectivismum* devenerunt: alii *inadaequate* eius doctrinae adhaerentes, media via consistunt, et novam theoriam, quam vocant *Immanentiae* in medium afferunt[1]). Hi statuunt ex natura subiecti eruendam esse, si non integram, certe praecipuam rationem diversorum actuum, ad quos idem subiectum, sive in ordine intentionali, sive in ordine reali, est in potentia, in ordine naturali et in ordine supernaturali; scil. attendendum est ad quid natura aspiret, quomodo hac et illa re afficiatur. Sic v. gr. ordo supernaturalis probatur ex eo quod anima recta ad illum

---

[1]) Cave ne confundas cum hac modernistarum, immanentiam sensu *Scholasticorum,* qui diviserunt actionem in *transeuntem* et *immanentem; prior* est actio quae terminatur ad aliquid externum, ut actio sartoris ad vestem, *secunda* est actio quae manet (in-manet) in subiecto agente, ut respiratio, vegetatio, cognitio, quia non producunt aliquod operatum quod sit extra subiectum. — Omnino alius est sensus ad quem vocem Immanentistae detorquent.

tendit, Dei existentia immanet animae bene ordinatae, ab ea *sentitur,* licet non possit apodictice probari ; eadem doctrina secundum diversas dispositiones subiectorum poterit demonstrari et non demonstrari.

Horum aciem ducunt Blondel, Ollè Laprune, Fonsegrive, Laberthoniere [1]), qui, confundentes influxum *directum* et *indirectum,* quem voluntas habet in actum cognitionis, eo quod experientia testatur cordis munditiem et animi rectitudinem conferre ad claritatem intellectionis et ad puritatem fidei, volunt quod cognitio veritatis pendeat totaliter aut partialiter *directe* a voluntate [2]). Consequenter, iuxta illud Ollè-Laprune *" Il faut aller au vrai avec toute son âme „ ;* veritas fluctuat, est *relativa* ad gradum culturae, ad vitam, studia, affectus, indolem, tempora cuiuscumque individui. Et, cum ratio *obligationis,* regula *moralitatis,* dogmata revelata etc. sint quaedam vera, horum determinatio et probatio pendebit magna ex parte a subiecti dispositione et mentalitate et gradu evolutionis modernae. Ex hac theoria, quae recte vocari potest cum Mercier [3]) *Pragmatismus anti-intellectualista,* plures perniciosissimi errores oriuntur [4]), quorum duo sunt nobis hic refutandi, scil. qui respicit *Veritatis naturam* et qui ponit *Primatum voluntatis* seu Philosophia actionis.

THESIS I.a — Theoria Immanentiae corrumpit cognitionem intellectivam, tollit veritatem, hoc ipso quod eam ponit relativam et mutabilem, et reddit impossibilem demonstrationem efficacem.

---

[1]) Hi sunt veluti patriarchae modernistarum, quos nunc temporis bene multi cuiusque ordinis *eruditorum* plus aut minus conscii sequuntur, nec desunt qui psittaci more recoquunt audita. Eminent inter hos Semeria, Buonaiuti etc.

[2]) *Directe,* inquam ; nam, si dicerent voluntatem ad cognitionem influere solum *indirecte,* non se opponerent iis quos, non sine magno despectu, Intellectualistas vocant.

[3]) *Critériol.* nn. 83, 89.

[4]) Cfr. de hac re P. Mattiussi, *Il Veleno Kanziano,* III, p. 110-114.... ubi exposita et nervose refutata admiraberis nova errorum monstra quae ad negationem supernaturalis et apologeticae, et ad pantheismum logice conducunt.

682. Probatur 1ª pars. — De ratione cognitionis, et maxime cognitionis intellectivae, est facere quod cognoscens, praeter formam suam, qua physice est hoc ens, habeat apud se modo vitali et intentionali etiam formas aliorum quales entitative sunt in rebus [1]). Illa ergo theoria, quae ponit formas rerum non esse *repraesentative* in intelligente quales sunt entitative in rebus, corrumpit cognitionem. Atqui hoc ponit theoria immanentiae. Ergo theoria immanentiae corrumpit cognitionem intellectivam. — Primum antec. est evidens ex ipso conceptu cognitionis. Consequentia patet. *Minor subs. probatur.* Immanentia aut accipitur *adaequata* et *perfecta,* aut *inadaequata* et *imperfecta.* Iam vero *adaequata,* cum omnia quae respiciunt formam trahat ex natura subiecti, funditus destruit quamlibet cognitionem, ut contra Kantium diximus [2]); *inadaequata* statuit quod a nobis non cognoscitur nec res quae est extra secundum suam naturam et proprietates, neque sola forma subiectiva, sed aliquid tertium resultans ex re et ex variis determinationibus quae constituuntur a dispositionibus, charactere, indole subiecti. Atqui hoc tertium, ut patet, non repraesentat entitatem rei. Ergo theoria immanentiae ponit quod formae rerum non sunt in intelligente *repraesentative* quales sunt in re *entitative* [3]).

Probatur 2ª pars. — Ut dictum est in quaestione de Ve-

---

[1]) Cfr. S. Thom. I. p. 14. a. 1.

[2]) Sic homo conderet leges naturae: quod, si intelligitur eo sensu quod *nullam realitatem* cognoscimus, ducit ad *agnosticismum* et *scepticismum;* si accipitur quasi ex natura mentis nostrae possimus reales dispositiones rerum deducere, aut tollit omnem certitudinem, aut insuper, quatenus ponit unitatem naturae inter disparatissima, et animam esse talis perfectionis entitativae et operativae ut possit sumi ut regula universi, ducit ad *pantheismum.* — Cfr. Mattiussi, l. c. p. 174.

[3]) Post ea quae de Universalibus dicta sunt, vix necesse est notare quod pugnamus contra Immanentistas quatenus sustinent *id quod* concipimus non esse in re tale quale concipitur a nobis; si enim dicerent *modum* quo res concipitur non esse eundem ac illum quem habet in se, essent nobiscum et cum Aristotele et S. Thoma et omnibus Scholasticis, et sic de Immanentia iterum dicendum cum Manzoni: " Quello che essa ha di nuovo non è vero, quello che ha di vero non è nuovo „. Cfr. Ballerini, in *Scuola Cattolica,* Gennaio, 1908.

ritate, tunc intellectus dicitur verus quando dicit esse quod est et non esse quod non est; ut docet Philos. 4 *Met.* textu 27, dicens quod verum est ens esse et non ens non esse [1]). Atqui intellectus Immanentistarum non dicit esse quod est et non esse quod non est, sed affirmat solum aliquid quod hic et nunc tale apparet secundum praesentes dispositiones subiecti, ita ut alicui alteri nunc, et illi ipsi alio tempore et in aliis adiunctis sit possibile affirmare de eodem subiecto praedicatum diversum et etiam oppositum primo. Ergo theoria immanentiae tollit veritatem hoc ipso quod eam ponit mutabilem. — Ideo, ut bene alicui eorum proposuit P. Mattiussi [1]), in fronte suorum operum auctores immanentistae deberent scribere se ibidem contenta ita asserere ut nesciant an crastina die sint mutanda, nesciant an res sic se habeant. At vae tibi si illis obsistas. Nesciunt quid sit verum, sed aliquid, imo plurima affirmant audacissime: hoc sufficit ut omnes nescientibus assentire debeant, parati in crastinum mutare sententiam.

683. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Per intellectionem id quod intelligitur est in intellectu per modum intellectus, quia quidquid recipitur per modum recipientis recipitur. Sed modus intellectus est mutabilis, varius, relativus ad varias conditiones, ad maiorem aut minorem culturam etc. Ergo etiam quod intelligitur erit in intellectu ut mutabile, varium et relativum.

Resp. *D.M.* per modum intellectus, i. e. non materialiter *C.M.* per modum intellectus i. e. ita ut ex diversa conditione intellectus mutetur *res ipsa* quae intelligitur *N.M.* — *D.m.* Modus intellectus est mutabilis quatenus intellectus potest transire de nescientia aut ignorantia ad scientiam, et viceversa *C.m.;* quasi possit cum veritate cognoscere aliquam rem in se non mutatam ut existentem modo sic, postea aliter *N.m.* — *D.C.*

---

[1]) Cfr. Ferrariensem, in C. G. I. cap. 59, ubi praeter multa alia, de veritatis definitione ait: " Tam ad veritatem rei potest pertinere quam ad veritatem intellectus; nam res dicitur vera secundum quod adaequatur intellectui; et intellectus dicitur verus, secundum quod est rei adaequatus, quia scilicet ita est in re sicut dicitur et intelligitur per intellectum..... „.

[2]) Cfr. Mattiussi, *loc. cit.*

Quod intelligitur erit in intellectu mutabile ex parte *modi* quo intelligitur *C.C.* ex parte *rei* quae intelligitur *N.C.* [1]).

Ob. 2ª. *Atqui* modus intellectus est mutabilis ita ut eamdem rem cognoscat modo diverso diversitate se tenente ex parte rei. Ergo est variabilis simpliciter.

Prob. m. sbs. Rebus quas dicimur intelligere, applicamus nunc has, nunc illas *categorias.* Sed hae et illae categoriae important in intellectu diversitatem, quae se tenet ex parte rei. Ergo intellectus est mutabilis ita ut eamdem rem cognoscat modo diverso diversitate se tenente ex parte rei [2]).

Resp. *D.M.* Applicamus categorias subiectivas sensu Kantiano, vel etiam eamdem rem collocamus in diversis praedicamentis *simpliciter N.M.;* applicamus seu tribuimus diversos gradus metaphysicos, secundum quod eamdem rem magis aut minus distincte cognoscimus *Sbd.* qui gradus sunt diversi, ea solum diversitate, quae est inter id quod videtur clare et id quod videtur obscure, explicite aut implicite *C.M.;* qui gradus sint oppositi et primus non inferat secundum *N.M.* - *Cdm.* - *N.C.* — Numquid tu, si prius cognovisti aliquem sub conceptu viventis, aut animalis, quando postea, melius attendens, illum etiam distinguis ut hominem et talem hominem, ut tuum amicum etc. — recedis a tua prima cognitione, ut dicas v. gr.: hic meus amicus non est vivens, non est animal, non est homo, non est hic homo, sed est meus amicus? Certe non; sed omnes has rationes (voca *categorias,* si placet confundere sensum verborum *ad claritatem!)* uni eidemque tribuis, quam prius minus bene, nunc perfectius (subiective) cognoscis. Quo melius aliquid consideramus, eo plura de eo distinctius cognoscimus; sed, si prius de uno aliquid apprehendimus et deinde de eodem apprehendimus oppositum, aut prius aut nunc certissime decipimur, et *veritas in nobis non*

---

[1]) Res est manifesta ex dictis *de Universalibus* et de *Veritate:* ceterum ponas atramentum in theca calamaria mea et tua, quae sunt diversae formae. Quaero abs te: atramentum ex hoc estne aliud in mea et tua? mutavitne suam intrinsecam naturam quia quidquid recipitur per modum recipientis recipitur?!

[2]) Semeria, *Dogma, gerarchia e culto,* lett. 16.

est: errabant veteres, qui ponebant terram immobilem, errat bubulcus, qui iudicat solis magnitudinem aequare circuitum urbis Londini.

Ob. 3ª. *Atqui* eidem rei ex diversitate intellectus possunt tribui opposita. Ergo modus intellectus in cognoscendo est mutabilis mutabilitate se tenente ex parte rei.

Pr. m. sbs. Diversa limitatio intellectus et conditiones diversae suadent, et experientia docet quod eadem res ab eodem posito in diversis adiunctis, et a diversis etiam simul, iudicatur bona vel mala, pulchra aut foeda... juxta illud: " *Unusquisque iudicat prout afficitur* „. Sed bonum et malum, pulchrum et foedum sunt rationes oppositae. Ergo eidem rei ex diversitate intellectus possunt tribui opposita.

Resp. *D.M.* Varia limitatio intellectus suadet idem posse apprehendi ab uno clarius, ab altero confusius *C.M.;* posse idem apprehendi v. gr. ut *panis* et ab alio ut *caro N.M.* — *Pariter.* Experientia constat.... — quod haec iudiciorum diversitas accidat in primis iudiciis evidentissimis et facillimis *N.M.;* in iudiciis remotioribus *Sbd.* et tunc solum alteruter possidet veritatem *C.M.;* uterque *it. sbd.: simpliciter N.M. secundum quid,* i. e. secundum id in quo conveniunt *C.M.* — *C.m.* — *D.C.* — errando *C.C.* dicendo verum *N.C.*

Ob. 4.ª *Atqui* veritas absoluta numquam haberi potest. Ergo eidem possunt tribui a diversis opposita.

Pr. m. sbs. Veritas absoluta quam *Intellectualistae* definiunt " *Adaequatio intellectus et rei* „ posset haberi, si intellectus humanus posset revera adaequare aliquam rem. Sed hoc est omnino impossibile. Ergo veritas absoluta numquam ab intellectu humano potest haberi.

Resp. *D.M.* Veritas est adaequatio, qua intellectus vere et realiter aliquid conceptum de re, illi tribuit quia illi competit *C.M.* veritas est adaequatio ita quod ad veritatem habendam debeat funditus cognosci quidquid quomodocumque est in re *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* — Adversarii perpetuo confundunt *apprehensionem* cum *comprehensione.* Supponunt etiam rem quamcumque esse infinitam in sua perfectione, ita ut non possit exhauriri. Quod si dicerent a nobis non cognosci intimam rationem alicuius individui,

qua hoc individuum est, antiqui Scholastici iam id praeclare docuerant, cum dicerent individuum a nobis cognosci *indirecte*, et per *quamdam* reflexionem, quatenus naturam universalem consideramus ut in aliquo singulari existentem [1]).

Ob. 5.ª Tamen sensus communis philosophorum dicit veritatem esse relativam. Ergo veritas relativa est admittenda.

Resp. *D.A.* Sensus communis philosophorum Kantiana tabe mortaliter infectorum *C.A.* sensus communis philosophorum veri nominis *Sbd.* aliquo sensu *C.A.* simpliciter *N.A.* — *N.C.* — Veritas relativa potest concedi: 1º quatenus unus eamdem rem intelligit clarius alio; 2º in una re aliquis plura, aliquis pauciora cognoscit; 3º eamdem conclusionem unus cum certitudine, alter opinative cognoscit; 4º quatenus cognitio alicuius rei est proportionalis motivo, facultati, lumini, applicationi ac diligentiae, adiunctis magistrorum, sodalium etc. [2]).

684. Probatur 3ª pars. — I. Efficacitas demonstrationis, ut ex dictis in Logica Minori apparet, et melius apparebit ex iis, quae de demonstratione dicturi sumus, pendet ab efficacia praemissarum. Atqui in theoria Immanentiae, efficacitas praemissarum nulla est, quia propositiones quaecumque non habent determinatam et fixam veritatem et sensum, sed fluentem, mobilem pro mobilitate conditionum cuiusque individui. Ergo theoria Immanentiae reddit impossibilem demonstrationem efficacem.

II. Demonstratio vere efficax debet esse talis, quae valeat pro omnibus, qui vim terminorum percipiunt. Sed, iuxta Immanentistas, eadem demonstratio pro uno valet, pro alio non valet, imo pro uno eodemque hodie potest valere et cras non. Ergo, iuxta immanentistas, redderetur impossibilis omnis demonstratio efficax.

685. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Tunc esset possibilis demonstratio valida pro omnibus, quando daretur ratio universalis, una in omnibus. Atqui nec datur, nec possibilis est unica ratio pro omnibus; quilibet enim homo *sua* ratione praeditus est. Ergo neque possibilis est demonstratio valida pro omnibus.

---

[1]) Cfr. S. Thom. I. p. q. 86. a. 1º et q. 84. a. 7. et 8.

[2]) Cfr. S. Thom. I. p. q. 85. a. 7.

Resp. *D.M.*... quando daretur ratio universalis hoc sensu quod omnes homines conveniant in habendo intellectum eiusdem naturae *specificae C.M.* hoc sensu quod unus *numerice* debeat esse intellectus pro omnibus *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* — Hanc distinctionem facile intelligit qui non prorsus ignorat quae diximus de Universalibus [2]).

Ob. 2ª. Demonstratio fit ad hoc ut convincantur adversarii. Atqui non omnes adversarii convincuntur eadem demonstratione, sed diversis, quae respondeant diversis culturae gradibus. Ergo non omnis demonstratio debet adhiberi pro omnibus, sed variare eas oportet pro varietate individuorum.

Resp. *D.M.* Ut convincantur adversarii rationales *C.M.;* etiam illi qui irrationabiliter aliquid negant *Sbd.* contra hos fit etiam argumentatio *ad hominem* ut cogantur admittere conclusionem *C.M.;* quasi hac argumentatione veritas probaretur assignando rationem *propter quid* valentem pro omni loco et tempore et cogentem omnem hominem qui vim terminorum percipiat *N.M.* — *D.m.* non omnes adversarii convincuntur eadem argumentatione *ad hominem C.m.,* argumentatione *directa Sbd.* si non intelligunt vim terminorum *C.m.* si intelligunt *N.m.* — *D.C.* variare oportet argumentationes *ad hominem,* et inter argumenta invincibilia incipere a facilioribus *C.C.;* possunt omitti argumenta apodictica quia aliqui veneno Kantiano infecti eorum vim non percipiunt *N.C.* [1]).

Ob. 3ª. Frustra laborat qui adhibet media antiqua et insueta quae iam non ducunt ad finem intentum. Sed nunc temporis veterum Scholasticorum demonstrationes sunt media antiqua, obsoleta, quae non ducunt ad finem persuadendi aliis id quod volumus. Ergo illae demonstrationes sunt amandandae in fines Thracios.

Resp. *C.M.* — *D.m.* non ducunt ad finem persuadendi alios qui non recte ratiocinantur *Tr. m.* eos qui sana ratione utuntur et naturam bonam conservant *N.m.* — *N.C.* — Diligenter adverte quod finis primarius demonstrationis est ut tu scias *pro-*

---

[1]) Cfr. Mattiussi, op. cit. pag. 196.

[2]) Cfr. Mattiussi ibid. pag. 192 et ss.qq.

pter quid (vel saltem *quia*) alicuius assertionis et rationabiliter eam firmiter ut certam admittas : deinde ut possis eamdem tradere aliis qui et ipsi videant et amplectantur propositionem sub lumine demonstrationis eiusdem ut necessariam et ab omnibus admittendam : tandem curandum est ut etiam errantes ad veritatem redeant, sed *non iuvat* amittere tempus in insequendis iis qui fugiunt, in monstranda luce iis qui oculos claudunt, ne videant : *nocet* autem *plurimum* si, ut aegris indulgeamus, iis remedia apparentia applicamus, relictis efficacibus, quia non placent. Argumenta sanae philosophiae scholasticae v. gr. ad probandum existentiam Dei, conclusiones metaphysicas et morales, apologiam religionis etc. — invicta sunt et numquam vincenda. Si non intelliguntur a neotericis, hoc accidit quia caecutiunt, aegrotant. Sed, ut non sunt proiiciendi cibi exquisiti quia febrientes eos renuunt, ut non amandantur principia astronomiae quia vulgus ea ignorat, ut non supprimitur *A.B.C.* quia pueruli id fastidiunt ; ita argumenta sanae philosophiae non amandanda, sed explicanda, illustranda ut ab omnibus quorum ingenium patitur, intelligantur. Studeat, qui ignorat, non blasphemet insipienter. Error debilis est et contra mentem, veritas contra est fortis : ad eam nascimur. Curandus infirmus, illuminandus caecus, rudis instruendus ; paullatim cibus sanus admittetur, lucem oculi videbunt, scientia mentem possidebit, et, evanescente illusione futilium argumentorum, principia rationis, argumenta apodictica, veritas absoluta aeternum stabit [1]).

THESIS II.ª — **Actus rationis quo veritatem circa aliquid apprehendimus, et actus quo apprehensis naturaliter assentimus, non pendent directe a voluntate. Hinc ut irrationalis reiicitur Pragmatismus anti-intellectualis, seu Philosophia actionis, secundum quam ad prima principia et veritates fundamentales credenda, adducimur virtutis amore, necessitate cordis et aspiratione naturae.**

Praenotandum. — Voluntaristae, potiores partes tribuunt voluntati, cuius imperio tribuunt *directum* influxum in assensum quem intellectus dat *cuicumque* veritati : eorum *Philosophia* di-

[1]) Cfr. Mattiussi, op. cit. p. 194.

citur *Actionis,* quia cognitiones omnes, aiunt, *ad actionem* sunt dirigendae, et ideo non est necesse ut res nobis manifestentur in sua veritate absoluta; sufficit ut nobis appareant sub eo respectu qui aptior sit ad dirigendas actiones nostras ad bonam et rectam obligationem (il dovere). Quaerunt argumenta quibus intellectus convincatur quod non potest ex se solo procedere in inquisitione veritatis: quod *Actio* est fons veritatis, ipsa animam ad veritatem inveniendam movet, dirigit, illuminat, et certitudinem dat. Contra hos enunciata thesis probatur per partes [1]).

686. Probatur 1ª pars. — Quod contingit per virtutem alicuius luminis vel naturalis, vel supernaturalis, a voluntate directe non pendet, nec ab ea potest imperari. Atqui actus rationis sunt huiusmodi. Ergo non pendent directe a voluntate, nec ab ea possunt imperari.

Alio modo. Ille actus, a quo aliqua facultas in sua natura determinatur, non potest *directe* pendere ab aliqua alia facultate. Atqui actus quo veritatem circa aliquid apprehendimus est actus a quo intellectus in sua natura determinatur, ut sit scil. facultas cognoscitiva rerum immaterialiter, seu repraesentans in se immaterialiter rationes diversas quae sunt in rebus. Ergo actus rationis quo veritatem circa aliquid apprehendimus, non pendet directe a voluntate.

Alio modo. Non pendet *directe* a voluntate ille actus qui est specificativus alterius potentiae. Atqui actus quo veritatem de aliquo apprehendimus, est actus specificativus intellectus. Ergo.

Vel — Nulla potentia intervenit *directe* in actum unus facultatis quando actus huius praesupponitur actui illius. Atqui primae apprehensiones praesupponuntur cuicumque volitioni, quia nil volitum quin praecognitum. E.

Praeterea. — Si intellectus in omni suo actu quo aliquid apprehendit aut alicui assentit indigeret determinari ab alio principio non per se cognoscitivo, non haberet ex sua natura

---

[1]) Cfr. Mattiussi, l. c. Primato della volontà, p. 218; — Mercier, op. cit. nn. 83, 89.

actum ullum necessarium, quo determinaretur per se ex natura cognitionis. Atqui hoc est impossibile, quia, cum contingens supponat necessarium, quaelibet facultas debet habere aliquem actum necessarium ; quod apparet in voluntate ipsa, cuius actus liber circa media supponit inclinationem necessariam ad finem a quo dependet [1]). E.

Probatur 2ª pars. — Quod est naturale non dependet ab imperio voluntatis, sed subiacet imperio naturae, quae est necessaria et determinata ad unum. Sed intellectui est naturale assentire quibusdam apprehensis, quia videt ea vel in se, vel in aliis per se visis, unde se habet ad ea secundum quod ipse. E.

Praeterea. Ad hoc ut intellectus ad aliquos actus moveatur a voluntate, hi actus debent proponi voluntati sub ratione boni, et ut perfectiones actuales consequendae per exercitium intellectus. Atqui ad hoc praerequiritur ut intellectus iam assenserit primis principiis, supra illa reflexerit, ea bona et desiderabilia iudicaverit etc. Ergo actus, quo primis principiis naturaliter apprehensis assentimus, non pendent directe a voluntate [2]).

Insuper. Si intellectus manet qui est, natura sua maxime determinatus erit ad cognoscendam rationem entis, et simul cum hac eas rationes quae cum ipso, utpote maxime transcendentales eiusdem proprietates, necessario connectuntur. Sed ex iis oriuntur prima principia. Ergo intellectus, natura sua, est maxime determinatus ad cognoscenda et asserenda prima principia, sine interventu alterius potentiae. Ideo S. Th. 2. 2.ae q. 1. a. 4. : " Assentit autem intellectus alicui dupliciter : uno modo quia ad hoc *movetur ab ipso obiecto,* quod est per seipsum cognitum, sicut patet de principiis primis, quorum est intellectus ; vel per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab obiecto proprio, sed per quamdam electionem, voluntarie declinans in unam partem, magis quam in aliam, et si quidem hoc sit cum dubitatione et formidine alterius partis erit opinio ; si autem cum certitudine, absque tali formidine,

---

[1]) Cfr. Mattiussi, op. cit. p. 242.

[2]) Cfr. ibid. p. 241.

erit fides „. Et 2. 2ae, q. 2. a. 9 ad 2m " Assensus . . . scientiae non subiicitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis „.

Probatur 3a pars. — Io Irrationalis est theoria quae pro se nullum solidum argumentum potest afferre. Atqui theoria *Pragmatismi,* seu *Philosophiae actionis* nullum pro se argumentum solidum adducit. Ergo est irrationalis.

Pr. min. Argumenta pro asserta theoria sunt eadem ac Kantiana, licet attemperata, quae iam refutavimus — esse incertam obiectivitatem iudiciorum abstractorum, non omnes iisdem rationibus convinci, veritatem esse relativam et alia huiusmodi. — Sed haec, ut diximus, nulla sunt. Ergo Pragmatismus nullum pro se argumentum affert.

IIo Qui vult philosophari non debet contentari solo affectu, sed debet intellectu discurrere, ita ordinare principia et consequentias, ut tota constructio solidis fundamentis innitatur. Debet v. gr. inquirere cur et quomodo homo sit honestus, a quo rectitudo mensuretur etc. — Sed qui operi intellectus non fidunt, his quaestionibus non possunt respondere modo, qui respondeat naturae rationali. Ergo irrationaliter procedunt.

IIIo Si *actio, praxis* scientia non ordinantur, si cognitio finis et legis non est certa, carent fundamento. Sed praescriptionibus moralibus quae sine fundamento sunt, quilibet humano more agens, recte potest se subducere. Ergo si actio, praxis, lex moralis etc. non ordinantur scientia, poterunt homines iure ab iis se subducere, vitam honestam, christianam negligere, et libitum pro lege sibi statuere [1]).

687. Obiectiones. — **Ob. 1a.** Conscientia testatur quod nos plus aut minus conscii sequimur voluntatem. Sed conscientiae testimonium est irrefragabile. Ergo nos sequimur voluntatem.

Resp. *D.M.* Conscientia testatur nos sequi voluntatem rationalem in omnibus *N.M.* (plura enim agimus ex instinctu, appetitu naturali); in pluribus *Sbd.* in admittendis primis principiis et in primis et maxime naturalibus actibus intellectus *N.M.;* in admittendis conclusionibus remotioribus *iter. sd.* si sunt con-

---

[1]) Cfr. Mattiussi, l. c. § III, pag. 264.

clusiones *fidei* (quae tamen praesupponit motiva credibilitatis sufficientia) *C.M.;* si sunt conclusiones *scientificae Sbd.* voluntas in has influit *indirecte,* quatenus posset removere intellectum ab exercitio sui actus *C.M.*; quasi voluntas possit directe influere in assensum, quem intellectus dat conclusioni quae ex praemissis clare descendit *N.M.* — *C.m.* — *D.C. ut. in M.* [1]).

Ob. 2ª. Contra factum non valet argumentum. Sed factum experientia quotidiana comprobatum, est quod boni, honesti, pii, qui bonae voluntatis sunt, veritatem consequuntur. Ergo omnis cognitio sana, est ex bona voluntate.

Resp. *C.M.* — *D.m.* Boni facilius, suavius, plenius, veritatem consequuntur maxime quantum ad ea quae sunt remotiora et difficiliora *C.m.* soli ipsi, ita ut excludantur omnes mali a cognitione omnis veritatis *N.m.* — *N.C.* — Qui malos excluderet ab omni veritate, prodigialiter ignoraret tot optima praecepta ab ethnicis etiam perditissimis nobis tradita : tot veritates circa naturas rerum ab antiquis philosophis repertas. Quot pulchrae sententiae in Horatio, in Seneca, in ipso Ovidio, qui columbarum nitore non fulgebant [2]).

Ob. 3ª. Illud curandum est quod prodest ad vitam recte agendam. Sed scientia nil prodest ad recte agendum, nisi ut du-

---

[1]) Cfr. ibid. op. cit. p. 242. — " Quiconque voudra s' observer avec attention pourra remarquer combien les passions et les dispositions vicieuses de la volonté influencent ses jugements ; tantôt elles détournent l' intelligence de la libre recherche du vrai, tantôt elles l' empêchent de regarder avec sérénité, avec pénétration la vérité présente à la pensée, tantôt elles distraient la volonté de son attachement aux acquisitions de la faculté intellectuelle, et par suite, empêchent ou atténuent l' attention de celle-ci a son objet. Libérer l'âme de ces obstacles à l' acquisition, à la contemplation, à la possession de la vérité, *c' est aider l' intelligence à percevoir la vérité.* Mais la perception de la vérité appartient exclusivement a l' intelligence, et le degré de fermeté positive de la certitude scientifique répond au degré de perception de la vérité. — Une certitude qui prendrait sa source dans une faculté appétitive ne serait pas digne d' un sujet raisonnable ; son vrai nom serait le fanatisme. Car, dit saint Thomas " ea quae subsunt fidei — aliquis non crederet, nisi videret ea esse credenda „. Ita Mercier, l. c. n. 89. et S. Th. 2. 2ae q. 1. a. : 3. ad. 2m.

[2]) Cfr. Mattiussi, p. 266.

citur a bona voluntate. Ergo, relicta inquisitione curiosa intellectus, satius est ut scientia utamur solum ut norma relativa ad agendum sub directione voluntatis.

Resp. *D.M.* In statu nostro praesenti praestat bene vivere *C.M.;* homini, quem Linneus recensuit sub titulo " *homo sapiens* „ est inutilis scientia quae non ordinatur immediate ad praxim *N.M.* — *D.m.* scientia de rebus secundariis, v. gr. de formicis ut scias quot sint earum extremitates etc. *C.m.* scientia de rebus principalioribus, et maxime sapientia *N.m.* — *D.C.* Satius est ut relinquamus futilia et quae ad nos non pertinent, ut insistamus iis quae maioris momenti sunt pro statu et conditione nostra *C.C.* ut diffidentes de intellectu, caece contra naturam nostram sequamur affectum *N.C.* Ceterum, si regulam moralitatis agnoscis, debes plura intellectu cognovisse : existentiam Dei, finem ultimum, libertatem, imputabilitatem etc. [1]).

Ob. 4ª. Sentimus necessitatem dirigendi nos ad finem, qui est tota ratio agendi; ipsa dogmata revelata proponuntur ut norma vivendi. Ergo omnis scientia ordinatur ad actionem.

Resp. *D. I. p. A.* quae necessitas non est illusoria, quia fulcitur rationibus intellectus *C. I. p. A.* quae non fulciatur his rationibus *N. I. p. A.* — *D. II. p. A.* Dogmata revelata proponuntur *solum* ut norma vivendi *N. II. p. A.; etiam* ut norma vivendi *Sbd.* ita ut primo proponantur intellectui ut eis adhaereat tanquam firmissimae veritati *C. II. p. A.;* ita ut *primus* finis Dogmatum credendorum sit norma practica vivendi *N. II. p. A.* — *D.C.* proxime vel remote *Tr.,* semper proxime *N.C.* Imo, ut dicit S. Thomas, " finis universi est veritas „ et beatitudo hominis in coelo consistit in contemplatione Infinitae et Immutabilis Veritatis [2]).

---

[1]) Cfr. Mattiussi, p. 272.
[2]) Mattiussi, p. 268.

QUAESTIO QUINTA.

De Opinione et Probabilitate.

THESIS I.ª — De ratione opinionis est, quod accipiatur unum cum formidine alterius.

688. Probatur. — 1° Ex ipsa definitione; vocamus enim opinionem assensum illum, quo intellectus adhaeret uni cum formidine alterius.

2° Ex oppositione eius ad certitudinem: nam " certitudo proprie dicitur firmitas adhaesionis virtutis cognoscitivae in suum cognoscibile „ (S. Th. 2. D. 26. q. 2. a. 4); opinio vero est " actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius „ (S. Th. 1. p. q. 79. a. 9. ad 4m). Ergo " de ratione opinionis est, ut quod est opinatum existimetur aliter se habere posse „ : dum contra " de ratione scientiae est, quod id, quod scitur, existimetur esse impossibile aliter se habere [1]).

689. Nota. — 1° *Opinio* opponitur *scientiae directe,* non certitudini; et certitudo dubio, probabilitati etc., non proprie opinioni etc.: sed recentiores liberius loquuntur. — 2° Formido autem, de qua sermo est in definitione, potest esse *actualis, virtualis,* vel etiam tantum *radicalis,* ut cum intellectus ponit actum, qui *cum natura* sua non sit certus, coniungi potest cum formidine, unde haec in radice habetur [2]).

THESIS II.ª — Opinio est actus elicitus ab intellectu, sed imperatus a voluntate.

690. Probatur. — Qui opinatur, assentit alicui enunciabili. Atqui assentire enunciabili est intellectus. Ergo opinio est actus elicitus ab intellectu. — Sed qui opinatur assentit enunciabili cum formidine oppositi; nam, ut vidimus, opinio est actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formi-

---

[1]) Cfr. S. Th. 2. 2ae q. 1. a. 5. ad 4.

[2]) Cfr. Remer, *De Verit.,* cap. 2, § 2.

dine alterius. Ergo non sufficienter movetur a tali enunciabili; quia si sufficienter moveretur, non adhaereret ei cum formidine oppositi. Porro si in enunciabili probabili non est sufficiens vis ad movendum intellectum, oportet dicere, quod, cum de facto moveatur (nam adhaeret enunciabili probabili), quaedam alia vis animae suppleat defectum. Hoc autem non potest esse, nisi imperium, quod est actus rationis, praesupposito actu voluntatis, in cuius virtute ratio movet ad exercitium actus [1]). Ergo opinio est actus elicitus ab intellectu, sed imperatus a voluntate [2]); scilicet intellectus ponit actum adhaesionis enunciabili probabili, quia ex eo quod ratio apprehendit talem assensum ut maius bonum in illis adiunctis, voluntas eligit hoc bonum, ex qua electione imperium sequitur [3]).

---

[1]) S. Th. 1ª. 2ae. q. 17. a. 1.

[2]) Hinc iam vides, quam falsum sit tribuere voluntati ipsi iudicium: falsum est in primis si agatur de determinanda facultate elicitiva iudicii; falsum iterum est, etiamsi intelligatur de principio movente ad assensum, quando agitur de veritate manifesta: verum tunc solum est, quando intellectus non sufficienter determinatur ad assensum a propria natura cognoscitiva. (Cf. P. Mattiussi *ibid.*).

[3]) Cf. S. Thom. 1ª. 2ae. q. 17. a. 3. ad 1m. Videas praeterea S. Thomam 2ª 2ae q. 2. a. 1. Unde bene P. Mattiussi (*Logica*, n. 128) ait: "Se per un dato giudizio non appare argomento, che lo dimostri evidente o necessario, manca in esso virtù sufficiente a determinare l' intelletto come facoltà puramente conoscitiva. Perchè allora l' intelletto vedrà che la proposta sentenza forse è vera, ma vedrà pure che forse è falsa: conoscerà la proporzione dei motivi a inclinar la mente verso quella sentenza, senza convincerla: resterà in questa cognizione, nè procederà più oltre, e tutto ciò non basta a costituire l' opinione. Ma spesso avviene che nell' assentire a quel giudizio si apprenda qualche ragione di bene, e che ad esso si porti la volontà. La quale influirà sull' intelletto *in due modi*: primo spingendolo a fissarsi sui motivi, che persuadono il sì, meno attendendo agli altri, che insinuerebbero il no. Poi ancora direttamente comanderà l' assenso, rispetto al quale il solo intelletto rimane sospeso, mentre non vedea la necessità di piegarsi, ma conosceva la necessità d' aderire per sufficienti motivi a quel giudizio. Tuttavia non si toglie con ciò la conoscenza del possibile inganno e l'assenso è determinato sì, ma come opinione „ *(aliqualiter determinatus)*.

THESIS IIIª. — 1º **Opinio alia est improbabilis, alia probabilis intrinsece vel extrinsece;** 2º **Probabilitas ipsa gradus admittit;** 3º **Potest autem quis adhaerere opinioni probabili, quamvis oppositam probabiliorem esse concedat.**

691. Declaratur 1ª pars. — Quia ad accipiendum unum prae alio, potest intellectus moveri per *motivum grave,* dignum *approbatione* viri prudentis, et tunc opinio est probabilis; vel *per motivum leve,* approbatione viri prudentis indignum, et tunc opinio est improbabilis. — Motivum autem grave, unde opinio probabilitatem habet, potest esse intrinsecum ipsi enunciabili, et tunc opinio est *intrinsece probabilis;* vel potest *esse ei extrinsecum,* ut auctoritas, et tunc opinio est *extrinsece probabilis.*

692. Probatur 2ª pars. — Nam probabilitas opinionis pendet a motivo, quo fulcitur. Atqui in motivo possunt dari gradus. Ergo et in probabilitate.

Declaratur. — S. Thomas (*I.º Anal.* l. 1º) ait: "Sicut autem in rebus naturalibus in his, quae in pluribus agunt, gradus quidam attenditur (quia quanto virtus naturae est fortior, tanto rarius deficit a suo effectu), ita et in processu rationis, qui non est cum omminoda certitudine, gradus aliquis invenitur, secundum quod magis et minus ad perfectam certitudinem acceditur. Per huiusmodi enim processum quandoque quidem, etsi non fiat scientia, fit tamen fides vel opinio vel probabilitas, propter probabilitatem propositionum, ex quibus proceditur; quia ratio totaliter declinat in unam partem contradictionis, licet cum formidine alterius. Quandoque vero non fit complete fides vel opinio (vel probabilitas), sed suspicio quaedam, quia non totaliter declinatur ad unam partem contradictionis, licet magis declinetur in hanc quam in aliam „.

Nota, quod *minor* probabilitas non *eliditur a maiori,* quia non eliduntur motiva, quorum nullum est necessarium. Et variae opiniones probabiles non opponuntur ut sic *contradictorie,* h. e. ambae enunciationes v. g. "*probabile est hoc licere* „ et "*probabile est hoc non licere* „ non opponuntur contradictoriae ut patet.

Probatur 3ª pars. – Quousque iudicium aliquod est probabile, potest esse falsum, et etiam iudicium probabilissimum potest

esse falsum. Unde neque ad tale iudicium intellectus ex necessitate determinabitur. — Ex alia parte probabilitas maior unius iudicii non destruit probabilitatem oppositi, quod ideo potest esse verum, et cui intellectus adhaerere potest. Atqui in iudicio minus probabili potest apparere aliqua ratio boni, quae in alio non est. Ergo nihil prohibet, quominus voluntas moveat ad adhaerendum opinioni probabili, quamvis opposita ut probabilior habeatur.

693. Scholion 1m — Aliud est *videre* probabilitatem alicuius iudicii; aliud *adhaerere* ipsi: porro opinio consistit in adhaesione determinata, quamvis cum formidine oppositi. Opinio autem eligitur a voluntate, quae utpote libera potest inter duo bona particularia eligere bonum minus, quod in determinato casu sub aliqua ratione est praeferibile.

694. Scholion 2m — Opinio potest ita esse probabilis, ut imprudens omnino sit adhaesio contrariae sententiae. Non tamen adhuc est certitudo. Sed relate ad eum, qui habet veram certitudinem, iam opposita nullo modo est probabilis. Ergo quando aliqua doctrina debet esse certa pro omnibus, utpote omnibus sufficienter manifesta, opposita non amplius est opinio, sed error.

695. Scholion 3m — Hinc vides quorsum valeat illud effatum: *" opiniones sunt servandae „ — rispettare le opinioni.* — Servandum est, quod habetur ut bonum: bonum autem est adhaerere iudicio prudenti seu probabili. Eatenus ergo servandae sunt opiniones, quatenus probabiles. Atqui opiniones, quae certae opponuntur veritati, non sunt probabiles: ergo non sunt servandae [1]). Si quis autem cognoscit aliquid *ut certe verum,* debet habere oppositum ut certe falsum: non ergo potest ullo modo colere oppositam opinionem; quamvis possit, ut patet, optimo iure colere personam, quae talem sententiam tenet [2]).

---

[1]) Cfr. P. Mattiussi, *Log.* n. 131.

[2]) Haec quidem *obiective* loquendo. *Practice* vero ac subiective, non debet tam facile quisque praesumere se solum habere veritatem, praesertim cum plures viri prudentes ac docti oppositam tenent opinionem: pluribus autem in casibus " potest devota voluntas intelligentiam inflectere „, ut sancte ac sapienter dicit S. P. N. Ignatius.

THESIS IV.ª — Opinio non potest esse in eodem circa idem simul cum certitudine scientiae.

696. Probatur. — Dicit S. Th. (1º *Post.* c. ult.) " Non contingit omnino simul sciri et opinari, quia simul homo haberet existimationem quod posset aliter se habere, et quod non posset aliter, se habere „. — Et 2. 2ae q. 1. a. 5. ad 4m : " Dicendum quod, sicut Philosophus ibidem (1º *Post.* c. 44) dicit, a *diversis* hominibus de eodem omnino potest haberi scientia et opinio, sicut et supra dictum est de scientia et fide ; sed *ab uno et eodem* potest haberi scientia et fides de eodem secundum quid, scilicet de subiecto, sed non secundum idem ; potest enim esse quod de una et eadem re aliquis aliquid sciat, et aliquid aliud opinetur ; et similiter de Deo potest aliquis demonstrative scire quod sit unus, et credere quod sit trinus. Sed de eodem secundum idem non potest esse simul in uno homine scientia nec cum opinione, nec cum fide ; alia tamen et alia ratione. Scientia enim cum opinione simul esse non potest simpliciter de eodem, *quia de ratione scientiae est, quod id, quod scitur, existimetur esse impossibile aliter se habere ; de ratione autem opinionis est, quod id, quod est opinatum, existimetur possibile aliter se habere.* Sed id, quod fide tenetur, propter fidei certitudinem existimatur etiam impossibile aliter se habere. Sed ea ratione non potest simul idem et secundum idem esse scitum et creditum, *quia scitum est visum, et creditum est non visum,* ut dictum est „.

Ratio S. Thomae est manifesta, si comparetur *actus* scientiae *cum actu* opinionis, et pariter habitus cum habitu. Si vero quis habeat habitum scientiae, sed aliquo modo impeditum ab actu, poterit exire in actus opinativos, ut quidam volunt, non vero si habeat habitum scientiae expeditum ad actum [1]).

697. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Scientia et opinio differunt ut cognitio perfecta et imperfecta. Atqui cognitio perfecta et imperfecta possunt simul stare in eodem subiecto. Ergo et scientia et opinio in eodem.

Resp. *D.M.* Ita ut imperfectio se teneat ex parte ipsius subiecti *C.M. :* ita ut se teneat tantum ex parte obiecti vel

---

[1]) Cf. etiam S. Th. 1ª 2ae q. 67. a. 3.

medii *N.M.* — *Cdm.* cognitio perfecta et imperfecta ex parte obiecti vel medii *C.m.*, ex parte subiecti *N.m.* — *N.C.* — In primis notandum est quod quia perfectum et imperfectum opponuntur, impossibile est quod simul *secundum idem* sit perfectio et imperfectio : oppositio enim est per se et proprie causa quod unum oppositum excludatur ab alio, in quantum in omnibus oppositis includitur affirmatio et negatio. — Sed quandoque imperfectio est de ipsa ratione rei et pertinet ad speciem ipsius, sicut defectus rationis pertinet ad rationem speciei asini, et talis imperfectio non potest auferri nisi auferendo ipsam speciem rei : quandoque vero imperfectio non pertinet ad speciem rei, sed accidit individuo secundum aliquid aliud ; sicut alicui homini quandoque accidit defectus rationis, inquantum impeditur usus rationis per ebrietatem : et talis imperfectio potest auferri manente substantia rei. Sed imperfectio cognitionis est de ipsa ratione opinionis : importat enim in sua ratione adhaesionem uni cum formidine oppositi, unde non habet firmam inhaesionem : et ideo eadem manens, non potest fieri perfecta : si enim ponatur quod adhaesio intellectus fiat firma absque formidine oppositi, iam destruitur ipsa ratio opinionis. — Sed neque potest simul stare cum cognitione perfecta. Nam cognitio potest esse imperfecta tripliciter : uno modo ex parte *obiecti* cognoscibilis, alio modo ex parte *medii*, tertio modo ex parte *subiecti*. Ex parte quidem obiecti cognoscibilis, differunt secundum perfectum et imperfectum cognitio matutina et vespertina in Angelis : nam cognitio matutina est de rebus secundum quod habent esse in Verbo : cognitio autem vespertina est de iis secundum quod habent esse in propria natura, quod est imperfectum respectu primi esse [1]). Ex parte vero medii, differunt secundum

[1]) Accipitur hic pro cognitione vespertina, illa secundum quam Angeli cognoscunt esse rerum, quod habent in propria natura, sed *videndo ipsum Verbum :* si enim acciperetur cognitio vespertina alio modo, nempe secundum quam Angeli cognoscunt esse rerum quod habent in propria natura, sed per *formas innatas* (ut videtur intelligere Augustinus) tunc cognitio vespertina esset imperfectior etiam ex parte medii. Tamen etiam dicto sensu sumpta, non est proprie cognitio *imperfecta* sed potius cognitio *imperfecti* (cf. 1 p. q. 58. a. 7 c.).

perfectum et imperfectum, cognitio quae est de aliqua conclusione per medium demonstrativum et per medium probabile. Ex parte denique subiecti, differunt secundum perfectum et imperfectum opinio, fides et scientia. Nam de ratione opinionis est quod accipiatur unum cum formidine oppositi: de ratione scientiae, quod habeat firmam inhaesionem cum visione intellectiva: habet enim certitudinem procedentem ex intellectu principiorum. Fides autem, medio modo se habet: excedit enim opinionem in hoc quod habet firmam inhaesionem, deficit vero a scientia in eo quod non habet visionem.

Nunc autem perfectum et imperfectum non possunt simul esse secundum idem: sed ea quae differunt secundum perfectum et imperfectum, possunt secundum aliquid idem, simul esse in aliquo eodem. Sic cognitio perfecta et imperfecta ex parte obiecti, non possunt esse de eodem obiecto; possunt tamen esse in eodem medio et in eodem subiecto [1]), nihil enim prohibet quin unus homo simul et semel per unum et idem medium habeat cognitionem de duobus, quorum unum est perfectum et aliud imperfectum, sicut de sanitate et aegritudine, de bono et malo. Similiter cognitio perfecta et imperfecta ex parte medii non possunt convenire in uno medio: sed nihil prohibet quin con-

---

[1]) Cognitio perfecta unius obiecti, quae non potest simul esse cum cognitione imperfecta de eodem obiecto, est cognitio talis obiecti quod sit idem *formaliter ut obiectum,* non vero quod sit idem materialiter inspectum sed sub alia et alia ratione accipiatur: patet enim quod sic iam non esset amplius *idem obiectum.* Propter hoc, imperfectio cognitionis vespertinae in Angelis, non opponitur perfectioni cognitionis matutinae, quia licet imperfectum et perfectum in his attendatur *ex parte obiecti* (ut dictum est) non tamen *obiectum est idem* si formaliter accipiatur: nam alia est cognitio alicuius in seipso et alia est cognitio eiusdem in sua causa: nec istae duae cognitiones sunt oppositae sicut cognitio sanitatis non est opposita cognitioni aegritudinis, et ideo possunt simul esse in eodem subiecto et per idem medium, quamvis unum obiectum (formaliter ut tale) sit imperfectius alio. Esset autem omnino impossibile quod *idem obiectum* e. g. sanitas, vel *res in sua causa,* per idem medium et in eodem subiecto simul esset obiectum perfectum cognitionis, et obiectum imperfectum, et consequenter obiectum cognitionis perfectae (denominative ab obiecto) et cognitionis imperfectae. (Cf. I. p. q. 58. a. 7. ad 3^{m}).

veniant in uno obiecto et in uno subiecto: potest enim unus homo cognoscere eamdem conclusionem per medium probabile et demonstrativum. Et similiter impossibile est quod cognitio perfecta et imperfecta ex parte subiecti sint simul in eodem subiecto. Opinio autem, ut dictum est, habet imperfectionem, quae est ex parte subiecti, quia non habet firmam inhaesionem. Unde impossibile est quod aliquis simul habeat scientiam et opinionem, seu firmam inhaesionem et non firmam inhaesionem, licet optime possit id, quod scientifice tenet, cognoscere esse quoque opinabile ab eo qui idem cognoscit per medium probabile, vel etiam per idem medium vere demonstrativum cuius vim non plene assequatur [1]).

Ob. 2ª. Simplex apprehensio et iudicium possunt esse simul in eodem subiecto, et differunt ut imperfectum et perfectum et quidem ex parte subiecti. Ergo a pari scientia et opinio.

Resp. *D.A.* Possunt esse simul quatenus virtus simplicis apprehensionis manet in iudicio *C.A.*; formaliter *N.A.* — *N.C. et paritatem:* non enim simplex apprehensio et iudicium differunt sicut duae formae sed sicut duo actus.

Ob. 3ª. Cognitio per species infusas potest simul esse in intellectu cum visione intuitiva. Atqui istae duae cognitiones differunt ut imperfectum et perfectum. Ergo a pari opinio et scientia.

Resp. *C.M.* — *Dm.* non tamen includunt aliquam oppositionem ad invicem *C.m.:* et includunt oppositionem *N.m.* — *N.C.* " Cognitio, enim, quae est per species inditas non includit aliquid oppositum cognitioni beatae „ (III. p. q. 9. a. 3. ad 1m) neque est per idem medium: unde sicut potest idem homo tenere eamdem conclusionem et per medium probabile et per medium demonstrativum, ita potest beatus eamdem rem cognoscere visione intuitiva et per species inditas. Ubi notandum est quod cognitio per species inditas, aliquo modo se habet ut dispositio relate ad cognitionem beatam, sed non ut dispositio quae sit via ad ipsam, sed quasi procedens aliquo modo ab ipsa et per ipsam confirmata. Dispositio enim se habet ad perfectionem du-

---

[1]) Cf. S. Th. 1ª. 2ae. q. 67. a. 3. c.

pliciter: uno modo sicut via ducens ad perfectionem, alio modo sicut effectus a perfectione procedens: per calorem enim disponitur materia ad suscipiendam formam ignis: qua tamen adveniente, calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formae: et ita in beato simul cum scientia beatitudinis manet scientia confusa, non quasi via ad beatitudinem sed quasi per beatitudinem confirmata. Nunc autem " opinio ex syllogismo dialectico causata, est via ad scientiam quae per demonstrationem acquiritur: qua tamen acquisita, potest remanere *cognitio* quae est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstrativam, quae est per causam: quia ille qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus „. (III. p. q. 9. a. 3. ad 2[m]). Et nota quod non dicit S. Th. quod *opinio* ipsa, quae est via ad demonstrationem, maneat post demonstrationem; sed manet *cognitio* quae est per syllogismum dialecticum: nam de ipsa opinione alibi dixerat: " Sicut in generatione substantiae adveniunt dispositiones, et in adventu formae corrumpuntur: ita in processu scientifico opiniones per probabilia media praecedunt demonstrationem, secundum quam introducitur scientia, et in adventu scientiae desinunt „. Et in hoc patet discrimen inter modum, quo se habet scientia infusa ad scientiam beatam, et opinio ad scientiam: nam cum scientia infusa non sit dispositio praecedens scientiam beatam sed tantum consequens aliquo modo ad ipsam, cum ipsa potest manere in propria ratione: cum vero opinio sit dispositio, quae est via ad scientiam, non manet cum ipsa in propria ratione, quia per adventum formae amittit propriam rationem opinionis; sed manent, tanquam consequentia ipsam formam scientiae, cognitiones illae per syllogismum dialecticum, quae, si scientia non adesset, opinionem inducerent.

QUAESTIO SEXTA.

De Certitudine.

THESIS I.ª — Certitudo, quae est perfecta determinatio intellectus ad unum, semper supponit modum aliquem necessitatis absolutae vel hypotheticae.

698. Praenotandum. — I° In tota tractatione de certitudine, loquimur de vera certitudine, non de ea quae dici posset opinio non turbata; quatenus aliquis de facto nullo dubio tentatur, dum alicui adhaeret ex motivis, quae certitudinem parere de se non possunt.

II° Ad statum certitudinis requiritur; 1) ut mens adhaereat obiecto sine formidine de opposito; 2) quod haec carentia formidinis non sit per accidens ex inadvertentia mentis aut inclinatione firma voluntatis, sed per se et ex natura obiecti seu motivi, secus non habebitur status determinationis ad unum, de se habens necessitatem seu firmam et immobilem adhaesionem. Et tunc solum habetur plena exclusio formidinis de opposito, quando certus omnino est intellectus quod in aliquo actu, quo attingimus obiectum, falsitas esse non possit, et quod obiectum non possit se aliter habere.

699. Probatur 1ª pars. — *Certitudo est perfecta determinatio intellectus ad unum;* quod est idem ac dicere, quod certitudo bene definitur " determinatio intellectus ad unum „ (S. Th. 3. *Dist.* 23. q. 2. a. 2. Sol. 3); vel cum eodem " Certitudo autem proprie dicitur firmitas adhaesionis virtutis cognoscitivae in suum cognoscibile „ (S. Th. 3. D. 26. q. 2. a. 4). — Nam *certum* communiter determinationem significat; dicitur enim v. g. " *numerus certus* „ " *certa mors* „ etc. Cum sermo est de statu intellectus circa veritatem, non significat quamcumque determinationem, sed determinationem intellectus. Determinatio autem *simpliciter dicta* est determinatio perfecta. Per hoc certitudo a statu opinantis secernitur, qui licet uni adhaereat, non tamen potest proprie dici ad illud unum simpliciter *determinatus.* Opinio enim im-

portat formidinem de opposito et consequenter non potest totaliter determinare intellectum.

Nota. — Quidam distinguunt certitudinem subiectivam et obiectivam, seu potius ipsam certitudinem *intellectus* — quae unice consideratur pro praesenti quaestione — referunt seu considerant, vel relate ad subiectum, vel relate ad obiectum ; unde una et eadem certitudo sub uno respectu dicitur subiectiva, sub alio obiectiva. Ex parte subiecti potest haberi quandoque certitudo aliqua existimata, quae non est [1]).

Probatur 2ª pars. — *Certitudo semper supponit modum aliquem necessitatis.* Nam ad hoc quod intellectus determinetur ad unum, ita ut prorsus excludatur formido quaelibet de opposito, oportet quod obiectum ipsum apprehendatur, ut prorsus determinatum ad unum, ita ut non possit aliter se habere. Secus formido non excluderetur totaliter sicut accidit in opinione etiam probabilissima. (Conf. S. Th. 2. 2ae q. 1. a. 5. ad 4m.

Probatur 3ª pars. — *Necessitas tamen, quam in obiecto requirit certitudo potest esse etiam solum hypothetica.* — Etenim etiam illa quae contingentia sunt, possunt habere et habent necessarias habitudines, et dum sunt, non possunt non esse. Et sic quamvis motus sit contingens, quam multa de motu ipso in mechanica demonstrantur. " Contingentia dupliciter possunt considerari : uno modo secundum quod contingentia sunt ; alio modo secundum quod in eis aliquid necessitatis invenitur ; nihil enim est adeo contigens, quin in se aliquid necessarium habeat ; sicut hoc ipsum quod est Socratem currere, in se quidem contingens est ; sed habitudo cursus ad motum est necessaria ; necessarium enim est Socratem moveri, si currit. — Est autem unumquodque contingens, quod potest esse et non esse. Potentia autem pertinet ad materiam ; necessitas autem consequitur rationem formae ; quia ea quae consequuntur ad formam, ex necessitate insunt. Materia autem est individuationis principium. Ratio autem universalis

---

[1]) Dici tamen potest quod certitudo a) supponit veritatem evidentibus motivis propositam *(certitudo obiective)* b) requirit firmum assensum *(certitudo subiective)* c) ex utroque exurgit *certitudo formalis* quae primo competit menti, et per analogiam tribuitur ipsi veritati obiectivae (Willelms — *Inst. Phil.* p. 122).

accipitur secundum abstractionem formae a materia *particulari*. Dictum autem est supra (a. I. h. q.) quod per se et directe intellectus est universalium, sensus autem singularium; quorum etiam indirecte quodammodo est intellectus.... Sic igitur contingentia, prout sunt contingentia, cognoscuntur directe quidem a sensu, indirecte autem ab intellectu; rationes autem universales et necessariae contingentium cognoscuntur per intellectum. Unde si attendantur rationes universales sensibilium, omnes scientiae sunt de necessariis; si autem, attendantur ipsae res sic quaedam scientia est de necessariis, quaedam vero de contingentians „. (I. p. q. 86 a. 3. c.). Et q. 84 a. 1. ad 3m obiicit. " Intellectus est necessariorum et semper eodem modo se habentium. Sed corpora omnia sunt mobilia et non eodem modo se habentia. Anima ergo per intellectum, corpora cognoscere non potest „. Et respondet: " Ad 3m dic. quod omnis motus supponit aliquid immobile. Cum enim transmutatio fit secundum qualitatem, remanet substantia immobilis; et cum transmutatur forma substantialis, remanet materia immobilis. Rerum etiam mutabilium sunt immobiles habitudines; sicut Socrates, etsi non semper sedeat, tamen immobiliter est verum, quod, quando sedet, in uno loco manet. Et propter hoc nihil prohibet de rebus mobilibus immobilem scientiam habere „.

Nota. Contingentia vel necessitas, non respiciunt, ut patet, ipsum esse obiecti, quasi de rebus mutabilibus, tantum opiniones sint possibiles; de rebus autem immutabilibus, habeamus certitudinem. Imo multae opiniones respiciunt doctrinas metaphysicas, et saepe certi sumus de contingentibus. Necessaria aut contingens hic intelligitur ipsa connexio motivi, quod nos impellit ad iudicium, cum realitate obiecti.

THESIS II.a — Certitudo: 1o gradus admittit; 2o et recte dividitur in metaphysicam, physicam et moralem.

700. Probatur 1a pars. — *Certitudo gradus admittit.* — Ratio est, quia certitudo proportionalis est *naturae subiecti* cognoscentis, *lumini, sub quo* obiectum cognoscitur, et *obiecto ipsi* cognito, cum istae sint causae determinantes intellectum ad unum in sua cognitione. Ergo secundum horum varietatem et gradus, necesse est variari et gradus habere ipsam certitudinem.

Probatur antecedens: 1° quoad *naturam subiecti cognoscentis* — Audiatur S. Thomas (I. p. q. 85. a. 7.):

„ Aliquem intelligere unam et eamdem rem magis quam alium, potest intelligi dupliciter: *uno modo* sic quod ly *magis* determinet actum intelligendi ex parte rei intellectae: et sic non potest unus eamdem rem magis intelligere quam alius: quia si intelligeret eam aliter esse, quam sit, vel melius, vel peius, falleretur et non intelligeret, ut arguit Augustinus (lib. 83 QQ. q. 32). *Alio modo* potest intelligi, ut determinet actum intelligendi ex parte intelligentis: et sic unus alio potest eamdem rem melius intelligere, quia est melioris virtutis in intelligendo: sicut melius videt visione corporali rem aliquam qui est perfectioris virtutis et in quo virtus visiva est perfectior. Hoc autem circa intellectum contingit *dupliciter: uno* quidem *modo* ex parte ipsius intellectus, qui est perfectior. Manifestum est enim quod quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam: quod manifeste apparet in his, quae sunt secundum speciem diversa. Cuius ratio est, quia actus et forma recipitur in materia secundum materiae capacitatem. Unde etiam cum in hominibus quidam habeant corpus melius dispositum, sortiuntur animam maioris virtutis in intelligendo. *Alio modo* contingit hoc ex parte inferiorum virtutum quibus intellectus indiget ad sui operationem. Illi enim in quibus virtus imaginativa et cogitativa et memorativa est melius disposita, sunt melius dispositi ad intelligendum „.

2° Quoad *lumen, sub quo* obiectum cognoscitur; nam sicut relate ad visum, quo maior est lux, eo magis videtur res et attingitur; ita relate ad intellectum, quo maius est lumen, eo magis fit manifesta veritas, unde intellectus magis ei adhaeret [1]). Lumen autem potest esse vel vigor intellectus agentis, vel principium collustrans conclusionem, vel lux supernaturalis.

3° Quoad *obiectum* cognitum: nam unumquodque tantum est intelligibile, quantum habet de actu, seu de esse. Atqui varium est esse rerum. Ergo et intelligibilitas varia est. Unde S. Thomas (1° *Eth.* l. 3) ait: „ Ad hominem disciplinatum, id

[1]) Cfr. S. Th. Iª p. q. 67. a. 1. — et q. 106. a. 1.

est bene instructum, pertinet, ut tantum certitudinis quaerat in unaquaque materia, quantum natura rei patitur. Non enim potest esse tanta certitudo in materia variabili et contingenti, sicut in materia necessaria semper eodem modo se habente „. Et 3° D. 23. q. 2. a. 2. Sol. 3ª ait: " Certitudo nihil est aliud, quam determinatio intellectus ad unum; *tanto* autem *magis est certitudo, quanto est fortius* quod determinationem causat „. — Ergo quo nobilior est essentia subiecti cognoscentis, quo praestantius lumen quo illustratur ad veritatem percipiendam, *quo intimior* et *magis necessarius* nexus inter praedicatum et subiectum, eo maior exsurgit in cognitione certitudo: haec generatim.

Relate vero ad humanam mentem, cum eadem sit facultas cognoscitiva in omnibus hominibus, et idem naturale lumen, differentia, quae oritur ex maiore ingenio, ex gradu attentionis, applicationis, ex speculationis exercitio etc., haec, inquam, omnia, quae faciunt diversitatem in certitudine *ex parte subiecti, per accidens* se habent, et differentia propria in gradu certitudinis attendi debet *ex parte obiecti,* seu quod idem est, ex parte motivi determinantis intellectum ad assensum.

Probatur 2ª pars. — *Certitudo recte dividitur in metaphysicam, physicam et moralem.* Nam omnis certitudo, ut diximus, supponit modum aliquem necessitatis in obiecto, et pro modo huius necessitatis est modus ipsius certitudinis. Atqui necessitas alicuius enuntiabilis orta ex ipsis rerum essentiis, quae aliter omnino se habere non possunt; et necessitas enunciabilis orta ex legibus physicis, seu ex constituto ordine inter causas naturales earumque effectus, qui ordo potest per divinam Omnipotentiam immutari, ut accidit in miraculis; et necessitas enuntiabilis orta ex legibus moralibus, seu ex hominum moribus, qui aliter in quibusdam casibus se gerere possunt, ac natura ferat, profecto non sunt unus et idem modus necessitatis. Ergo certitudo metaphysica, physica et moralis non important unum eundemque modum certitudinis, et recte dividuntur ad invicem.

Declaratur minor exemplis. Exemplum certitudinis metaphysicae habes v. g. in hac enunciatione; " *homo est animal* „ " *homo non est asinus* „ — certitudinis physicae in hac: " *mortuus non reviviscit* „ (nisi fiat miraculum, quod supponi non debet) vel

" *ignis comburit* „ de quo profecto ita es certus, ut manum ad experimentum non apponeres, neque diceres: — forte miraculum fiat — nulla enim est ratio supponendi. Exemplum moralis certitudinis in hac " *Mater filios certe odio non habet* „ cum tamen contingere possit contrarium. — Patet autem quod certitudo metaphysica praestat physicae, et utraque morali. In omnibus his habetur exclusio formidinis, non enim errare formido, si iudico quod mea manus, igni imposita, comburatur, *cum nulla sit causa suspicandi de miraculo.* Idem dic in moralibus. *Certe nemo diceret tales enunciationes habendas esse solum pro opinionibus plus minusve probabilibus.* Ergo certae sunt, quamvis non eodem modo.

701. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Certitudo stat in indivisibili. Ergo nullos gradus admittit.

Resp. *D.A.* quantum ad elementum *negativum* (quod est exclusio dubii vel formidinis) *C.A.* — quantum ad *positivum* (quod est firmitas adhaesionis in cognoscibile) *N.A.* — *N.C.* Quilibet homo experitur se firmius adhaerere huic enunciabili " totum est maius sua parte „ quam huic " Petrus existit „.

Ob. 2.ª Certitudo, quam habet enunciatio alicuius phaenomeni physici, v. g. " *hic ignis urit* „ exurgit ex certitudine legum physicarum. Atqui cursus legum physicarum habet certitudinem metaphysicam. Ergo certitudo, quam habet enunciatio alicuius phaenomeni physici, v. g. " *hic ignis urit* „ aequivalet certitudini metaphysicae.

Resp. *D.M.* exurgit ex certitudine legum physicarum in *casu particulari* consideratum *C.M.: universaliter* consideratum *Subd.:* remote *C.M.* proxime *N.M.* — *C.d.m.* cursus etc. *universaliter* acceptus habet certitudinem metaphysicam *C.m.: particulariter N.m.* — *N.C.* Iudicium quod enunciat necessitatem alicuius legis physicae *universaliter* seu in universali constantiam legum physicarum, poterit aliquo modo comparari cum certitudine metaphysica ; sed illud, quod tantum physice certum dicitur, est quod enunciatur in casu particulari, ut cum dicitur " hic ignis, si manum apponam, eam comburet „ quando suspicandi de miraculo nulla est causa. Idem dic in moralibus. — Insuper nota, quod quando v. g. miraculose ignis non comburit, non ei adimitur vis

comburendi, quod est impossibile, sed solum impeditur talis effectus.

Ob. 3ª. Certitudo, quae pendet ab aliqua hypothesi est hypothetica. Atqui si certitudo enunciationis alicuius phaenomeni physici exsurgit solum ex certitudine legis physicae in casu particulari consideratae, pendet ab hypothesi; nam est sub tacita conditione " *nisi fiat miraculum* „. Ergo si certitudo enunciationis alicuius phaenomeni physici exsurgit solum ex certitudine legis physicae in casu particulari consideratae est hypothetica.

Resp. *C.M.* — *D.m.* Penderet ab hypothesi, si enunciabile physicum sub conditione exhiberetur *C.m.;* si categorice enuntiatur *N.m.* — *Ad rat. add. D.* Esset sub tacita conditione " *nisi fiat miraculum* „ si esset hic et nunc ratio suspicandi de miraculo *C. rat. add.;* si non est hic et nunc ratio suspicandi de miraculo *N. rat. add.* — *N.C.*

Adverte, quod iudicium, quod dicitur physice vel moraliter certum, non est hypotheticum iudicium, quo enunciatur, quod hic ignis comburet manum *si non fiat miraculum*, quia *etiam hoc esset metaphysice certum,* sed illud quo categorice asseritur, quod comburet, dum nulla est ratio suspicandi de miraculo.

Tractatus IV.us

De Criteriis Certitudinis.

702. Introductio. — Bene scribit P. Remer (*Log.* c. II. a. 3): " Haec quaestio (De criterio certitudinis) olim simplicissima, nunc implicata admodum philosopho sistitur, tum ob multiplices obortos errores, tum ob methodum ipsam, quam in illa recentiores pertractanda et solvenda sequuntur „. Et P. De Maria (*Log. Maior.* Tract. Un. Q. IIIª): " Recentes osores philosophiae peripatetico-scholasticae tentantes quaestionem ab ipsa natura plenissime solutam in dubium revocare et ductu philosophiae resolvere, non solum naturam vexaverunt, sed etiam philosophiam reddiderunt imbecillam et temerariam. Siquidem post tot tantasque controversias de certitudine ultro citroque agitatas contra

ipsam naturae vocem... in turpissimum scepticismum prolapsi sunt „.

Nomine nempe *criterii veritatis* (κριτήριον = norma seu iudicium) intelligitur regula quaedam discernendi verum a falso, et determinandi causam, ob quam intellectus certo assentiat veritati: pressius vero significare potest tum instrumentum, cuius ope de rerum veritate certo decernimus, nempe intellectum ipsum, tum id propter quod intellectus profert certum iudicium de quacumque re.

Porro postquam Patres Ecclesiae et christiani philosophi *Pyrronios* profligarunt (qui dicebant ab omnibus exhibendum esse assensum, eo quod nihil certi de rebus a nobis sciri possit), ipsa quaestio de criteriis evanuit et inutilis apparuit; nam omnes, docente ipsa natura, certi erant facultates, quae a natura ad res cognoscendas sunt ordinatae, deficere non posse nisi per accidens: itemque certi erant, quod norma seu iudicium discernendi an aliqua enunciatio vera sit vel falsa, tunc adhiberi potest, cum aliqua ratio dubitandi inveniatur: quod quidem contingere non potest in veritatibus primis, et omnibus notissimis. Hinc principia universalia scientiarum necessario determinant intellectum; aliae vero veritates certo a nobis cognoscuntur per analysim in ipsa principia per se nota.

Sed postquam philosophandi ratio a philosophis recentioribus (Cartesio praesertim et Kantio) deformata fuit, et in subiectivismum et scepticismum iterum declinavit, ipsae primae veritates subversae sunt, et rursum quaestio *de ponte*, seu de transitu intellectus a cognitione idearum ad cognitionem rerum, multipliciter instaurari coepit, et consequenter disquisitiones *de Criteriis* in infinitum, fere dixerim, succreverunt.

Nostrum autem non est infinitas istas quaestiones, seu potius infinitos istos errores singillatim prosequi: hoc enim et inutile esset et stultissimum, sicut inutile et stultissimum esset ad ostendendum de unoquoque quid sit, probare quid non sit; v. gr. agendo de homine, probare quod non sit aper, nec culex, nec vermis, nec rana, nec asinus, et sic in infinitum. Sed praesupposita veracitate facultatum nostrarum (de qua in Tract. II.°), statuimus in primis inquisitionem de *generali* criterio veritatis

esse intrinsece falsam atque absurdam [1]) : praesupponeret enim de omnibus veritatibus iure dubitari posse, et omnes veritates esse demonstrandas et demonstrabiles, quod est impossibile. Relate vero ad eas veritates, quae de se non sunt evidentes, statuimus normam seu mensuram inveniri debere in reductione ad veritates per se notas. En praeclara verba S. Thomae: " Potest intellectus noster considerari *uno modo* secundum se, et sic determinatur ex praesentia intelligibilis. Et hoc quidem contingit in his, quae statim lumine intellectus agentis intelligibilia fiunt, sicut sunt prima principia, quorum est intellectus : et similiter determinatur iudicium sensitivae partis ex hoc, quod sensibile subiacet sensui, quorum principalior et certior est visus ; et ideo cognitio vocatur visio. *Alio modo* potest considerari intellectus noster secundum ordinem ad rationem, quae ad intellectum terminatur, dum *resolvendo conclusiones in principia per se nota, earum certitudinem efficit ;* et hoc est assensus scientiae „ (1° D. 23. q. 2. a. 2. sol. 1ª).

Quia vero praeter assensum scientiae, qui oritur ab evidentia veritatis, alius quoque dari potest assensus firmissimus, absque tamen visione ipsius rei sive immediata sive mediata, assensus nempe fidei, qui adhuc oritur ab evidentia non ipsius rei, sed attestationis ipsius, quae dici solet evidentia credibilitatis, de utraque evidentia in quaestione prima, nobis erit agendum.

Denique in secunda quaestione aliquid innuemus circa praecipua ex falsis certitudinis criteriis, quae a modernis assignantur, ut lux tenebris contrapposita clarius eluceat.

---

[1]) A pluribus auctoribus, ut videbimus, sumitur ut criterium veritatis ipsa evidentia : et tunc ut patet, hoc sensu potest bene assignari criterium *generale* : tamen hoc modo *criterium veritatis* non esset proprie *medium* quo discernitur verum a falso, sed potius *conditio* quam habere debet tale medium.

QUAESTIO PRIMA.

De Vero Criterio Certitudinis.

Articulus I.us

De Evidentia Veritatis.

THESIS I.a — 1o **Circa ea solum indigemus aliquo veritatis criterio, circa quae intellectus deficere potest; 2o de quorum veritate iudicamus per ea, circa quae deficere omnino non potest; 3o huiusmodi vero sunt ea omnia, circa quae intellectus ex ipsa natura sua de necessitate determinatur ad unum.**

703. Probatur 1a pars. — *Circa ea solum indigemus aliquo veritatis criterio, circa quae intellectus deficere potest.* — Hoc in terminis est manifestum. Criterio enim aliquo utimur ad iudicandum (*κρίνω*) an intellectus defecerit, vel non, in aliqua cognitione (resolvendo). Ergo circa ea, circa quae scimus intellectum deficere non posse, non indigemus aliquo criterio.

Probatur 2a pars. — *De quorum veritate iudicamus per ea, circa quae intellectus deficere omnino non potest.* — 1° Si enim ad iudicandum de veritate alicuius, circa quod intellectus deficere potest adhibeatur aliquid, circa quod pariter deficere potest, nullo modo erit certum iudicium. Ergo si aliqua iudicia mediata in nobis certa esse contingat, oportet quod resolvantur in aliquid, circa quod intellectus omnino deficere non possit.

2° Omne mutabile et deficere potens, reduci debet in aliquid immutabile et indefectibile.

3° " Ratiocinari comparatur ad intelligere, sicut moveri ad quiescere, vel acquirere ad habere; quorum unum est perfecti, aliud autem imperfecti. Et quia motus semper ab immobili procedit, et ad aliquid quietum terminatur, inde est quod ratiocinatio humana, secundum viam inquisitionis procedit a quibusdam simpliciter intellectis, quae sunt prima principia; et rursus

in via iudicii resolvendo redit ad prima principia, etc. „ (S. Th. 1ª p. q. 79. a. 8.).

Probatur 3ª pars. — *Huiusmodi vero sunt ea omnia, circa quae intellectus ex ipsa natura sua de necessitate determinatur ad unum.* — Circa ea, ad quae intellectus ex ipsa natura sua determinatur ad unum de necessitate, nunquam deficere potest, nisi deficiat ab hoc, quod est esse intellectum, h. e. nisi ipse deficiat a natura sua. Sed implicat in terminis, quod intellectus sit intellectus, et deficiat a natura intellectus. Ergo circa ea, ad quae ex ipsa natura sua determinatur ad unum, omnino deficere non potest [1]).

THESIS II.ª — 1º In demonstrabilibus primum veritatis criterium sunt prima principia indemonstrabilia; et 2º praecipua quadam ratione, contradictionis principium, quod in ratione entis fundatur.

704. Probatur 1ª pars. — *Prima principia indemonstrabilia sunt primum veritatis criterium.* — Circa hoc, duo demonstrari possunt: 1º quod dantur quaedam principia prima indemonstrabilia; 2º quod ista sunt primum criterium veritatis in omnibus demonstrationibus.

Primum autem patet *ex facto;* quod enim *" totum sit maius sua parte "* — quod *" idem non possit simul esse et non esse "* etc., huiusmodi sunt. — Tum etiam sic probari potest: Si nulla essent prima principia indemonstrabilia, nulla demonstratio possibilis esset. Sed dantur verae demonstrationes. Ergo et principia prima indemonstrabilia. — Maior patet, quia omnis demonstratio est ex aliquibus praecognitis, et declarabitur ubi de Demonstratione; ubi pariter ostendetur dari veras demonstrationes, scientiam simpliciter causantes.

Secundum patet: 1º Ex praemissis; quia prima principia indemonstrabilia sunt primum, unde procedit demonstratio et talia sunt, circa quae intellectus omnino deficere non potest. Ergo sunt primum criterium veritatis circa demonstrabilia.

2º In causis et causatis non est abire in infinitum, praesertim cum considerentur causae per se. Atqui in demonstrabilibus

---

[1]) Idem valet de omni facultate relate ad proprium obiectum.

principia sunt causa conclusionis. Ergo in principiis demonstrabilibus non est abire in infinitum, sed deveniendum est ad quaedam indemonstrabilia principia, ad quae intellectus naturaliter se habeat, ita scilicet, quod haustis per sensus notionibus subiecti et praedicati, statim identitatem vel discrepantiam terminorum ex ipsa natura sua, seu ex ipso lumine naturali discernat, componendo vel dividendo immediate; quod accidit praesertim in primis principiis, quae ea concernunt, quorum termini communiter omnibus sunt noti, ut sunt totum et pars, esse et non esse, etc.

Confirmantur dicta, verbis S. Thomae:

1° *De Ver.* q. 16. a. 2. ait: " Natura in omnibus suis operibus bonum intendit et conservationem eorum, quae per operationem naturae fiunt, et ideo in omnibus naturae operibus semper principia sunt permanentia et immutabilia et rectitudinem conservantia: principia enim manere oportet, ut dicitur 1° *Phys. Non enim potest esse aliqua firmitas vel certitudo in his,* quae sunt a principiis, *nisi principia essent firmiter stabilita.* Et inde est quod omnia mutabilia reducuntur ad aliquod primum immobile: inde est etiam quod *omnis specifica cognitio derivatur ab aliqua certissima cognitione,* circa quam error esse non potest, quae ut cognitio primorum principiorum universalium, *ad quae omnia alia cognita examinantur* (en criterium), et ex quibus omne verum approbatur et omne falsum respuitur „.

2° *De Verit.* q. 11. a 1.° — " Praeexistunt in nobis quaedam scientiarum semina, scilicet primae conceptiones intellectus, quae statim lumine intellectus agentis cognoscuntur *per species a sensibilibus abstractas,* sive sint complexa ut dignitates (axiomata), sive incomplexa ut ratio entis, et unius et huiusmodi, quae statim intellectus apprehendit. (Ecce quomodo apprehendere quod quid est, non est apprehendere perfectam alicuius definitionem). Ex istis autem principiis universalibus omnia principia sequuntur, sicut ex quibusdam rationibus seminalibus „.

3°. 3° D. 23. q. 2. a. 2. - " In intellectu principiorum *causatur determinatio* ex hoc, quod aliquid per lumen intellectus, sufficienter inspici per ipsum potest: in scientia vero conclusionum *causatur determinatio* (quae est certitudo) ex hoc, quod conclusio

secundum actum *rationis* (ut distinguitur ab intellectu, rationis enim est discurrere) *in principia per se visa resolvitur*... Ideo certitudo quae est in scientia et in intellectu est (finaliter) *ex ipsa evidentia eorum, quae certa esse dicuntur* „.

4° I° *Post. Anal.* l. 19. — " Proprium est horum principiorum quod non solum necesse est ea vera esse, sed etiam necesse est videri quod sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contrarium eorum... „ Tamen certe " Nihil est adeo verum quin *voce* negari possit. Nam et hoc principium notissimum, quod non contingit idem esse et non esse, quidam *ore* negaverunt... Unde Aristoteles ait quod circa prima principia non contingit interius mentiri „.

5° I.ª p. q. 82. a. 2. — " Sunt quaedam intelligibilia, quae non habent connexionem ad prima principia, sicut contingentes propositiones, ad quarum remotionem non sequitur remotio primorum principiorum ; et talibus non ex necessitate assentit intellectus. Quaedam autem propositiones sunt necessariae, quae habent necessariam connexionem cum primis principiis, sicut conclusiones demonstrabiles, ad quarum remotionem sequitur remotio primorum principiorum ; et his intellectus *ex necessitate assentit cognita connexione necessaria conclusionum ad principia* per demonstrationis *deductionem*. Non autem ex necessitate assentit, antequam huiusmodi necessitatem connexionis per demonstrationem cognoscat „.

Probatur 2ª pars. — *Contradictionis principium praecipue ut primum veritatis criterium habendum est.* Nam, ut audivimus a S. Thoma, prima principia eruuntur ex ipsis terminis (cfr. thesim seq.). Sed primum quod ab intellectu apprehenditur est ens. Ergo primum principium est illud, quod immediate in ratione entis fundatur. Sed principium, quod immediate in ratione entis fundatur, est principium contradictionis. Ergo principium contradictionis est primum principium.

Declaratur. — " Cum duplex sit operatio intellectus, una qua cognoscit quod quid est, quae vocatur indivisibilium intelligentia, alia qua componit et dividit, in utraque est aliquid primum. In prima quidem operatione est aliquid primum quod cadit in conceptione intellectus, scilicet hoc quod dico " ens „ ;

nec aliquid hac operatione potest mente concipi nisi intelligatur ens. Et quia hoc principium " *impossibile est esse et non esse simul* „ dependet ex intellectu entis, sicut hoc principium, " *omne totum est maius sua parte* „ ex intellectu totius et partis: ideo hoc etiam principium est naturaliter primum in secunda operatione intellectus, scilicet componentis et dividentis, nec aliquis potest secundum hanc operationem intellectus aliquid intelligere, nisi hoc principio intellecto. Sicut enim totum et partes non intelliguntur nisi intellecto ente, ita nec hoc principium " omne totum est maius sua parte „ nisi intellecto praedicto principio firmissimo. " Et (ut supra ait) propter hoc omnes demonstrationes reducunt suas propositiones in hanc propositionem, sicut in ultimam opinionem omnibus communem; *ipsa enim est naturaliter principium et dignitas omnium dignitatum* „. (S. Th. *Metaph.* IV. l. 6[a]).

705. Nota. — Principia distinguuntur in principia *analytica et synthetica.*

a) *Analytica,* quae vocantur primitiva, communia, necessaria, universalia, vel axiomata, semina scientiarum, per se et immediate nota, sic a S. Thoma (IV *Metaph.* l. 5) describuntur: " Propositiones per se [1]) notae sunt quae statim notis terminis cognoscuntur. Hoc autem contingit in illis propositionibus, in quibus praedicatum ponitur in definitione subiecti, vel praedicatum est idem subiecto. Sed contingit aliquam propositionem, quantum in se, esse per se notam, non tamen esse per se notam omnibus, qui ignorant definitionem praedicati et subiecti. Unde Boëtius dicit in libro *de Hebdomadibus,* quod quaedam sunt per se nota sapientibus, quae non sunt per se nota omnibus. Illa sunt per se nota omnibus, quorum termini in conceptione omnium cadunt. Huiusmodi autem sunt communia, eo quod nostra cognitio a communibus ad propria pervenit. Et ideo istae propositiones sunt prima demonstrationum principia, quae com-

---

[1]) . . . " Potest aliquid dici per se notum dupliciter; vel quia per nihil aliud in eius notitiam devenitur, sicut dicuntur prima principia per se nota; vel quia non sunt cognoscibilia per accidens, sicut color est per se visibilis, substantia autem per accidens „ (I[a]. p. q. 87. a. 1. ad 1[m]).

ponuntur ex terminis communibus sicut totum et pars, ut: " *omne totum est maius sua parte* „ et sicut aequale et non inaequale ut: " *Quae uni et eidem sunt aequalia, sibi sunt aequalia* „. *Et eadem ratio est de similibus* „.

b) *Synthetica* ea sunt, quorum praedicatum, secus ac in principiis analyticis, non eruitur ex notione subiecti, ideoque cognitis terminis, non cognoscuntur: sed praedicatum cognoscitur convenire subiecto propter experientiam de singularibus sumptam. Sic affirmamus generatim corpora gravia cadere deorsum ad lineam, quia in casibus particularibus experti sumus rem ita se habere. Cum autem praedicatum copuletur subiecto, non quia, cognitis terminis, apparet necessarius nexus inter utrumque, sed quia per experientiam praedicatum de facto inhaerere subiecto deprehendimus, ideo dicta sunt, vel *synthetica* vel *experimentalia,* vel a *posteriori.* Si ergo principia synthetica non sunt per se nota, quia eorum veritas non apparet intellectui nostro ex notitia terminorum, patet certitudinem, a nobis de ipsis habitam, oriri ex immediata cognitione singulorum. Hinc ex singularibus, experimento cognitis, mens argumentando, veritati horum principiorum certo et infallibiliter assensum praebet: haec autem argumentandi ratio, qua mens nostra ex singularibus assurgit ad universalia, dicitur, ut in logica minori vidimus, *inductio.*

Hinc patet etiam quod principia analytica habent certitudinem metaphysicam, synthetica vero solum physicam, sunt enim leges physicae, quorum effectus impediri potest a virtute divina.

THESIS III.ª — Si autem totius cognitionis nostrae intellectivae quaeratur prima intrinseca mensura, assignari debent prima simplicia apprehensa, quae in apprehensionem entis ultimo resolvuntur.

706. Probatur 1ª pars. - *Prima intrinseca mensura sunt prima simplicia apprehensa.* Mensura intrinseca hic accipitur pro ea, quae est *pertinens ad ipsum genus cognitionis intellectivae,* et per apprehensionem ad ea, quae mensurant extrinsece intellectum nostrum, ut sunt res ipsae existentes extra animam, et etiam ipsa sensuum apprehensio.

Primum in unoquoque genere est mensura ceterorum. Sed

primae simplices apprehensiones sunt id, quod est primum in toto genere cognitionis nostrae intellectivae. Ergo si totius cognitionis nostrae intellectivae quaeratur prima intrinseca mensura, assignari debent prima simplicia apprehensa.

Declaratur. — Sicut prima principia indemonstrabilia, utpote prima in genere compositionis et divisionis, mensurant omnes compositiones et divisiones posteriores, ita prima simplex apprehensio mensurat etiam ipsa prima principia et omnem sequentem intellectivam cognitionem, et circa prima principia ex eodem habet intellectus quod non possit decipi, ex quo habet quod decipi non possit circa primas simplices apprehensiones, ut vidimus (n. 642 c. III).

Probatur 2ª pars. — *Quae resolvuntur in apprehensione entis.* Quamvis enim inter operationes intellectus prima sit simplex apprehensio intellectus, et non sit invenire operationem aliquam priorem; tamen si spectamus ea, quae per simplicem apprehensionem a nobis intelliguntur, scilicet ipsa prima apprehensa a nobis, in ipsis ordo aliquis prioris et posterioris invenitur; primum autem quod intellectus in quolibet apprehendit est ens, ut probabitur in Metaphysica. Atqui omnia resolvuntur in priora; unde resolvendo conclusiones in principia, principia in apprehensiones, posteriores apprehensiones in priores, deveniendum erit ad ens. Ergo omnia simplicia apprehensa in apprehensionem entis resolvuntur.

THESIS IV.ª — Mensura autem extrinseca dici debent tum aliquo modo apprehensio sensuum, tum ipsae demum res, quae rursus a divino intellectu mensurantur tamquam a prima omnium mensura.

707. Praenotandum. - Egredimur iam fines intellectus ipsius, et consideramus mensuram eius extrinsecam. Mensura autem extrinseca hic dicitur quae non pertinet amplius ad ipsum genus operationis intellectivae. Dicitur autem *aliquo modo,* scilicet non ita apprehensio sensuum est mensura intellectus nostri, quod intellectus in rebus non cognoscat aliquid, quod sensus non cognoscit, imo quae sensus utpote facultas inferior percipit divisim et multipliciter, intellectus percipit unite et simpliciter; et quia quanto aliqua causa est altior, tanto ad plura eius virtus

se extendit et sic virtus cognoscitiva intellectus plura cognoscit quam sint ea quae cognoscuntur a sensu. Et sic intellectus non solum plura attingit quam visus v. g., sed plura ipse solus quam visus, gustus, tactus etc. sensus communis, phantasia etc. simul sumpti. Et secundum haec explicari debet axioma, *" nihil est in intellectus quod prior non fuerit in sensu "*. intellige scilicet aliqualiter ; est enim in intellectu quidditas rei, quae in sensu simpliciter non est ; est tamen aliqualiter quatenus attingitur per accidens. Scilicet illud directe attingitur ab intellectu secundum quidditatem, quod prius fuit in sensu secundum sensibiles qualitates, quarum etiam naturam intellectus solus potest perscrutare. Nam quae in inferioribus sunt diverse et multipliciter, ut passim occurrit apud S. Thomam, in superioribus sunt unite et simpliciter ; sic in rege omnes potestates inferiorum magistratuum unite et simpliciter ; sic in Deo simpliciter tamquam in uno, unitate perfectissima, omnes perfectiones quae in creaturis divisim et multipliciter etc. Et etiam illud : quanto aliqua causa est altior, tanto ad plura eius virtus seu efficacia se extendit, quod valet omnibus, etiam in lucerna quae quo altior tanto ad plura extendit suam illuminationem. Analogare autem oportet hanc *altitudinem*.

Probatur 1ª pars. - *Mensura extrinseca dici debet aliquo modo apprehensio sensuum.* 1° Illud est aliquo modo mensura extrinseca intellectus, a quo cognitio intellectus aliquo modo dependet tamquam ab aliquo extrinseco. Sed cognitio intellectus nostri aliquo modo dependet ab apprehensione sensuum tamquam ab aliquo ipsi intellectui extrinseco. Ergo apprehensio sensuum est aliquo modo mensura extrinseca intellectus nostri.

2° Omnis nostra cognitio, ut suo loco probatur, et aliquatenus declaravimus, incipit a sensu. Ergo.

3° Nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu. Ergo.

4° Cui deest unus sensus deest una scientia. Ergo.

5° Impedito sensu, v. g. per somnum etc. impeditur iudicium rationis. Ergo cognitio intellectiva in nobis dependet a sensitiva et quidem ita ut vel haberi non possit nisi dependenter a sensibus. Ergo aliquo modo cognitio intellectiva mensuratur a sensitiva tamquam ab aliquo extrinseco.

Et confirmabitur etiam ex dicendis in 2ª parte. Non enim res mensurant intellectum nostrum nisi per sensus a nobis perceptae. Per sensus enim intellectus noster continuatur, ut ita dicam, ad res singulares, ut cum assero : " hoc est lignum „ indicando.

Probatur 2ª pars. — ..... *res sunt mensura nostri intellectus.*— 1º. Illud est mensura intellectus nostri, a quo dependet eius cognitio eiusque veritas. Sed cognitio et veritas intellectus nostri dependet a rebus ipsis. Ergo res ipsae sunt mensura intellectus nostri.

2º. *Aliter.* Illud est mensura intellectus, ut intellectus est, a quo dependet veritas in eius cognitione et cui conformari debet intellectus in cognoscendo, ita quod, si ei non conformetur, deficiat a propria mensura. Atqui huiusmodi sunt res naturales relate ad intellectum nostrum. Ergo res naturales sunt mensura intellectus nostri.

Probatur 3ª pars. — *Res mensurantur ab intellectu divino tamquam a prima omnium mensura.* — 1º Res omnes, quae extra Deum sunt, ambitu rerum creatarum continentur ; quae totaliter in suo esse et secundum totum suum esse dependent ab intellectu divino, tamquam ab intellectu artificis. Atqui intellectus artificis est mensura omnium artificiatorum. Ergo intellectus divinus est prima mensura omnium rerum et proinde etiam omnium intellectuum non solum mediate, sed immediate etiam, secundum totum, quod habent de veritate, non de defectu. Ergo res naturales a divino intellectu mensurantur tamquam a prima omnium mensura.

2º Primum in unoquoque genere est mensura ceterorum. Atqui Deus est absolute primum in omni genere h. e. in genere abstracto entitatis, et perfectionis, sive naturalis, sive intentionalis et cognitionis. Ergo est absolute prima mensura omnium entium et omnium cognitionum. — Stultum autem esset dicere quod respectu miserrimi intellectus nostri eiusque exiguarum cognitionum esset prima mensura per modum obiecti cogniti a nobis, ita scilicet quod cognitio omnium prima in nobis, qui transimus de potentia ad actum, esset cognitio Dei, ad quem se habet intellectus noster sicut oculus vespertillionis ad solem : Non enim notiora secundum se sunt notiora nobis.

Confirmatur doctrina S. Thomae 1. p. q. 16. a. 5. ubi quaerit: utrum Deus sit veritas. Sic ergo habet: " Respondeo dicendum quod sicut dictum est (a. 1) veritas invenitur in intellectu secundum quod *apprehendit rem ut est;* et in re secundum quod habet esse *conformabile intellectui* „. — Sic est in intellectu nostro et in rebus relate ad intellectum nostrum, a quo analogando ascendimus ad veritatem divini intellectus et divinae, essentiae aliqualiter investigandam, deinde prosequitur: " Hoc autem maxime invenitur in Deo. Nam esse eius non solum est conforme suo intellectui, sed etiam est ipsum suum intelligere ; et suum intelligere est mensura et causa omnis alterius esse et intelligere. Unde sequitur quod non solum in ipso sit veritas, sed quod ipse sit ipsa summa et prima veritas. „ — Ad 1[m] notat " quod licet in intellectu divino non sit compositio et divisio, tamen secundum suam simplicem intelligentiam (quae nedum virtualiter sed et supereminenter continet omnem perfectionem intellectus nostri componentis et dividentis) iudicat de omnibus et cognoscit omnia complexa, et sic in intellectu eius est veritas „. Cf. etiam C. Gent. l. 1. c. 40, 41, 42.

THESIS V.[a] — **Cum evidentia illa dicantur quae in se quidem perspicua sunt, sed etiam ad quae percipienda facultates nostrae ex ipsa natura sua referuntur, dici potest evidentia esse criterium veritatis.**

708. Probatur 1[a] pars. - Nam quod est in maximo entitatis, secundum se est in maximo intelligibilitatis, sed non quoad nos. Proprium enim obiectum cuiusvis facultatis proportionatur naturae et perfectioni naturali facultatis ipsius cuius est obiectum proprium, ad quod primo per se et immediate se habet. Et sic, ut habet S. Thomas (2. 2[ae] q. 1. a. 4) .... illa *videri* (esse evidentia) dicuntur, quae *per seipsa* movent intellectum nostrum vel sensum ad sui cognitionem. Illud autem quod per seipsum movet potentiam cognoscitivam est ipsum eius obiectum, ad quod unaquaeque potentia necessario et indefectibiliter se habet secundum quod ipsa. Percurrendo ergo quae posuimus in thesibus praecedentibus iam apparet quaenam sint ea quae " evidentia „ nobis sunt et quae sunt primum veritatis criterium, vel simpliciter, vel in aliquo ordine. Revera si agitur de demonstra-

bilibus, de quibus agi unice deberet, cum agitur de veritatis criterio, certitudo conclusionum, quae demonstrantur ex principiis dependet tanquam a propria causa et mensura ab evidentia principiorum, quae immediate cognoscuntur per ipsum lumen naturale intellectus tanta claritate, ut necesse sit ea non solum esse sed et *videri* esse vera, quod est ea evidenter esse vera, adeo ut circa ea non contingat interius mentiri.

Et proinde " In scientia conclusionum causatur determinatio (certitudo veritatis) ex hoc quod conclusio secundum actum rationis (discursum) *in principia per se visa* (hoc est per se evidentia) resolvitur... Ideo certitudo, quae est in scientia et in intellectu est ex ipsa evidentia eorum, quae certa esse dicuntur „.[1])

709. Corollarium. — Ex quibus iterum habes quod evidens idem est ac *per se visum;* visum autem importat habitudinem ad potentiam visivam, unde non debet sumi evidentia obiecti independenter a proportione et habitudine eius ad determinatam potentiam, scilicet evidentia importat de se elementum *obiectivum* et *subiectivum*; illud enim evidens est, quod proportionatur potentiae cognoscitivae. Huius memento si audieris digladiantes de primo criterio, an sit evidentia subiectiva, an obiectiva. Tum enim subiectiva evidentia importat habitudinem ad determinatum obiectum, tum obiectiva ad determinatam potentiam, sicut visibile ad visivam potentiam. Etiam cum dicitur verum evidenter apparens de necessitate movet intellectum, si analysim instituas, reducitur ad hoc " potentia ad proprium obiectum indeficienter se habet „.

Brevius — Illa videri seu esse evidentia dicuntur, quae per se ipsa movent intellectum nostrum. Illud autem *per se ipsum* movet potentiam, quod est proprium obiectum eius, ad quod unaquaeque potentia necessario et indefectibiliter se habet secundum quod ipsa. Ergo evidentia sunt nobis non quae in seipsis tantum perspicua sunt, sed etiam ita facultati nostrae cognoscitivae proportionata, quod primo, et per se, et immediate percipiantur; quae omnia competunt proprio obiecto cuiusvis facultatis.

---

[1]) Cf. S. Th. I *Anal.* l. XIX[a]. — 3 D. 24 q. 1. a. 2. Sol. 7[a].

710. Probatur 2ª pars. — Illud dici potest criterium veritatis circa quod intellectus deficere non potest, et ad quod omnia alia cognita examinantur. Atqui huiusmodi sunt evidentia. Ergo evidentia dici possunt criterium veritatis.

711. Nota Iª — Evidentia importat de se elementum *obiectivum* et *subiectivum,* illud enim est evidens, quod proportionatur potentiae cognoscitivae; ergo sive dicatur quod criterium veritatis est evidentia obiectiva, sive dicatur quod est evidentia subiectiva, in idem recidit, si id quod valet intelligitur.

IIª — Illud videt intellectus cuius similitudine directe informatur, circa quod deficere non potest, et ulterius illa complexa dicuntur videri per intellectum, quorum cognitio ex praedicta visione consurgit.

IIIª Ratio mensurae ergo prius competit rebus, deinde sensuum apprehensioni, dein primae entis apprehensioni, etc.; alia ex his mensurant intrinsece, alia extrinsece, alia sunt mensura prima in aliquo genere, aliqua in toto.

712. Obiectiones. - **Ob. 1ª.** Ut veritas obiecti gignat in nobis certitudinem, debet clare apparere menti. Ergo ipsa apparentia clara obiecti est criterium veritatis.

Resp. *C.A.* — *D.C.* Apparentia clara seu evidentia est *conditio* criterii veritatis *C.C.* est proprie ipsum criterium veritatis *N.C.* — Ut bene arguit *Liberatore* Log. Pars Alt. c. III. " Ut lux solis illuminet cubiculum, debet per fenestram penetrare: ergo non lux sed fenestra illuminat cubiculum? Profecto nisi obiectum menti appareat, nequit mens moveri ad assensum: sed illa apparentia est conditio, non vero causa certi iudicii. Causa proprie est ipsa obiecti veritas, quae per apparentiam illam manifestatur „. Melius ergo videtur dicendum quod ipsae res evidentes, nempe prima principia, in demonstrabilibus, et prima apprehensa, absolute, sint supremum criterium veritatis. " Quia quidditas rei est proprium obiectum intellectus, propter hoc tunc proprie dicimur aliquid intelligere, quando reducentes illud in *quod quid est,* sic de eo iudicamus, sicut accidit in demonstrationibus, in quibus non est falsitas „ (1. p. q. 17. a. 3. ad 1m.)

Ob. 2ª. Si criterium veritatis sunt prima principia per

se visa, vel prima apprehensa evidentia, sequeretur quod *veritas est criterium veritatis.* Atqui hoc est incongruum. Ergo.

Resp. *D.M.:* sequeretur quod aliqua veritas obiectiva esset criterium veritatis subiectivae *C.M.* quod veritas secundum se et secundum idem esset criterium veritatis *N.M.* — *Cd.m.* — *N.C.* — Omnes intelligunt quod criterium, seu norma veritatis, debet esse aliqua prima veritas per se manifesta.

Articulus II.us

De Evidentia Credibilitatis.

THESIS I.a — Certitudo in nobis oriri potest circa aliquid non solum ex evidentia veritatis, sed etiam ex evidentia credibilitatis.

713. Probatur. — Certus esse possum de aliqua re ideo quia a me videtur, sive per sensus, sive intellectualiter, sive quia legittime deduxi ex immediate visis. In hoc casu habeo certitudinem ex *ipsa evidentia rei.* Quandoque contra possum esse omnino certus de aliqua re, quam tamen, nec immediate video, nec per demonstrationem ex immediate visis deduco; et hoc solum ideo quia evidens mihi est quod testimonio alicuius, vel plurium omnino *fidere* debeo. In hoc casu res ipsa manet mihi secundum se *obscura*, et eam nec immediate video, nec ex immediate visis deduco per demonstrationem. Non habeo ergo *evidentiam rei.* Habeo *evidentiam credibilitatis* h. e. mihi evidens est quod debeo credere, *video* quod debeo credere; *non video rem,* non habeo *evidentiam rei,* quae dici solet *evidentia veritatis.* Sic in fide supernaturali, evidens mihi est quod debeam credere revelanti; evidens pariter esse potest, et mihi est, (et hoc dico sciens quid disputent theologi de hoc) quod Deus hoc, vel illud revelaverit, puta mysterium Trinitatis, nihilominus res ipsa revelata, mysterium ipsum, *evidenter credendum*, remanet *totaliter non visum,* sive quantum ad quaestionem *an est,* sive quantum ad quaestionem *quid est.* Et sic semper fides est de *non visis*,

quod est dicere de non *evidentibus,* sive loquaris de immediate evidentibus, sive de evidentibus mediate. *Video esse credendum, rem ipsam* non video. — Cf. S. Th. 2. 2^{ae} q. 1. a. 4 et 5.

Sic discupulus, qui *fidit* magistro antequam ad scientiam conclusionis propositae perveniat, fidendo tenet conclusionem esse veram et certe veram, eam tamen veram esse non videt sed credit. Et sic dicit Aristoteles " discentem oportet credere, fides enim in discente est via ad perfectam visionem rei. Prius tenet rem ut certam licet non videat ipse, fidens magistro videnti et sic perducitur ad perfectam visionem rei.

Atque ita est in supernaturali fide, quae Deo docenti et revelanti adhibita perducet hominem ad perfectam Dei ipsius omniumque, quae fide nunc tenemus, visionem [1]).

THESIS II.^{a} — **Fides definiri potest " assensus mentis quo credimus vera esse quae dicuntur propter testantis auctoritatem „ ; proinde obiectum materiale fidei, est ipsa res credita, obiectum vero formale est scientia et veracitatis testantis.** (Cf. S. Th. 2.^{a} 2^{ae} q. 1^{a}. a. 1).

714. Praenotanda. - I. *Quid testis?* Quicumque aliquid ut sibi cognitum alteri manifestat. Potest esse *immediatus et mediatus* prout quod testatur, per se ipse cognovit, vel ab aliis accepit. Et si ipse suis sensibus usurpavit rem sensibilem dicitur *oculatus,* seu de visu, aut *auritus* si audivit. Insuper testes dicuntur *coaevi, suppares, remoti,* prout vel eodem, vel proximo, vel posteriori tempore vixerunt quo factum ab ipsis relatum contigit.

II. *Quid testimonium?* Testimonium vel testificatio est actus, quo testis rem a se cognitam manifestat: et est ratione testantis *divinum* vel *humanum;* ratione rei manifestatae *historicum* vel *dogmaticum,* prout scilicet vel facta, vel doctrinam testatur. Testimonium potest transmitti *orali traditione* — *documentis* et *monumentis.*

III. *Quid auctoritas?* Est id, quo habetur testis fide dignus, quatenus nec falli, nec fallere velle iudicatur, quod praestant scientia et veracitas. — *Irrefragabilis* dicitur testis, quando talis est quod nec etiam possit fallere aut falli.

---

[1]) Cf. S. Th. 2. 2^{ae} q. 1. a. 2. ad 3^{m}.

715. Probatur 1ª pars. - Fides bene definitur assensus mentis, quo credimus vera esse, quae dicuntur propter testantis auctoritatem. Dicitur:

1° — *Assensus mentis* — hoc est assensus intellectus: nam qui credit assentit alicui vero, quod est obiectum intellectus [1]).

2° — *propter testantis auctoritatem* — quia intellectus assentit enunciabili credibili, non quia videat illud aut in se, aut in alio per se viso, sed quia fidit testanti propter eius auctoritatem.

Probatur 2ª pars. — " Cuiuslibet cognoscitivi habitus obiectum duo habet: scil. id, quod materialiter cognoscitur, quod est sicut *materiale* obiecti; et id, per quod cognoscitur, quod est formalis ratio obiecti „ (S. Th. 2.ª 2ae q. 1. a. 1. c.) — Unde sicut in quolibet habitu obiectum formale est ratio illa, secundum quam obiectum attingitur ab habitu illo, ita in habitu cognoscitivo est ratio illa, qua fit ut cognosci possit secundum modum proprium talis habitus cognoscitivi, seu est *medium* cognitionis; medium scilicet, propter quod materiale obiectum evadit cognoscibile secundum habitum illum. Atqui nihil potest esse medium cognoscibilitatis, seu medium cognitionis *ex parte obiecti,* nisi quatenus ipsum sit cognitum. Ergo obiectum formale habitus cognoscitivi est illud, quo cognito, obiectum materiale cognosci potest habitu illo, et ideo obiectum formale fidei erit illud, *quo cognito,* res aliqua evadit credibilis et creditur.

Atqui id, quo cognito aliquid evadit credibile, non est nisi scientia et veracitas testis. Ergo scientia et veracitas testis sunt obiectum formale fidei.

716. Nota 1ª. — Scientia et veracitas in teste, in quo sunt permanentes dotes, constituunt dignitatem ut ei credatur, seu *auctoritatem.* Unde agendo de fide divina, simpliciter dicitur, quod *auctoritas* est obiectum formale fidei. Sed quia ad fidem humanam potest sufficere ut habeantur praedictae dotes *transeunter per accidens* et *secundum quid,* seu sufficit quod de his constet quantum ad applicationem rei credendae, licet alioquin testis sit scelestus homo et habitualiter mendax (quo in caso

---

[1]) Cf. S. Th. 2ª. 2ae. q. 4. a. 2.

auctoritas proprie non habetur), ideo in thesi dictum est generatim, quod *scientia et veracitas* sunt obiectum formale fidei.

Nota 2ª. - Guillelmus Parisiensis putavit, quod auctoritas (ubi agatur de fide divina) consistat in *perfecto Dei dominio,* propter quod valet Deus imperare nobis obsequium intellectuale, nullo habito respectu veritatis. Sed hoc est falsissimum ; nam auctoritas, quatenus est motivum fidei, debet constituere obiectum aliquod ut attingibile a fide *ut verum.* Habitus enim cognoscitivus non versatur circa aliquid sub ratione *boni,* sed sub ratione *veri.* Atqui supremum Dei dominium nequit facere ut aliquod obiectum attingatur ut verum et ab habitu cognoscitivo, sed ut attingatur ut *bonum* et ut debitum ab habitu *obedientiae.* Ergo. — Quod ut melius intelligas, adverte quod fides a voluntate imperatur (ut th. seq. ostendetur) ; sed voluntas semper movetur ab aliquo cognito. Ratio autem movens voluntatem ad flectendum intellectum, potest esse honestas illa, quae relucet in se subiiciendo supremo Dei dominio; potest esse bonum vitae aeternae consequendum, aut aliquid huiusmodi : sed ista motiva respiciunt *voluntatem tantum,* et ideo possunt constituere *finem* fidei, sed non *obiectum :* possunt esse ratio cur fides sit bona aut meritoria, sed non ut *sit* fides.

Ergo praeter motiva praedicta, necessario dari debet aliud motivum, propter quod fides constituatur in esse fidei ; nempe *bonum veritatis,* quod obtineri potest non directe per evidentiam rei, sed per hoc quod intellectus se conformet veritati, quae ab ipso non inspicitur, sed cuius attestationem fide dignam agnoscit. — Patet ergo quod scientia et veracitas testis sunt unice id, quo adhaesio alicui enunciabili, non in se viso, potest accipi a voluntate tanquam bonum *intellectus,* et ideo motivum fidei, formaliter *ut fides est.* Per scientiam et veracitatem testis, tale enunciabile, quamvis non in se visum, induere potest rationem veri, quod unice potest esse bonum intellectus.

Nota 3ª. — Hinc vides, quam insipienter *Fideistae* et grex *Modernistarum* loquantur de fide quadam, quae praescindat ab obiectiva veritate rei, et imo cum positiva ac rationali negatione ipsius conciliari possit. Quodcumque enim bonum assignetur tanquam motivum adhaesionis alicui enunciabili, omnino

repugnat quod assensus fidei habeatur, nisi praesupponatur *veritas* ipsius enunciabilis, quamvis veritas ipsa non debet esse in se visa (secus intellectus adhaereret ipsi absque ulla motione voluntatis), sed debet esse evidenter *credibilis*. Fingere autem assensum fidei, qui praescindat a veritate rei et determinetur a quacumque alia ratione, est omnino absurdum, et, si agatur de fide divina, impium est atque blasphemum. (Cf. Enc. *Pascendi Dominici*).

THESIS III.ª — **Obiecti materialis fidei conditio essentialis est, ut sit obscurum et inevidens. Unde impossibile est quod ab eodem idem sit scitum et creditum.**

717. Praenotandum. — Thesis ista ita est intelligenda, ut non solum dicamus vi fidei, obiectum eius non evadere evidens, licet aliunde possit esse evidens vi alterius habitus; sed ita, ut quidquid ex quacumque causa evadat evidens, iam hoc ipso decidat a ratione fidei, nec a fide ut proprie *creditum*, — pro iis adiunctis temporis, aut subiecti, in quibus evidens est — attingi possit.

718. Probatur. — Probare quod obiectum fidei debet esse obscurum, idem est ac probare quod ratio fidei importet assensum praestitum, propter auctoritatem loquentis, rei non visae, seu (quod idem est) propter *solam* auctoritatem loquentis. Porro hoc patet:

a) Ex ipso sensu communi; quis enim potest serio et formaliter credere suam existentiam, solem existere, idem non posse simul esse et non esse? Ridere solemus de eo, qui dicat tum rem credere, dum eam videt.

b) Ex ratione: iuxta S. Thomam, fides actualis est assensus intellectus uni parti determinatae, per voluntariam electionem propter auctoritatem loquentis (2.ª 2ae q. 1. a. 4.). Unde tunc solum habetur actus fidei proprie dictus, cum intellectus assensus ita est, ut, *quantum est ex parte obiecti*, possit etiam non esse, vel saltem non esse firmus; secus iam non esset liber. Atqui quando obiectum substat intellectui *ut visum*, non potest assensus non esse, vel esse assensus non firmus, quia obiectum visum necessario specificat in ratione assensus et quidem firmi. Ergo tunc solum dari potest actus fidei, cum intellectus obi-

ectum non est visum. — Atqui habitus non respicit obiectum nisi mediante actu. Ergo obiectum visum non potest esse obiectum sive actus sive habitus fidei.[1])

719. Dices I°. — Sufficit ut assensus sit liber quantum est ex parte motivi formalis, quod est auctoritas, licet non sit talis ex parte obiecti materialis.

R. Si assensus non est liber ex parte obiecti materialis, seu si obiectum necessario specificat actum intellectus in ratione assensus, iam nequit respectu talis obiecti locum habere motivum formale, seu tale obiectum decidit simul a ratione materiae *circa quam* actus fidei, et a capacitate induendi rationem formalem obiecti fidei. Motivum enim auctoritatis tunc solum applicari potest obiecto *ut specificativum* actus, quando ipsum obiectum de se vel alia ratione non specificat intellectum in ratione assensus. Non enim potest obiectum suscipere duplicem rationem specificativam, secus etiam actus intellectus deberet esse idem in duplici specie, scilicet fidei et visionis, quod repugnat, etiam praescindendo a contrarietate perfecti et imperfecti, quam dicunt visio et fides ex parte subiecti videntis et credentis.

720. Dices II°. — Potest obiectum distinctis vicibus suscipere diversam rationem motivi, modo per applicatam auctoritatem, modo per evidentiam, et sic potest diversis vicibus specificare diversimode actum intellectus, nempe ut creditum et ut visum.

R. Ergo, *si et quamdiu* est visum, idem obiectum non potest esse simul creditum, seu id, quod creditur, nequit esse visum neque *concomitanter*. — Nota tamen quod, nisi fidelis de aliqua veritate (ex. gr. existentia Dei), quam demonstratam possidet,

---

[1]) Posset haec doctrina confirmari amplissima ratione theologica ; quae desumi potest tum ex ipsa definitione fidei, quae traditur ab Apostolo " est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum *non apparentium* „ (ad Hebr. XI, 1) tum ex unanimi consensu Patrum, apud quos idem fere est *credere* et *non videre:* tum quia si ad formalem rationem fidei sufficeret dispositio admittendi aliquid propter auctoritatem Dei revelantis, non intelligitur cur in Cristo non fuerit fides, cur non sit in Patria simul cum visione.

ipsum habitum scientiae amittat (puta per oblivionem), utcumque actus mutet, nunquam pro ipso illa veritas erit obiectum, quod vestiat rationem specificantis motivi ex auctoritate, quia actus eliciuntur conformes habitui, quem quis habet. Erunt ergo assensus scientifici, cum possideatur habitus scientiae, qui ad talem veritatem se extendit; et sic simul esse non poterunt assensus fidei. [1])

721. Dices III° — Saltem fides potest stare cum evidentia imperfecta.

R. Omnino, ad thesim quod attinet, reiicienda est distinctio inter obiecta, quae habent evidentiam immediatam et in summo, et alia simpliciter quidem evidentia, utpote demonstrata, sed circa quae indiget intellectus firmari contra dubia imprudentia. Nam philosophus iudicat de rebus prout simpliciter considerantur. Si ergo, ubi nulla obscuritas obiecti (ob evidentiam summam), dicitur impossibilis fides, et, ut fides habeatur, aliqua saltem obscuritas quaeritur, seu aliquis evidentiae defectus, patet quod ubi *simpliciter* est evidentia, ibi, si admiscetur fides, tamen hoc esse non poterit per actum, qui *simpliciter* sit actus fidei. Non enim probatur quod evidentia summa excludit fidem, nisi praesupponatur quod evidentia *secundum* se opponitur fidei. — Unde admittimus quod assensus scientificus potest roborari ex influxu fidei contra dubia imprudentia, imo quod firmari possit in ipsa sua certitudine, etiamsi nulla essent dubia imprudentia; scil. quod idem obiectum possit ab eodem teneri per medium demonstrativum et auctoritatis, sed non ita, quod ambo haec cognoscendi media sint *specificativa* actus in ratione simul et scientiae et fidei.

In actibus enim animae, virtus praecedentis remanet in sequenti, et licet veritatem *scitam in particulari* credere non possim, possum tamen et debeo credere prout venit *sub generali*

---

[1]) Aliqui auctores instituunt quatuor quaestiones; 1ª. utrum *habitus* fidei possit stare *cum habitu* scientiae; 2ª. utrum *actus* fidei *cum actu* scientiae; 3.ª utrum *habitus* fidei *cum actu* scientiae; 4. utrum *actus* fidei *cum habitu* scientiae. Sed patet quod istae distinctiones sunt prorsus inutiles; nam, posito quod absoluta obscuritas est essentialis conditio obiecti fidei, omnibus his quaestionibus respondendum est *negative*.

ratione credendorum aut revelatorum a Deo. Sub ista confusa notione, quae communis est sive mysteriis sive veritatibus naturaliter notis, nullum obiectum habet evidentiam illam nec concomitantem, quae opponitur fidei. Sic igitur ex virtute huius actus remanet in sequenti, quo aliquid revelatum demonstro, firmitas superexcedens firmitatem scientiae, imo aequans firmitatem fidei, quin tamen hic sequens actus sit actus fidei, sed remanet in specie assensus scientifici. Intellectus enim scientis confortatur ex praesentia testimonii divini, ut intensius adhaereat veritati; quae intensio maior pendet ab obiecto formali fidei, ita ut, licet per eam, actus non sit formaliter fides, tamen habet virtutem fidei derivantem ex aliquo actu fidei. — Idem dicendum de eo, qui aliquam veritatem tenet medio demonstrativo et probabili: actus est scientiae, sed continens etiam bonum et virtutem opinionis, quin tamen sit formaliter opinativus, cum non sit cum formidine oppositi.

THESIS IV.ª — **Credere est actus intellectus secundum quod movetur a voluntate; scilicet assensus credentis rei creditae est actus intellectus secundum quod a voluntate determinatur ad unum.** (Cf. 5. Th. 2. 2ae q. 1. a. 4 — q. 2. a. 1. ad 3m — q. 2. a. 2. etc. — *De Veritate* q. 14. a. 1.).

722. **Probatur.** — Credere immediate est actus intellectus, quia obiectum huius actus est verum, quod proprie pertinet ad intellectum. Et ideo oportet quod fides " quae est principium huius actus, sit in intellectu sicut in subiecto „. (S. Th. 2. 2ae q. 3. a. 2) tamen " ex imperio voluntatis, intellectus credibilibus assentit „ (2. 2ae, q. 4. a. 2 ad 1m) quia quandoque " intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab obiecto proprio, sed per *quamdam electionem* voluntarie declinans in unam partem potius, quam in aliam; et sic hoc sit cum dubitatione et formidine alterius partis,erit opinio; si autem sit *cum certitudine,* absque tali formidine, erit fides „ (2. 2ae q. 1. a. 4) — Et sic, hoc quod est credere, est *cum assentione cogitare,* ut ait S. Augustinus; et S. Thomas explicat prout cogitare sumitur pro motu animi deliberantis nondum perfecti per plenam visionem veritatis. En verba S. Thomae „ Actuum enim ad intellectum pertinentium quidam habent firmam *assentionem* absque

tali cogitatione (quae hic definita est) sicut cum aliquis considerat ea, quae *scit* vel *intelligit;* talis enim consideratio est firmata. Quidam vero actus intellectus habent quidem cogitationem informem sed absque firma assentione; sive in neutram partem declinent, sicut accidit dubitanti; sive in unam partem magis declinent, sed tenentur aliquo levi signo, sicut accidit *suspicanti;* sive uni parti adhaereant, tamen cum formidine alterius, quod accidit *opinanti.* Sed *actus iste, qui est credere, habet firmam adhaesionem ad unam partem* (sine ulla formidine, secus non est credere) in quo convenit credens cum sciente (relate ad conclusiones scientificas) et intelligente (relate ad ipsa principia); et tamen eius cognitio *non est perfecta* per manifestam visionem (quia neque intelligit, neque scit, sive loquaris de quaestione *an est,* sive *de quid est);* in quo convenit cum dubitante, suspicante et opinante (qui omnes se habent ut cogitantes, non ut scientes vel intelligentes) et sic proprium est credentis ut cum assensu cogitet. Et propter hoc distinguitur iste actus, qui est *credere* ab *omnibus* actibus intellectus, qui sunt circa verum et falsum „ S. Th. 2. 2.ae q. 2. a. 1. — Et in responsione ad 3.m ait quod intellectus credentis determinatur ad verum (in qua determinatione consistit certitudo) non per rationem, sed per voluntatem, et ideo *assensus hic accipitur pro actu intellectus secundum quod a voluntate* determinatur ad unum.

Habet ergo hic actus, qui est credere, ex ipsa sua natura, quod intellectus credentis sit ad *unum determinatus* per voluntatem; et hoc ex eo quod et importat determinationem intellectus ad unum, et sic certitudinem, importat vero etiam simul quod illud quod sic ut certum tenetur, neque sit intellectum neque scitum, sed tale, respectu cuius, intellectus de suo se habeat ad summum ut cogitans. — Sed intellectus de suo non potest respectu eiusdem se habere ut cogitans et ut determinatus ad unum. — Ergo determinationem illam de necessitate habere debet a voluntate, cum de se ab obiecto illam non habeat. Et sic actus fidei " subiacet voluntati non solum quantum ad *usum* (— ut reliqui omnes actus intellectus —) sed etiam quantum ad *assensum.* „ (S. Th. 2. 2.ae q. 2. a. 10) — Et 2. 2.ae q. 2. a. 9. ad 2.m ait: " In scientia duo possunt considerari,

scilicet ipse *assensus* scientis in rem scitam et *consideratio* rei scitae. *Assensus* autem scientiae non subiicitur libero arbitrio, quia *sciens* cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis . . . . . Sed *consideratio* actualis rei *scitae* subiacet libero arbitrio, est enim in potestate hominis considerare vel non considerare . . . . . Sed in fide utrumque subiacet libero arbitrio..... Sed opinio non habet firmum assensum, est enim quiddam debile et infirmum, secundum sc. Phil. 1. *Anal.;* unde non videtur procedere ex perfecta voluntate..... „.

Atque haec duo omnino pertinent ad ipsum conceptum huius quod est credere, quod credens scilicet non sit *sciens* vel *intelligens,* et tamen habeat circa ea quae credit determinationem illam ad unum, cum non habeat ex parte ipsius obiecti, quod non cogit *ullo modo intellectum,* relinquitur quod eam habeat ex voluntate inclinante et determinante ad *unum.*

Quomodo autem voluntas inclinet et determinet intellectum, melius apparebit ex thesibus sequentibus.

THESIS V.ª — 1º **Quamvis evidentia credibilitatis numquam sit motivum formale fidei, tamen;** 2º **semper praerequiritur ad assensum fidei;** 3º **et optime stare potest cum perfecta obscuritate illius quod creditur.**

723. Praenotandum. — Thesis ista, maximi omnino est momenti, hisce praesertim temporibus, dum rationes scientiae et fidei maxime in discussionem ponuntur. Ex hoc enim quod aliqua obscuritas, essentialis omnino sit obiecto fidei, multi, confundentes obscuritatem ipsius obiecti cum obscuritate motivorum, quae ipsum credibile faciunt, putant quod, ubi habetur vera demonstratio *veritatis credibilitatis* alicuius obiecti, illud, hoc ipso, decidat ab obiecto fidei; vel ergo requirunt quod (ubi agitur de fide supernaturali) fidelis *unice* respiciendo auctoritatem Dei loquentis, mentem *avocet* ab evidentia motivorum, quam acquisivit [1]), vel requirunt ad propriam rationem fidei, aliquam bonam dispositionem voluntatis, quae cum reverentia se submittat Primae Veritati, quae dispositio semper sit libera

---

[1]) Cfr. Liberatore, *Inst. Philos.* V. I. V. 2ª C. III. Ob. II.

etiamsi motiva credibilitatis sint evidentissima [1]). Quae doctrina sat periculosa esse videtur: ex hoc enim quod evidentia credibilitatis, quocumque modo putetur obstare rationi fidei, iam periculum exsurgere potest, quod aliquis, veneno Kantiano infectus, actum ipsum fidei ita voluntati attribuat, ut dicat, quod, si minus necessario, saltem valde convenienter, talis actus haberi debeat ubi nulla vel fere nulla sint motiva credibilitatis: ex hoc autem ad falsa systemata *Dogmatismi moralis, Fideismi, Immanentiae* etc. facilis progressus apparet.

II° Statuimus ergo in primis quod evidentia credibilitatis nunquam esse potest motivum fidei, ita scilicet ut nunquam fides haberi possit cuius motivum formale aliud sit a scientia et veracitate testantis: praeterea dicimus quod voluntati inclinanti et determinanti intellectum ad assensum fidei, praelucere debet evidentia credibilitatis, h. e. iudicium intellectus, quo iudicet, quod testificanti vel testificantibus sit fidendum et credendum. Hoc autem iudicium potest esse etiam evidentissimum et certissimum iudicium, quo iudicet nempe quod testificanti vel testificantibus plenissime et, ut ita dicam, *totalissime* sit fidendum et credendum, et quod nullum prorsus sit possibile periculum deceptionis in credendo: cum quo tamen stat, quod illud quod a testificante asseritur, a me nullo modo sit cognitum, nisi in quantum testificanti fidem adhibens, credo quod ille dicit, innixus eius certae vel etiam prorsus irrefragabili auctoritati.

III° Adverte tamen, quod dum dicimus praerequiri ad actum fidei evidentiam credibilitatis, non ita hoc est intelligendum quasi semper et in omnibus illa evidentia requiratur quae per veram et perfectam demonstrationem habetur, nempe *evidentia veritatis* ipsorum motivorum credibilitatis, ita scilicet ut dicta motiva sint in se visa mediate vel immediate, sed sufficit ut teneantur iterum fide, cuius fidei motiva sunt scientia et veracitas *evidenter nota* vel parentum vel alterius personae quae ut fide digna habetur [2]). In hoc casu, ut patet,

[1]) P. Mattiussi, *Il Veleno Kanziano* — Primato della volontà — § 2.

[2]) Adverte ergo quomodo semper *ultimo* evidentia credibilitatis fundatur in aliqua ***evidentia veritatis.***

ipsa motiva credibilitatis e. g. alicuius dogmatis non sunt evidentia in se, sed evidenter credibilia. Unde tandem motiva credibilitatis semper debent esse *evidentia,* licet non sit necesse ut gaudeant *evidentia veritatis,* sed sufficit ut gaudeant *evidentia credibilitatis.*

IV° Nota denique quod quocumque modo evidentia credibilitatis habeatur, firmitas adhaesionis, quae est in fide supernaturali, nullo modo mensuratur a talibus motivis credibilitatis, sed unice et semper innititur super *ipsam auctoritatem Dei revelantis;* unde est semper maxima; quamvis id, quo auctoritas illa cognoscitur et tenetur, variare possit, proportionaliter ad classes hominum, semper tamen debet esse *suo modo* evidens.

724. Probatur 1ª pars. — *Evidentia credibilitatis numquam est motivum fidei.*

Impossibile est quod detur actus alicuius speciei, qui non cadat sub proprio specificativo talis actus, sicut e. g. impossibile est quod detur actus alicuius scientiae, qui non cadat sub specificativo proprio talis scientiae. Atqui proprium specificativum actus vel habitus est *obiectum formale* seu ratio illa sub qua obiectum attingitur ab actu vel habitu. Ergo impossibile est quod detur actus alicuius speciei qui non cadat sub proprio obiecto formali ipsius. Atqui obiectum formale fidei, ut dictum est, est scientia et veracitas testis. Ergo impossibile est quod detur actus fidei cuius obiectum formale non sit scientia et veracitas testis. Atqui si motivum fidei esse posset, in aliquo casu, ipsa evidentia credibilitatis, iam haec ipsa evidentia, non vero scientia et veracitas testis, esset obiectum formale fidei. Ergo evidentia credibilitatis numquam potest esse motivum fidei.

2° Absurdum est ponere ut motivum formale actus unius speciei, id quod pertinet essentialiter ad actum alterius speciei. Atqui evidentia pertinet ad specificativum actus visionis, ut patet in terminis. Ergo numquam potest esse specificativum actus fidei. — Et re quidem vera, evidentia credibilitatis specificat actum *visionis credibilitatis:* non ergo potest specificare ipsum actum fidei.

3° Neque dicendum quod *evidentia extrinseca* potest esse

motivum fidei. Nam evidentia numquam est extrinseca illi rei, cui per evidentiam assentimus. Evidentia enim non movet nisi *faciendo videre*, ut patet in terminis. Vel ergo facit videre (immediate aut mediate) illam rem, cui assentimus, et tunc iam est intrinseca ipsi, et nulla est fides : vel non facit illam videre, et tunc non movet. Non ergo est motivum formale fidei ullo modo.

725. Probatur 2ª pars. — *Voluntati praelucere debet evidentia credibilitatis.*

1° Nam aliter leviter crederetur : ex quo sequeretur quod fides sit actus levitatis et stultitiae, secundum illud *Eccl.* 19.4. " Qui cito credit, levis est corde „.

2° Quamvis firmitas adhaesionis seu certitudo fidei non proportionetur certitudini motivorum credibilitatis, et ita quidem, ut certitudo fidei esse possit plus quam metaphysica, certitudo vero credibilitatis possit esse mere moralis ; tamen manifestum est quod, si auctoritas ipsa (quae est motivum formale fidei) certo non tenetur, non potest exercere suum effectum formalem : subtrahitur enim ipsum fundamentum certitudinis fidei. Unde S. Th. dicit, quod ille, qui credit, non crederet nisi *sciret* esse credendum. Et 2. 2.ae q. 2. a. 9 ad 3.m, huic difficultati " Ille qui assentit alicui rei, credendo, aut habet causam sufficienter inducentem ipsum ad credendum, aut non : si habet sufficiens inductivum ad credendum, non videtur hoc esse ei meritorium ; quia non est ei iam liberum credere et non credere; si non habet..., levitatis est credere. Ergo credere nullo modo est meritorium „ sic respondet : " Dicendum quod ille, qui credit, *habet sufficiens inductivum* ad credendum : inducitur enim auctoritate divinae doctrinae, miraculis confirmatae et, quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis, unde non leviter credit : tamen *non habet sufficiens motivum ad sciendum ;* et ideo non tollitur ratio meriti „. — Ubi, ut patet, asserit quod homo habere debet evidentiam credibilitatis; sufficiens enim inductivum intellectus non potest esse nisi verum evidenter apparens sive per se, sive per reductionem ad principia, ut saepe docuit. Nullo autem modo dicit quod ut habeatur meritum fidei, necesse sit avertere intellectum a motivis

credibilitatis, neque quod necesse sit assentire cum aliqua speciali reverentia, etc; sed simpliciter dicit quod meritum habetur quia *non habetur sufficiens inductivum ad sciendum,* quo fit ut, posita quacumque evidentia ex parte motivorum credibilitatis, adhuc actus fidei haberi non possit, nisi " ex imperio voluntatis a Deo motae per gratiam „.[1])

726. Probatur 3ª pars. — *Cum iudicio certissimo atque evidentissimo circa credibilitatem alicuius obiecti, bene stare potest, quod tale obiectum nullo modo sit scitum, sed tantum creditum.*

Iº Intrinsece absurdum est quod perfecta applicatio obiecti formalis alicuius habitus vel potentiae proprio obiecto materiali, destruat in hoc obiecto rationem attingibilitatis a tali habitu vel potentia : obiectum enim formale est ratio sub qua attingitur obiectum materiale : quo ergo perfectius applicatur obiectum formale, eo melius obiectum materiale attingi potest et debet : sicut quo perfectius aliquod obiectum est *coloratum,* eo melius est visibile, absurdum autem esset dicere quod quia aliquod obiectum perfectius est coloratum, ideo non est visibile. — Atqui manifesta scientia et veracitas attestationis sunt obiectum formale fidei, nempe id quo aliquod obiectum fit credibile. Ergo absurdum est et contraddictorium quod perfecta, nempe evidens et certissima et infallibilis attestatio, destruat in obiecto attestato propriam rationem attingibilitatis ab habitu fidei, nempe destruat in ipso rationem credibilitatis. — Atqui, si evidentia attestationis redderet *scitum* aliquod obiectum, hoc ipso tale obiectum caderet a ratione *credibilis* (ut probatum est in th. pre.). Ergo intrinsece absurdum est quod evidentia attestationis infallibilis seu evidentia credibilitatis[2]) possit quomodocumque reddere visibile obiectum attestationis.

---

[1]) Ab Innocentio XI (2 Martii 1679) damnata est haec propositio : "Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus „.

[2]) Distinguunt quidam *evidentiam in attestante* ab *evidentia credibilitatis* et dicunt quod evidentia in attestante illa est qua evidens fit intellectui quod testificans nec fallere potuit nec falli : evidentia credibilitatis illa est quae versatur circa affirmabilitatem alicuius enunciati propter motivum

IIº Ut dictum est, fides consistit in hoc, quod intellectus assentiat alicui veritati " non quia ipsam videat vel secundum se, vel per resolutionem ad prima principia per se visa, sed propter imperium voluntatis moventis intellectum „ ; et ista distinctio est omnino adaequata ; vel enim assentit intellectus *obiecto viso* (vel per se, vel per medium), et tunc ex seipso assentit et omnino necessario, vel *obiecto non viso,* et tunc non assentit nisi per imperium voluntatis. " Quod autem voluntas moveat intellectum ad assentiendum, potest contingere ex duobus : uno modo *ex ordine voluntatis ad bonum* „ (praesupposito tamen in intellectu sufficienti inductivo, ut prius dixit, quo fiat ut tale obiectum induat propriam rationem boni relate ad intellectum, nempe *veri,* quamvis *ut credibilis,* non ut visi ; secus ipse assensus fidei esset intrinsece absurdus, ut dictum est) et sic credere est actus laudabilis : alio modo quod intellectus *convincitur ad hoc quod iudicat esse credendum* his quae dicuntur, licet *non convincatur per evidentiam rei* „. Scilicet aliud omnino est habere evidentiam *credibilitatis* alicuius rei, aliud est habere evidentiam *demonstrationis* ipsius rei. Quando habetur evidentia demonstrationis alicuius rei, tunc res ipsa in se fit evidens, et fides consequenter est omnino impossibilis. Sic pro eo, qui demonstrat existentiam Dei, Deus decidit ab obiecto fidei, *pro ipso.* Quod enim videtur, non creditur. Quando e contra habetur evidentia credibilitatis alicuius rei, adhuc potest res ipsa in se manere prorsus obscura : unde fit ut intellectus non necessario ipsi adhaereat, quamvis signa sint omnino evidentia : intellectus enim non movetur necessario nisi a *vero viso ;* porro per

---

auctoritatis (Billot, *De Virt.* p. 210 nota). Sed ista distinctio supponit quod dari possit fides cuius motivum non sit scientia et veracitas loquentis, sed ipsa evidentia attestationis : quod quidem adstruitur ad salvandam fidem daemonum, quae non putatur esse propter auctoritatem Dei, sed mere propter evidentiam signorum. — Hoc autem non esse verum, ostendimus in thesi. Semper enim obiectum formale seu motivum fidei est scientia et veracitas attestantis, quae praesupponitur manifesta propter *evidentiam,* quae simul respicit et veracitatem testis et affirmabilitatem alicuius enunciati propter auctoritatem ipsius, et uno nomine vocari potest *evidentia credibilitatis.*

praedicta signa credibilitatis, licet evidentissima, adhuc obiectum non *fit visum* (si enim fieret visum, iam haberetur vera demonstratio, et incidimus in casum priorem). Ergo per quamcumque evidentiam credibilitatis non tollitur ullo modo ratio fidei. Unde prosequitur S. Doctor: " sicut, si aliquis propheta praenuntiaret in sermone Domini aliquid futurum, et adhiberet signum, mortuum suscitando, ex hoc signo *convinceretur* intellectus videntis, ut cognoscat *manifeste* hoc dici a Deo, qui non mentitur, licet illud futurum quod praedicitur, in se *evidens non esset.* Unde per hoc ratio fidei non tolleretur „. Unde patet quod, secundum S. Doctorem, dari potest omnino evidentia *veritatis* alicuius rei, quamvis nullo modo habeatur evidentia ipsius rei in se.

III° Si evidentia credibilitatis quocumque modo obstaret actui fidei, fidelis non deberet inquirere rationes, quibus magis confirmatur in hoc, quod iudicet esse credendum. At contra dicit S. Thomas quod, cum homo habet promptam voluntatem ad credendum, diligit veritatem creditam et eam excogitat et amplectitur, si quas rationes ad hoc invenire potest: et quantum ad hoc ratio humana non excludit meritum fidei, sed est signum maioris meriti. (2.ª 2.ae q. 2. a. 10) Ergo.

IV° *Confirmatur* exemplo daemonum; nam, ut prosequitur S. Thomas, fides est in daemonibus solum secundo modo, nempe sine rectitudine voluntatis, non tamen sine imperio ipsius voluntatis. " Vident enim multa manifesta indicia, ex quibus percipiunt doctrinam Ecclesiae ex Deo esse, quamvis ipsi *res ipsas,* quas Ecclesia docet, non videant, puta Deum esse trinum et unum, vel aliquod huiusmodi „ (2. 2.ae q. 5. a. 2). Et sic " fides eorum est quodammodo coacta *ex signorum evidentia* „ (ad 1m)... " coguntur ad credendum (non ad videndum, nihil enim vident ex his) ex perspicacitate naturalis intellectus „ (ad 2m) imo " hoc ipsum daemonibus displicet, quod signa fidei sint tam evidentia, ut per ea credere compellantur, et ideo in nullo malitia eorum minuitur, per hoc, quod credunt „. (ad 3m).

Et nota quam sapienter S. Th. dum ex una parte statuit quod assensus circa revelata non est necessarius, idest non est independens omnino a voluntate, ex alia parte ponit, quod vo-

luntas ipsa est *coacta*. Nam obiectum revelatum semper, etiam pro ipsis, manet in se omnino *obscurum*, non *visum*, ideoque extra ambitum eorum, quae necessitare per se possunt intellectum: intellectus enim non movetur necessario nisi a vero, quod evidenter appareat in *seipso*; porro mysteria fidei nulli creato intellectui sunt de se evidenter apparentia. Ex alia vero parte eadem mysteria habent signa credibilitatis evidentissima; apparent ergo ut evidenter credibilia seu credenda, et eo magis, quo maior est perspicacia intellectus, qui ea considerat. Sunt ergo evidenter vera ut *credibilia*: intellectus vero non potest ipsis adhaerere ex se, quia, ut dictum est, sunt extra ambitum eorum, quae *de se* movere possunt ad assensum [1]): remanet ergo ut intellectus ipse imperet assensum; imperare autem est quidem intellectus, sed ex virtute voluntatis, scil. praesupposito actu voluntatis, h. e. praesupposita electione [2]).

---

[1]) Cfr. S. Th. 1. 2ae q. 17. a. 1. et a. 3. ad 1m; q. 13. a. 1.

[2]) **De fide Daemonum** — Dubitant quidam utrum fides daemonum sit vera fides; sed tota ratio dubii oritur ex confusione inter evidentiam credibilitatis et evidentiam rei, vel ex hoc quod putatur esse de essentia fidei ut sic, id quod non pertinet nisi ad quamdam determinatam speciem fidei, puta ad fidem supernaturalem vel meritoriam.

Dicimus ergo: 1°) quod ex hoc quod daemones habent perfectam evidentiam credibilitatis, non sequitur quod fides ipsorum non sit vera fides, sed tantum, ut dicit S. Th., quod sit *fides coacta*. Nam voluntas necessario inclinatur in id, quod necessario apprehenditur ut *naturale* appetentis bonum: unde in tantum est possibilis actus, qui feratur in bonum non verum, in quantum est possibilis error in intellectu. Atqui error non est in daemonibus circa id quod pertinet ad naturalem perfectionem ipsorum; ergo necessitantur circa omne bonum sibi connaturale. - Atqui adhaerere dictis a Deo non in ordinem ad finem supernaturalem, sed ad assequendum verum, pertinet ad naturalem perfectionem intellectus. Ergo adhaerere dictis a Deo, in ipsis est *coacta fides*.

2°) Dicitur autem coacta *propter evidentiam signorum credibilitatis*, quia ex hoc quod intellectus eorum videt, non rem revelatam in seipsa (quod est absurdum), sed evidentiam signorum, et ideo quod assensus fidei ducit ad verum infallibiliter, iam talis assensus non potest non apparere bonum Angelis, (qui non possunt cessare ab intentione semper actuali naturalis finis, avertendo considerationem) et ideo voluntas cogitur movere intellectum, ut rei revelatae, licet non visae, adhaereat.

Tribuitur autem *coactio* perspicaciae intellectus angelici, et evidentiae

727. Corollarium Im. Ratio cur obscuritas fidei stare potest cum evidentia obiecti formalis, seu cum evidentia attestationis, non est quia evidentia rei revelatae, quae dicitur resultare ex tali attestatione, se habeat tantum *concomitanter* ad actum fidei, quo credimus propter ipsam auctoritatem testantis et non propter evidentiam talis auctoritatis; nihil enim potest esse simul visum et creditum, nec *concomitanter*. Sed dicendum est quod propter evidentiam attestationis, *nulla omnino resultat evidentia* ipsius rei revelatae *in seipsa,* sed tantum sub ratione *credibilis.* Unde evidentia attestationis respondet omnino evidentiae credibilitatis, opponitur autem evidentiae obiecti.

728. Corollarium IIm. Evidentia credibilitatis nullo modo ingreditur ipsum obiectum formale fidei, sed potius, ut dictum est, pertinet ad applicationem obiecti formalis ad obiectum materiale; et ratio est quia evidentia non potest esse motivum

---

signorum, non autem voluntati, quia, cum voluntas moveatur necessario, motus non tribuitur ipsi, sed causae necessitanti; dicitur autem *quasi* coacta, quia, licet sit necessaria et non libera, tamen procedit a voluntate.

3o) Patet denique quod fides daemonum *non est supernaturalis* (et in hoc differt quoque a fide peccatoris), nec *meritoria :* sed istae rationes non sunt essentiales *actui fidei ut sic,* sed accidunt ipsi: utpote extraneae obiecto formali fidei ut sic. Unde remanet quod fides daemonum sit *vera fides;* aequivoce tamen dicitur fides si comparetur fidei supernaturali aut meritoriae.

4o) Propter rationes oppositas, hinc intelliges quomodo fides hominum semper sit libera: quamvis enim et pro homine, adhaesio veritati revelatae appareat de se tamquam bonum intellectus, hoc tamen non contingit de necessitate, ita nempe ut non possit ei apparere tamquam bonum hoc ipsum quod est denegare fidem Deo, et propter hoc avertere mentem a motivis credibilitatis, vel pervertere ipsa signa, quod quidem, iuxta plures interpretes, est peccatum contra Spiritum Sanctum de quo *Matth.* XII. 31. (Cf. Billot *De Poenit.* p. 65). Et ista est ratio propter quam coram iisdem signis seu miraculis, unus quidem credit, alius vero magis obcoecatur. Cum enim obiectum fidei semper sit de *non visis,* ideoque non determinet necessario intellectum, homo autem errare possit in iudicio proprii boni particularis, positis quibuslibet signis credibilitatis, adhuc potest quis denegare fidem. — Vide ergo quam stulte Le Roy *(Essai sur la notion du miracle)* ex praedicto diverso modo se habendi duorum vel plurium hominum coram iisdem prorsus miraculis, concludat miracula ipsa esse obiectum fidei, et nullam habere in se vim demonstrativam independenter a conditionibus subiecti.

formale nisi *actus videndi;* sed actus fidei non est actus visionis, ergo evidentia credibilitatis non est motivum formale actus fidei. Tale enim motivum formale semper remanet unice *scientia et veracitas attestantis;* quod quidem verificatur in omni fide, non exclusa fide daemonum, in quibus evidentia credibilitatis non est motivum formale fidei, sed causa coactionis. — Praeterea patet quod evidentia numquam potest esse extrinseca illi rei, cui per evidentiam assentimus: si enim assentio alicui rei propter eius evidentiam, iam evidentia non est extrinseca ipsi rei: si autem dicitur quod assentio alicui rei propter evidentiam alterius, tunc vel illa prima res *videtur* in alia, et tunc iam assentio propter evidentiam ipsius, vel *non videtur*, et tunc si assentio, non iam assentio *propter evidentiam*, sed propter auctoritatem evidenter cognitam.

729. Corollarium III^{m}. Hinc vides quam stulte a modernis philosophis *Immanentiae* asseratur, quod omnis cognitio nostra etiam scientifica praesupponit aliquam fidem: res prorsus inverso modo se habet.

730. Obiectiones. — **Ob. 1**^{a} (*contra 1. partem*) — Credere propter auctoritatem testis est honorare ipsum. Atqui daemones credunt, quin ullum honorem tribuant Deo. Ergo credunt non propter auctoritatem Dei, sed unice propter evidentiam credibilitatis, ut dicit S. Th. (2^{a} 2^{ae} q. 5. a. 2).

Resp. *D.M.* Credere propter scientiam et veracitatem testis semper includit actum honoris ergo ipsum *N.M.*; credere propter auctoritatem ipsius *Sbd.:* includit *de materiali* aliquem honorem erga ipsum *C.M.;* includit *de formali Sbd.:* si voluntas est recta et bene disposita erga ipsum *C.M.;* si voluntas non intendit nisi bonum proprium *N.M.* — *Cdm.* Daemones credunt, quin ullum honorem *formaliter* tribuant Deo, seu quin ullum honorem Ipsi tribuere intendant *C.m.:* quin ullum honorem Ipsi tribuant *de materiali N.m.* — *N.C.*

Patet quod credere propter scientiam et veracitatem quae sint in teste transeunter et per accidens, (quo in casu, ut dictum est, scientia et veracitas proprie non constituunt *auctoritatem* testis) non est honorem illi deferre. Credere autem propter auctoritatem ipsius semper importat, quod de materiali aliquis ho-

nor ipsi tribuatur : oportet enim ut credens fateatur quod testis habet per modum habitus scientiam et veracitatem, et quidem (si agitur de Deo) quod has possideat in summo et infallibiliter. Sed voluntas mala daemonis haec non intendit, sed in adhaesione dictis a Deo non intendit nisi bonum proprium, quin ullo modo ordinet actum suum ad ipsum Deum, et ideo peccat. Sed sicut daemon necessario honorem praebet Deo, dum ab ipso recognoscit necessario et esse et omnem perfectionem suam, ita necessario honorat Ipsum, dum necessario recognoscit Ipsum ut summe Sapientem et summe Veracem, et propter hoc cogitur credere Ipsi, quin tamen ullum honorem Ipsi tribuere intendat.

Ad auctoritatem autem S. Thomae quod attinet, dicimus quod indubitanter S. Th. asserit quod *universaliter* obiectum formale fidei est scientia et veracitas testis, et (in fide supernaturali) auctoritas Dei revelantis [1]) : alia autem motiva, quae ab ipso passim assignantur, non sunt specificativa *fidei ut sic,* sed determinatae rationis quae competere potest fidei, *bonitatis, laudabilitatis, coactionis ;* quod patet ex ipso loco obiecto ubi non contraponit fidem *propter evidentiam,* fidei *propter auctoritatem Dei,* sed fidei quae est ex ordine voluntatis ad bonum, unde actus fidei non habet primo rationem fidei sed " *habet rationem laudabilis* „, quae ratio est extrinseca rationi fidei, ut supra dictum est.

Ob. 2ª. Intellectus qui cogitur ad assentiendum alicui enunciabili, non movetur ad assensum per imperium voluntatis. Atqui intellectus, qui convincitur ad hoc, quod iudicet esse credendum his, quae dicuntur a testante, cogitur assentire his credibilibus. Ergo intellectus, qui convincitur ad hoc, quod iudicet esse credendum his, quae dicuntur a testante, non movetur ad assensum per imperium voluntatis.

Resp. *D.M.* Intellectus qui cogitur ad assentiendum alicui enunciabili per solam *evidentiam credibilitatis N.M. ;* per *evidentiam rei Sbd.* : ad assensum non movetur a voluntate *C.M.;* ad usum *N.M.* — *Cdm.* Cogitur *moraliter,* prout " cogere „ sumitur ac " esse obligatorium „ *C.m. ;* cogitur *physice,* prout " cogere „

---

[1]) Cfr. 2ª 2ªº q. 1. a. 1. ; 3º D. 24. q. 1. a. 2. : *Verit.* q. 14. a. q ; 18. a. 2.

sumitur pro " esse necessarium „ inquantum *necessarium* opponitur *libero,* h. e. *voluntario Sbd.:* in daemonibus *C.m.;* in hominibus in via *N.m.* — *N.C.*

Nam, cum voluntas eligat *semper* id quod ei proponitur in ultimo iudicio practico intellectus, sequitur quod semper eligeret de necessitate, si nunquam esset in sua potestate ultimum iudicium. Porro daemones, ratione status, non possunt avertere intellectum a consideratione signorum, ex quibus cum omni evidentia percipiunt doctrinam Ecclesiae esse a Deo, qui non mentitur, sicut e contra possunt homines in via; et sic daemones coguntur credere, homines non [1]).

Ob. 3ª. Actus, cuius obiectum est tale ut dicatur demonstratum, non potest esse actus fidei. Atqui supposita evidenti cognitione auctoritatis Dei et revelationis actus fertur in obiectum demonstratum. Ergo.

Resp. *D.M.* Si obiectum illud est demonstratum *in propria ratione C.M.;* si in ratione communis *credibilis N.M.* - *Cdm.* - *N.C.*

Ob. 4ª. Quod Deus dicit, est infallibiliter verum. Sed Deus dicit se esse Unum et Trinum. Ergo est infallibiliter verum quod Deus est Unus et Trinus. — Sed intellectus assentit vero de necessitate, quin ingrediatur voluntas in assensum. Ergo alicui credibili assentit intellectus ex natura sua, non motus ad assensum a voluntate.

Resp. *DM.* Est verum credibile *C.M.;* est verum evidens *N.M.* — *C.m.* — *D.C.* Est verum credibile *C.C.;* est verum evidens *N.C.;* — vel, ponendo consequens sub forma enunciationum modalium hoc modo " Deum esse trinum est verum „ dico: habetur evidentia rei seu veritatis relate ad unionem dicti cum modo *C.C.:* habetur evidentia rei relate ad unionem praedicati cum subiecto in dicto *N.C.* — *D.m. sub.* Vero evidenti *C.m. sub.;* vero solum credibili *N.m. subs.* — *N.C.* [2]).

---

[1]) Cfr. S. Th. 1ª p. q. 64 a. 2. et praedicta in nota III. prob.

[2]) **Instabis:** 1.º Omne dictum a Deo est *evidenter verum.* Sed Deus manifeste dixit se esse Unum et Trinum. Ergo.

Resp. *D.M.* Omne dictum a Deo est evidenter verum secundum hoc accidens " *dictum a Deo* „ seu evidens propter auctoritatem Dei, sub qua cadit *C.M.;* secundum id, quod subest huic intentioni *N.M.* — *C.m.* — *D.C.*

Nota. — Eodem modo respondendum est huic difficultati et similibus : Quod ab omnibus dicitur, est infallibiliter verum. Sed ab omnibus dicitur quod v. gr. existit America. Ergo est infallibiliter verum quod America existit. — Sed intellectus de necessitate ex natura sua assentit vero, quin indigeat motione voluntatis. Ergo etc.

Ob. 5.[a] *Instabis.* Quod Deus dicit, est evidenter credibile. Atqui credibile non est nisi verum. Ergo quod Deus dicit, est evidenter verum.

Resp. I°. Difficultas sic proposita peccat contra 1[am] regulam syllogismi " *Terminus esto triplex* „ : aliud enim est " *verum* „ (extremum maius minoris), et " *evidenter verum* „ (extremum maius consequentis). — Minor ergo deberet sic mutari :

---

ut in M. — Committitur ergo *fallacia accidentis* in hoc syllogismo ; ex eo enim, quod convenit rei secundum hoc accidens " *dictum a Deo* „ concluditur ad id, quod convenit rei *secundum se.* Porro " fallacia accidentis est efficacissima ad decipiendum etiam sapientem „ (S. Th. in *Met.* l. 8.).

Instabis : 2.° Omne dictum a Deo esse, *est.* Atqui Trinitas est aliquid dictum a Deo esse. Ergo Trinitas *est.*

Resp. *D.M.* Omne dictum a Deo esse, est in se sicut cognoscitur esse et asseritur in cognitione et revelatione Dei, et ideo tale est, cui etsi non viso intellectus adhaerendo evadit *verus* seu conformis rei, et ideo est evidenter credibile *C.M.* ; est in se sicut cognoscitur in cognitione nostra visiva *N. suppos.* (quod nempe sit aliquid visum). — *C.m.* — *D. C. ut in M.* — Adverte quod nos per fidem assentire debemus Trinitati *sub sua propria ratione*, non solum sub hac formalitate, quod sit aliquid dictum a Deo. Porro omne dictum a Deo esse, certissime est ; et hoc est nobis evidentissimum, quin per hoc evadat ullo modo evidens *nobis* id quod de facto continetur sub dictis a Deo. Ille ergo, qui habet evidentiam revelationis Trinitatis et veracitatis Dei, habet quoque evidentiam veritatis Trinitatis, sed *non in se,* quia attestatio *ut attestatio* nunquam reddit visibile aliquid in se, sed semper sub ratione *credibilis* ; est ergo evidenter credibilis.

Instabis : 3.° Omne dictum a Deo est *verum in se.* Atqui Trinitas est aliquid dictum a Deo : Ergo est vera in se.

Resp. *D.M.* Omne dictum a Deo est *verum in se,* sed quatenus dictum a Deo non cognoscitur a nobis *secundum quod* est verum in se, seu non movet veritate sua evidenter apparenti intellectum nostrum *C.M.* ; est verum in se, et secundum quod est tale cognoscitur a nobis *N.M.* — *C.m.* — *D.C. ut in M.*

" *Evidenter credibile non est nisi evidenter verum* „ quae propositio est manifeste falsa.

Resp. II°. *Transeat* vel *C.M.* — *D.m.* Credibile non est nisi illud, cui assentiendo propter auctoritatem, intellectus evadit verus seu conformis ipsi rei *C.m.;* credibile non est nisi verum in se *Sbd.:* non tamen *secundum se* apparens intellectui *C.m.;* secundum se apparens intellectui, ideoque determinans ipsum *N.m.* - *D.C.* Quod Deus dicit est evidenter credibile *C.C.;* est evidenter verum *Sbd.* in seipso *C.C.;* relate ad intellectum nostrum *N.C.* — Duplex medium dari potest relate ad aliquam conclusionem : nempe medium illuminans directe ipsam conclusionem, et tale est medium demonstrativum, quod facit evidentiam ipsius esse intrinseci conclusioni; aliud est medium non illuminans directe ipsam conclusionem, sed potius credibilitatem ipsius, seu ostendens voluntati aliquid, per quod inducitur ad flectendum in-

---

Hoc ipso quod aliquid non cognoscitur nisi *ut dictum a Deo* (ideoque ut non visum), profecto non cognoscitur *secundum quod est verum* in se, licet sit aliquid verum in se : unde nec quantum ad quaestionem " *an est* „ videtur ; quia non apparet, nec est evidens, nisi in quantum est dictum a Deo ; *de se* autem non determinat intellectum nostrum nec quantum ad " *quid est* „ nec quantum ad " *an est* „. — Igitur in praedicto celeberrimo syllogismo, sub quacumque tandem forma proponatur seu instauretur, semper committitur eadem fallacia. Ponuntur enim sub forma praemissarum, causae, quae reddunt aliquid *credibile,* evidenter, evidentissime, si vis, sed semper credibile et *nonnisi credibile ;* nullo autem modo assignantur causae veritatis intrinsecae ipsius. Vel ergo concluditur *credibilitas evidens,* et tunc nihil contra nos ; vel concluditur ipsa veritas revelata ut demonstrata vel demonstrabilis, ideoque ut necessario determinans *secundum se* intellectum nostrum, et tunc conclusio non sequitur nisi apparenter. Intellectus namque per talem demonstrationem videt quod *tutum,* item quod *bonum,* imo, in aliquo casu, quod *necessarium* aliquo modo est assentire rei non visae in se, et ideo rei tali, cui adhaerere non potest, nisi per motionem voluntatis. Sicut iudicium intellectus decernens actum virtutis moralis non est actus virtutis moralis, et actus virtutis moralis est conformis rationi, non quasi ipse videat conformitatem suam, sed quia movetur a voluntate directa ab intellectu, qui videt quid sit agendum ab appetitu ; ita assensus fidei, licet non visivus, est conformis rei, quia movetur a voluntate illuminata et mota ab intellectu, qui non videt ipsam rem, sed videt quod tutum, et aliquando fere necesse est conformari (quamvis non videndo) intellectui divino, qui ipsam videt.

tellectum. Per tale medium, utpote extrinsecum conclusioni, ipsa conclusio (quae de se semper manet obscura) evadit evidenter credibilis, ideoque evidenter vera ; sed non quasi manifestetur seu appareat ipsa veritas ipsius intrinseca, sed ita, ut appareat veritas eius quodammodo extrinseca, nempe *veritas credibilitatis.* Non negamus quod ille qui credit Trinitatem, admittat illam veram esse, sed admittit illam ut veram in se, quamvis ipsam in se non videat, sed tantum in testificatione utique evidenti.

Ob. 6.ª Quando intellectus convincitur ad hoc quod iudicet esse credendum his quae dicuntur, licet non convincatur per evidentiam rei, res attestatae evadunt credibiles. Atqui res sic credibiles, intellectus nullo modo potest in dubium revocare; sic v. g. homines non possunt *ullo modo* dubitare de existentia Americae, Romae; daemones de existentia Trinitatis etc. cum primi videant impossibilem esse errorem in testificatione tot ac tantorum testium, secundi vero percipiant tot evidentia signa. Ergo quando intellectus convincitur ad hoc quod iudicet esse credendum his quae dicuntur, licet non convincatur per evidentiam rei, nullo modo potest eas in dubium revocare. At si non potest eas ullo modo in dubium revocare, nullo modo habet locum voluntas. Ergo etc.

Resp. *D.M.*.... evadunt *credibiles,* h. e. vel sunt moraliter admittendae, vel sunt *necessario* admittendae, prout necessarium opponitur libero et non coacto, et importat voluntarium, ita ut primum verificetur in hominibus, secundum in daemonibus *C.M.* evadunt *credibiles,* h. e. intellectus cogitur ad eas admittendas ex natura sua, quin indigeat motione voluntatis *N.M.* — *D.m.* non potest in dubium revocare, vel quia est moraliter impossibile, ut accidit inter homines, praesertim in illis rebus in quibus voluntas non reperit ullam difficultatem, sed tantum bonum : vel quia non est liberum, sed voluntarium tamen, ut accidit in daemonibus *C.m.* quasi intellectus sine motione voluntatis sit determinatus ad assensum *N.m.* Simili modo iudicium feras de 1º. conseq.

Ob. 7ª. Si quis dicat: 1º video quod debeo credere Deo revelanti — 2º pariter mihi evidens est quod Deus revelarit

Trinitatem — 3° ergo debeo credere Trinitatem, imo video cum omni evidentia quod debeo credere Trinitatem — 4° Ergo credo Trinitatem — in hoc ratiocinio nullo modo ingreditur voluntas. Ergo, quando intellectus convincitur etc., non ingreditur voluntas ad imperandum assensum.

Resp. *D. A.* non ingreditur voluntas quantum ad assensum, qui includitur in 1°, 2°, 3° enunciabili *C.A.* — quantum ad assensum qui includitur in 4° enunciabili " credo Trinitatem „ *N.A.* — *N.C.*

Ob. 8ª. Quando intellectus videt aliquam rem, cogitur ex tali evidentia ei assentire et in tali assensu nullo modo locum habet voluntas. Atqui, quando intellectus convincitur ad hoc quod iudicet esse credendum his quae dicuntur, videt rem *in necessaria connexione cum aliquo signo extrinseco* — scilicet in attestatione infallibili. Ergo in tali casu intellectus cogitur ex tali evidentia assentire rei, et in tali assensu nullo modo locum habet voluntas.

Resp. *C.M.* — *N.m.* — *N.C.* — Nam omnes modi quibus intellectus potest videre rem, reducuntur ad hos duos tantum: scilicet vel videt rem in se ipsa, quia per se evidens, vel videt rem in alio per se viso: h. e. vel intelligit vel scit per demonstrationem. Explico: ly " videre intellectus „ significat *propriam operationem* intellectus (apprehendere, intelligere, cognoscere, concipere, capere) quatenus est talis potentia; ex quo patet quod res non aliter dicitur *visa* aut *evidens,* nisi in quantum videtur aut videri potest ab intellectu, quatenus est talis potentia: proinde ratione contrariorum res *obscura, non* visa, dicitur, quando intellectus, praecise quia est talis potentia, non potest eam capere, intelligere, scire. Hoc posito, dico quod affirmare quod intellectus *" videat rem in necessaria connexione cum aliquo signo extrinseco „,* quod est infallibilis attestatio, est affirmare contradictoria esse simul, scilicet intellectum simul videre et non videre: videre, quia categorice affirmatur " ipsum videre rem „; non videre, quia ei assentit solum propter attestationem. Assensus vero intellectus, vel assentire intellectus, dicit utique semper actum intellectus, quo adhaeret alicui enunciabili, sed potest esse vel credere vel

apprehendere. Cf. S. Th. 3. D. 24 q. 1. a. 2. Sol. 1. et ad 2m. ubi determinat quid sibi vult — videre intellectus. [1])

Ob. 9a. Intellectus qui cogitur affirmare : " Deus dixit hoc et hoc „ cogitur pari modo affirmare " hoc et hoc est verum „. Atqui vero intellectus assentit sine imperio voluntatis. Ergo qui cogitur affirmare " Deus dixit hoc et hoc „ cogitur pari modo affirmare, quin ingrediatur voluntas, " hoc et hoc est verum „.

Resp. — *D.M.*... " *hoc est verum* „ idest credibile, seu tale cui ego adaerens evadam verus *C.M.* hoc est verum, nempe evidenter in se mihi apparens *N.M.* et *N. supp.* — *Cdm.* vero evidenter apparenti intellectus assentit sine voluntate *Cm.:* vero cognito sub ratione credibilis *N.m.* vel *sbd.* assentit necessario *credibilitati talis rei C.m.;* assentit necessario ipsi vero *N.m.* — *D.C.*.... cogitur affirmare " hoc et hoc est verum ut credibile „ *C.C.;* " verum evidenter ut tale mihi apparens „ *N.C.*

THESIS VI.a — Nunquam testificatio qua talis accipi debet tanquam signum demonstrativum rei attestatae secundum se.

731. Praenotandum. — I. Statuitur haec thesis contra aliquos auctores, qui, ut possint sustinere illud praeiudicium, quod evidentia credibilitatis determinat secundum se intellectum ad ipsam rem credendam, independenter a quacumque motione voluntatis, distinguunt duplicem modum credendi : *primus* tunc habetur quando adhaeremus alicui veritati propter auctoritatem loquentis : et ista est fides, qua utimur in infinitis adiunctis et sine qua impossibile prorsus esset humanum consortium : *secundus* quando testimonium ipsum sumitur ut signum necessario connexum cum aliqua veritate; impossibile enim est, aiunt, quod multi in diversissimis adiunctis conveniant in asserenda aliqua re, quae non existat : hoc patet e. g. quantum ad existentiam Americae etc. Hic non agitur amplius de fide proprie dicta quae propter auctoritatem praestetur, sed de assensu necessario, qui praestatur veritati cuidam, in se non visae, sed demonstratae

[1]) Solutio haec melius apparebit in thesi sequenti, ubi testificationem formaliter sub ratione *signi* perpendemus.

propter signa extrinseca ineluctabilia [1]). Ista autem esset fides improprie dicta et aequivoca, quae ideo tantum dici potest fides, quatenus versatur circa rem *in se non visam,* quamvis evidenter demonstratam *propter signa extrinseca.* Talis esset fides daemonum, et generatim fides illius, qui haberet evidentiam signorum credibilitatis circa res revelatas [2]). — Quamvis autem haec doctrina iam refutata censeri debeat in thesibus praecedentibus, ubi ostendimus quod *semper* actus fidei includat motionem voluntatis, et *nunquam* evidentia credibilitatis destruere possit propriam rationem fidei, tamen ut omne effugium adversariis praecludatur, directe, ipsam refutandam duximus.

---

[1]) Ita fere P. Mattiussi *Veleno Kanziano* p. 248 seg.; *Logica* n. 139.

[2]) Alii distinguentes inter necessitatem *logicam* et *physicam* assensus dicunt quod quando identitas praedicati cum subiecto non apparet *in se* sed in *signo,* tunc habetur necessitas assensus mere *logica*, qua, ut assensus de facto habeatur, requiritur motio voluntatis: hoc autem dicunt evenire in actu fidei, (Willems, — *Instit. Phil.* p. 127). Sed in hoc est magna confusio: nam intellectus non necessitatur nisi a vero evidenti, sive tale verum sit evidens *in se,* sive sit evidens *in alio*. Si ergo signum apparet necessario connexum cum re signata tanquam causa cum effectu vel viceversa, a tali signo intellectus necessitabitur et physice et logice: si vero tale signum apparet connexum cum re signata tantum vi ipsius testificationis, eo quod habetur ut vera, ideoque respondens rei attestatae (sicut evenit in fide), numquam a tali signo necessitabitur intellectus (nec physice nec logice) ad assentiendum ipsi rei attestatae, quamvis necessitari poterit ad assentiendum *credibilitati ipsius.* Est enim tale signum vere causa *credibilitatis* rei signatae. — Si ergo necessitatem *logicam* vocare quis vult illam, quae exsurgit ab evidentia credibilitatis, nempe illam qua intellectus cogitur admittere rem esse *credibilem,* necessitatem vero physicam illam quae exsurgit ab evidentia veritatis, nempe illam qua intellectus determinatur ab ipsa *re in se visa*, talis distinctio potest sustineri: sed numquam esset dicendum quod *ad rem attestatam ipsam* intellectus *vi attestationis* necessitetur ullo modo, ne logice quidem. — Sed res non ita sumitur a praedicto auctore, qui praeterea, adhuc peius extendit praedictam necessitatem *mere logicam* ad illas veritates, quae propriae ac vere demonstrari possunt, ut est existentia Dei, immortalitas animae, revelatio divina etc.; quae omnia, secundum praedictum auctorem, admitti non possunt independenter ab influxu voluntatis bene dispositae erga ipsa. — Hinc vides quomodo etiam optimi inter modernos philosophos a fatali influxu venenatae philosophiae Kantianae, omnino immunes difficile servare se possint.

II° Signum, ut vidimus in Logica Minori [n. 38], potest esse *naturale* et *ad placitum:* porro signum naturale, cum naturaliter connectatur cum re significata tamquam effectus vel causa ipsius, potest assumi ut *demonstrativum* ipsius, saltem quantum ad *an est:* signum vero conventionale, cum non connectatur cum re significata nisi ex arbitrio hominum, non potest esse signum *demonstrativum* ipsius rei, sed semper exigit aliquam fidem: evidentia autem infallibilitatis talis signi, potest esse demonstrativa *credibilitatis* rei signatae.

Non negamus ergo quod testificatio sit *signum,* sed quod sit signum *demonstrativum,* et quidem *rei attestatae secundum se:* non autem negamus quod possit esse signum demonstrativum *credibilitatis* ipsius.

732. Probatur. — I. Testificatio, quomodocumque sumatur, semper debet esse testificatio seu certificatio rei non visae. Atqui repugnat in terminis quod certificatio rei non visae, sit signum demonstrativum ipsius rei secundum se. Ergo testificatio, quousque remanet testificatio, nullo modo potest esse signum demonstrativum ipsius rei.

Et sane, aut per tale signum videtur ipsa res secundum se, aut non videtur: si videtur, tunc utique signum est demonstrativum, sed testificatio non est amplius talis, ut patet ex praecedentibus; aut non videtur, et tunc non est signum demonstrativum ullo modo. [1])

---

[1]) *Alio modo:* Tota ratio *testimonii* qua talis, in hoc consistit quod sit aliquid quod de re *non visa* nos certificet, *unice* propter scientiam et veracitatem suam. Atqui quod tale est, repugnat quod accipiatur tamquam signum seu argumentum demonstrativum ipsius rei attestatae. Ergo numquam testimonium *qua tale* accipi potest tamquam signum seu argumentum demonstrativum ipsius rei attestatae.

Probatur minor: Argumentum seu signum demonstrativum alicuius rei non potest esse nisi id, quod cum ipsa apparet connexum ut causa vel effectus ipsius. Atqui quod nos certificat de re non visa *unice* propter scientiam et veracitatem dicentis, non potest apparere connexum cum re attestata nec ut causa nec ut effectus ipsius. Ergo quod tale est, non potest accipi ullo modo ut signum demonstrativum ipsius rei secundum se.

Probatur ultima minor, (quamvis sit fere evidens in terminis): nam quod apparet connexum cum aliqua re ut causa vel effectus ipsius, iam

Unde, si quis attente consideret haec verba — *signum demonstrativum extrinsecum,* — in ipsis deprehendet contradictoria: nullum enim *medium demonstrativum* est *extrinsecum* rei demonstratae formaliter ut tali.

II° Aut illa argumenta, quae adducuntur ad ostendendum quod testificatio est (in aliquo casu) effectus necessario connexus cum veritate ipsius rei testificatae, probant quod testes vera dicunt, quia independenter ab ipsorum testificatione veritas cognoscitur, aut probant tantum quod testes vera dicunt, quia impossibile est quod decipiantur, quamvis veritas independenter ab ipsorum testificatione cognosci nequaquam possit. Atqui si primum, dictae probationes inducunt scientiam vel visionem ipsius rei secundum se, quae simul cognosci potest et per medium demonstrativum et per medium testificationis; sed fides tunc nullo modo habetur. Si secundum, dictae probationes non inducunt nisi evidentiam credibilitatis et eo magis, quo magis sunt evidentes, et ita quidem ut in aliquo casu (ubi agitur de aliqua veritate mere naturali) sit moraliter impossibile denegare assensum, et habetur moralis quaedam coactio, quae respondere aliquo modo potest illi physicae coactioni, quae, quantum ad mysteria revelata, in daemonibus invenitur: sed numquam habebitur signum demonstrativum ipsius rei.

---

est *medium visionis* eiusdem. Atqui repugnat quod id quod nos certificat de re non visa, *unice* propter scientiam et veracitatem dicentis, sit *medium visionis,* seu quod *medium cognitionis non visivae, sit medium cognitionis visivae.* Ergo repugnat quod testificatio *qua talis* possit apparere connexa cum re attestata ut causa vel effectus ipsius. — Et iterum *adverte* quod (ut dictum est in praenotionibus) non negamus quod attestatio sit signum rei attestatae, et quidem tale signum, quod aliquando sit necessario connexum cum veritate rei attestatae. Sic v. g. verba Christi Domini, Filii Dei, qui de caelo est et de caelo loquitur, et enuntiat quae Ipse videt, profecto sunt necessario connexa cum veritate ab ipsis attestata, sed negamus, quod nobis appareant connexa tamquam causa cum effectu vel viceversa: imo contendimus quod ipsa connexio inter testificationem et veritatem rei, tamquam signi cum signato, est obiectum fidei. Fatemur tamen quod testificatio evidenter infallibilis est et apparet connexa, tanquam causa cum effectu, cum *credibilitate* rei attestatae: propter quod dicimus quod credibilitas rei revelatae *evidenter* demonstrari potest et debet.

Nota. — In aliquo casu, difficile erit determinare utrum habeantur vera signa demonstrativa alicuius veritatis, an signa demonstrativa credibilitatis ipsius, nempe signa, quae nos certos reddant de testificatione infallibili talis veritatis: et haec difficultas decipere potest etiam sapientes. Tamen, sicut nullus dicit quod eiulatus canis sit testificatio percussionis receptae, et viceversa quod enunciatio alicuius theorematis, facta a magistro, sit pro discipulo signum demonstrativum veritatis ipsius theorematis secundum se; ita signum demonstrativum et signum mere testificativum alicuius rei (seu demonstrativum credibilitatis tantum) semper manebunt essentialiter distincta, quamvis in aliquo casu difficile esse possit hoc determinare. Sic existentia Americae etc. potest forte haberi per signa vere demonstrativa independenter a testificatione; semper tamen argumenta demonstrativa veracitatis ipsius testificationis *qua talis*, nullo modo haberi possunt tanquam signa demonstrativa rei testificatae secundum se.

III° Dupliciter possumus certificari de veracitate alicuius testimonii; vel per visionem *ipsius rei* testificatae secundum se, vel per visionem *infallibilitatis* ipsius testificationis, et utroque modo acquirere possumus certitudinem absolutam de veritate testificata: patet enim quod, dum ego habeo visionem alicuius rei vel alicuius veritatis, hoc ipso acquiro certitudinem de veracitate praecedentis testificationis circa ipsam: et iterum ex alia parte patet quod, si ego cognosco quod testimonium fuit infallibile, semper acquiram certitudinem absolutam de veritate testificata. Sed primo modo, cum intellectus attingat veritatem ipsam secundum se, iam non tenet ipsam propter praecedens testimonium, et ideo argumenta, quae hoc modo certificare nos possunt de ipsa re, licet indirecte confirment veracitatem testis, cum sint signa demonstrativa ipsius rei, subtrahunt dictam veritatem ab obiecto fidei et transferunt in obiectum scientiae seu visionis. Secundo modo e contra, nunquam intellectus acquirit evidentiam rei, et ideo argumenta omnia, quae in confirmationem veracitatis testis afferuntur, non solum non subtrahunt veritatem attestatam ab obiecto fidei, sed imo melius ac melius ipsam reddunt attingibilem ab habitu fidei, nempe

credibilem. — In utroque ergo casu acquirimus certitudinem absolutam veritatis attestatae, sed primo modo per argumenta, quae sunt signa demonstrativa ipsius *veritatis* secundum se, secundo modo per signa demonstrativa *credibilitatis* ipsius: primo modo per demonstrationem, secundo modo per fidem [1]).

733. Ob. 1ª. Intellectus, qui convincitur ad hoc, quod iudicet esse credendum his, quae dicuntur a testante, quamvis non videat res in se ipsis, videt tamen necessitatem eas affirmandi propter illud signum extrinsecum, quod est testificatio infallibilis. Atqui intellectus, qui videt necessitatem affirmandi res (credibiles) testificatas, propter signum extrinsecum, quod est testificatio infallibilis, cogitur assentire his credibilibus ex ipsa natura intellectus, quin *ullo modo* ingrediatur imperium voluntatis. Ergo intellectus qui convincitur ad hoc, quod iudicet esse credendum his, quae dicuntur a testante, cogitur assentire his credibilibus ex ipsa natura intellectus, quin ullo modo ingrediatur imperium voluntatis.

Resp. *D. M.* Intellectus, qui etc., videt necessitatem affirmandi eas esse *credibiles C.M.;* videt necessitatem *simpliciter* eas *affirmandi N.M. -- Ad rationem additam: D.* Et illud signum non parit nisi evidentiam credibilitatis, ac proinde necessitatem affirmandi res esse credibiles *C. rat. ad.;* et parit evidentiam veritatis *N. rat. ad. — Cdm.* Intellectus, qui videt necessitatem affirmandi res absolute (quod non accidit, nisi quando de ipsis intellectus habet *evidentiam rei*), cogitur assentire etc. *C.m.;* qui solum videt necessitatem affirmandi res esse credibiles, ut in nostro casu, cogitur his assentire ex ipsa natura intellectus, quin ullo modo ingrediatur voluntas *Sbd.:* ut sunt credibiles reduplicative *C.m.;* ut sunt in se ipsis absolute *N.m. - N.C.*

Nam intellectus, cum de istis rebus non habeat nisi evidentiam credibilitatis, omnino repugnat, quod sentiat necessitatem ipsis assentiendi, quatenus absolute in se ipsis considerantur; quod enim non est visum, et sub eo respectu, quo non

---

[1]) Semper tamen notandum quod certitudo, quae acquiritur per fidem, licet praerequirat certitudinem circa veracitatem testis, non tamen proportionatur ipsi, sed unice auctoritati ipsius.

est visum, repugnat quod determinet intellectum; nam solum evidentia determinat intellectum de necessitate. Porro res, quae a testante affirmantur, sunt solum evidentes seu visae quatenus credibiles, et nullo modo sunt evidentes seu visae quatenus sic absolute considerantur in se ipsis. Ergo intellectus ex natura sua sentit tantum necessitatem affirmandi eas quatenus credibiles sunt, non vero quatenus in seipsis sunt.

Ob. 2ª. De existentia Dei habetur evidens demonstratio. Atqui demonstratio ista est per effectus, qui sunt Deo extrinseci. Ergo a pari dari potest vera demonstratio Trinitatis, quamvis per medium extrinsecum, seu per testificationem evidentem.

Resp. *C.M.* — *D.m.* Talis demonstratio est per effectus, qui, materialiter inspecti, sunt extrinseci Deo *C.m.;* formaliter inspecti ut effectus *N.m.* — *N.C. et paritatem.* — Nam ratio effectus reducitur ad rationem causae, in qua effectus virtualiter continetur: unde demonstrare effectum formaliter ut talem, idem est ac demonstrare causam. At contra, nullum mysterium connectitur cum aliqua re creata tanquam causa cum effectu: testificatio autem, formaliter ut talis, non connectitur cum obiecto fidei nisi connexione extrinseca, quia non illuminat ipsum obiectum in se, sed semper et solum in ea ratione, secundum quam, medio testimonio, attingi potest, nempe ut credibile.

Ob. 3ª. *Instabis:* Deus non determinat per suam formam intellectum, et tamen dicitur evidenter demonstrari. Ergo a pari potest demonstrari Trinitatem esse, quamvis subiectum huius propositionis non videatur in se.

Resp. *D. I.m p. A.* Deus *ut est in se* non determinat per suam formam intellectum *C.A.;* non determinat intellectum in ea ratione, sub qua demonstratur, nempe sub ratione analoga Causae Primae *N.A.* — *D. II.m p. A.* Dicitur evidenter demonstrari quoad *an est,* seu quoad existentiam Ipsi tributam, prout sub rationibus analogicis concipitur *C.A.; ut in se est* (nempe secundum eas rationes, secundum quas non determinat intellectum) *N.A.* — *D.C.* Trinitas potest evidenter demonstrari sub ratione communi *credibilis C.C.* (in hac enim ratione,

physice determinat intellectum nostrum); sub propria ratione, sub qua Ei fide assentimus *N.C.* — Per ratiocinium nos videmus de Deo rationem Primae Causae et alias rationes analogas, seu videmus ipsum Deum in effectibus: contra, id quod videre possumus per ratiocinium ex auctoritate Dei et revelatione circa Trinitatem et reliqua mysteria, non est nisi quod sunt quaedam dicta a Deo, evidenter, si vis, dicta a Deo, ideoque evidenter credibilia, non autem evidenter visa nec per se, nec per aliud.

Ob. 4ª. Posito effectu, necesse est causam praeexistere. Atqui eodem modo, posita revelatione Trinitatis, necesse est Trinitatem esse. Ergo revelatio se habet (quantum ad demonstrationem) tanquam effectus necessario connexus cum causa.

Resp. *D.M.* Posito effectu, necesse est causam praeexistere, quae tamen non videtur, nec demonstratur nisi sub ea ratione, secundum quam dicit ordinem ad effectum, sl. *sub ratione causae C.M.;* sub alia ratione *N.M.* — *D.m.* Posita revelatione Trinitatis, necesse est Trinitatem esse, quae tamen non demonstratur, nec videtur nisi sub ea ratione, secundum quam dicit ordinem ad revelationem, seu ut obiectum *credendum C.m.;* sub alia ratione *N.m.* — *N.C.*

Ob. 5ª. Demonstratio vera fieri potest per signum. Atqui revelatio evidens Trinitatis est signum realis existentiae Ipsius. Ergo per revelationem evidentem haberi potest demonstratio Trinitatis, saltem quantum ad *an est.*

Resp. *D.M.* Demostratio fieri potest per signum, quod sit sensibilis causa vel effectus *C.M.;* quod tale non sit *Sbd.:* demonstratur res ut credibilis *C.M.;* demonstratur ipsa res in se *N.M.* — *Cdm.* Revelatio evidens est signum credibilitatis Trinitatis *C.m.;* existentiae Ipsius *secundum se Sbd.:* si haberet ordinem necessarium cum Ipsa tanquam effectus cum causa *C.m.*; secus *N.m.* — *N.C.*

Ob. 6ª. Sicut effectus dicit ordinem necessarium ad causam, ita attestatio infallibilis ad attestationis obiectum. Ergo sicut per effectum, ita per attestationem haberi potest vera demonstratio obiecti.

Resp. *D.A.* Sicut effectus dicit ordinem necessarium ad cau-

sam ipsam secundum se, ita attestatio infallibilis ad obiectum attestationis ut credibile *C.A.;* sicut effectus dicit ordinem necessarium ad causam secundum se, ita attestatio infallibilis ad obiectum secundum se *N.A.* — *D.C.* Sicut per effectus haberi potest demonstratio entitatis seu veritatis causae secundum se, ita per attestationem evidentem et infallibilem demonstratio credibilitatis obiecti attestationis *C.C.;* haberi potest demonstratio ipsius obiecti secundum se *N.C.* — Quousque obiectum tenetur per meram attestationem, quamvis infallibilem, evidentem atque certissimam, hoc ipso patet, quod non tenetur secundum se; secus esset dicendum quod obiectum formale (attestatio vera et certa) perfecte applicatum obiecto materiali, subtrahit ipsum a propria ratione obiecti attingibilis a tali habitu (redderet enim ipsum *scibile,* ideoque *non credibile*); quod est intrinsece absurdum, sicut absurdum est dicere quod ratio colorati applicata alicui obiecto sensibili, subtraheret ipsum a propria ratione attingibilis ab oculo nempe visibilis [1]).

Ob. 7ª. Quando testificatio est evidens et evidenter vera, tunc intellectus videt necessitatem, non rei attestatae in seipsa, sed affirmationis ipsius. Atqui si intellectus videt necessitatem affirmandi aliquam rem, nulla requiritur motio voluntatis. Ergo quando testificatio est evidens et evidenter vera, nulla requiritur motio voluntatis, sed habetur tantum fides quaedam improprie dicta, nempe *cognitio necessaria rei non visae.*

Resp. *D.M.* Quando testificatio est evidens et evidenter vera, intellectus videt necessitatem affirmandi rem, cui ipse de necessitate non determinatur, quia non est visa *C.M.;* videt necessitatem affirmandi rem, cui ipse de necessitate determinatur *N.M.* — *Cdm.* Si intellectus videt necessitatem affirmandi aliquid, quod de se movet ipsum, utpote visum, non requiritur motio voluntatis *C.m.;* si videt necessitatem affirmandi aliquid, quod de se tamen nullo modo movet ipsum *N.m.* vel *Sbd.* non requiritur voluntas ut affirmet ipsum *ut credendum C.m., in se N.m.* — *N.C.*

Quando intellectus non videt in se aliquam rem, impossibile

[1]) Unde etiam in Angelis bonis, in quibus erat perfecta evidentia auctoritatis et locutionis divinae, ante confirmationem, secundum S. Thomam, fuit fides. Cfr. S. Th. 2º 2ae q. 5. a. 1. — Cfr. Billot, *De Virt. Th.* 18.

est quod necessario determinetur ab illa : omnis ergo necessitas, quae ab ipso videri potest, non est *necessitas rei* ipsius, sed necessitas alterius ordinis, nempe necessitas in ordine *boni*. Licet autem bonum intellectus sit verum, tamen tantum verum in se apparens est bonum intellectus necessarium : verum autem in se non apparens cognoscitur ab intellectu ut bonum, quod tamen potest possidere tantum si voluntas ipsum impellit. Hoc autem est dicere quod verum in se non apparens, determinat intellectum necessario *tantum ut credendum*. Ut ergo intellectus in hoc casu cognoscat tale verum esse credendum, nulla certe requiritur motio voluntatis ; sed requiritur haec, *ut credat* ipsum.

Ob. 8ª. In tantum requiritur motio voluntatis, ut ego *credam* revelata ; in quantum, posita evidentia credibilitatis seu *credenditatis*, adhuc posset intellectus affirmare talem rem non esse veram. Atqui, posita evidentia praedicta, non potest intellectus affirmare talem rem non esse veram. Ergo posita praedicta evidentia, nulla requiritur motio voluntatis.

Resp. *D.M.* In tantum etc., in quantum posset affirmare illam rem non esse veram ut credibilem *N.M.* ; in quantum posset affirmare illam rem non esse veram secundum se *N. Suppos.* quod ad intellectum, prouti affectum evidentia credibilitatis, hoc pertineat. Evidentia enim credibilitatis non respicit rem *secundum se,* sed rem ut credibilem ; et transitus a credibilitate rei ad ipsam rem, sub quacumque tandem forma vel speciosissima proponatur, semper manet illegitimus, utpote includens *fallaciam accidentis, — Cdm.* Posita evidentia praedicta, non potest intellectus affirmare talem rem non esse veram ut credendam *C.m.* ; non potest affirmare talem rem non esse veram in seipsa *Sbd.* : si per voluntatem ad assensum cogatur (quod evenit in angelis malis) *C.m.* ; antequam per voluntatem cogatur *N. Suppos.*, quod veritas in seipsa in hoc casu inveniatur in ambitu obiectorum affirmabilium vel negabilium ab ipso.

Ob. 9ª. Falsum est quod, si veritas aliqua non est visa in se (mediate vel immediate), iam hoc ipso ponenda sit inter eas, quae affirmari non possunt nisi per imperium voluntatis : nam dari potest veritas *in se nullo modo visa,* nec mediate nec im-

mediate, quae tamen necessario affirmetur propter connexionem cum signo extrinseco infallibili.

Resp. *N. Assertum* et *N. rat. add.*, utpote intrinsece includentem contradictionem. Dicere enim quod dari potest veritas *in se nullo modo visa* (nec mediate nec immediate), quae tamen necessario affirmetur (independenter a voluntate), est dicere quod dari potest veritas *in se nullo modo visa,* quae tamen *sit visa ;* nam intellectus non movetur necessario nisi a vero viso : vel ergo tale signum extrinsecum infallibile reddit visum obiectum eo modo, quo effectus ostendit causam, et tunc certe nulla requiritur motio voluntatis, sed sumus extra quaestionem ; vel non reddit visum, et tunc intellectus non determinatur ad ipsum nisi post imperium voluntatis. Patet ergo quod adversarius ex una parte fateri debet quod obiectum *in se non est visum* (secus non pertineret ullo modo ad obiectum fidei) ; ex alia vero parte asserere debet quod est visum, saltem in signo extrinseco, secus non determinaret *ex se* intellectum. Quod si dicat tale obiectum non esse visum in se, sed in signo *tantum,* hoc ipso asserit quod est visum *ut credibile,* et consequenter quod non determinat intellectum nisi *ut credibile.* Remanet ergo quod, ut *secundum se* credatur, requiritur motio voluntatis. — Hinc patet quomodo intrinsece absurda sit distinctio, quae ab aliquo auctore fit inter *credibile,* quod opponitur rei visae, quin tamen importet motionem voluntatis (eo quod de se moveat intellectum, saltem quantum ad *an est*) ; et *credibile,* quod includit imperium voluntatis : prima enim acceptio *τοῦ credibilis* importat contradictoria esse simul. — Hinc iterum patet quomodo absurde asseratur inter disiunctionem implicite positam a S. Thoma (2ª 2ae. q. 5. a. 2.) " aut res videtur, aut creditur propter motum voluntatis „ dari medium ; nempe — aut creditur absque motu voluntatis propter infallibilem attestationem. — Si res enim revera non videtur, nulla infallibilis attestatio determinat de necessitate intellectum ad affirmandam ipsam rem.

THESIS VIIª. — **Certitudo fidei supernaturalis superat omnem aliam certitudinem, ipsamque certitudinem metaphysicam.**

734. Praenotanda. — 1.m Certitudo, ut dictum est, dividitur

in *obiectivam*, et est necessitas rei, quae aliter se habere non potest (c. *infallibilitatis)* et in *subiectivam,* quae est firmitas assensus absque formidine oppositi (c. *indubitabilitatis*) [1]). Certitudo subiectiva, si est vera, semper est cum obiectiva, seu nunquam circa falsum versatur, quia assensus firmus habentis veritatem est *simpliciter et per se* immutabilis ; contra, assensus firmus non habentis veritatem est *per accidens* immutabilis.

2.m Vidimus quod certitudo, *qua parte excludit dubium,* non admittit gradus ; sed admittit qua parte dicit firmitatem assensus : scil. secundum diversas causas dispescitur in *Methaphysicam, Physicam et Moralem.*

3.m Ratio certitudinis subiectivae non semper est evidentia : [2]) determinatur enim intellectus : *a)* quando aliquid inspicit in se (evidentia immediata) ; *b)* quando resolvit in principia (evidentia mediata) ; *c)* ex hoc quod voluntas imperat intellectui. Unde certitudo fidei est ex firma adhaesione ad id quod creditur, (sine evidentia).

4m. Tamen in certitudine est quaedam perfectio, quae nonnisi ab evidentia procedere potest, et est quod *cum quiete* intellectus determinatur ad unum. Tamen sine hac perfectione potest esse certitudo maior *simpliciter*, si sit cum maiore adhaesionis firmitate, sed minor *secundum quid,* quantum ad quietem intellectus. Unde iuxta S. Th. certitudo fidei est media inter certitudinem scientiae et opinionis, non intensive, sed extensive, quia certitudo scientiae consistit in duobus, scl. in *evidentia* et *firmitate adhaesionis* ; certitudo fidei tantum in *firmitate adhaesionis,* certitudo opinionis in neutra.

735. Probatur. — Veritas, quae causat fidei supernaturalis assensum est fortior causa quam lumen naturale. Atqui firmitas assensus proportionatur causae ipsius. Ergo assensus fidei est firmior quocumque assensu naturali.

Maior patet, nam : 1) veritas causans assensum est ipsa Veritas divina. 2) Assensus fidei procedit ab ipsa virtute super-

---

[1]) Cf. omnino S. Th. 2a 2ae p. 4. a. 8.

[2]) Cave ne confundas *rationem* certitudinis subiectivae, cum *praerequisitis* ad ipsam.

naturali Fidei, quae non se habet ad falsum, et, utpote supernaturalis, firmius movet. " In his, quae per fidem credimus, ratio voluntatem inclinans... est *ipsa veritas prima,* sive Deus, cui creditur, quae habet maiorem firmitatem, quam lumen intellectus humani, in quo conspiciuntur principia, vel ratio humana, secundum quam conclusiones in principia resolvuntur; et ideo *fides habet maiorem certitudinem quantum ad firmitatem adhaesionis, quam sit certitudo scientiae vel intellectus, quamvis* in scientia et in intellectu sit maior evidentia eorum, quibus assentitur „ [1]).

736. Nota 1ª. Assensus fidei est certior quolibet naturali assensu simpliciter, non secundum exclusionem prudentis formidinis; omnes enim certitudines in hoc conveniunt: nec quantum ad quietem intellectus et exclusionem indeliberatae formidinis (in quo non est certissima), sed quantum ad positivam adhaesionem obiecto, quae provenit ex propria causa fidei, nempe e Veritate Prima, mediante imperio voluntatis.

Nota 2ª. Non obest necessitas *iudicii credibilitatis* quod quandoque non gaudet maxima certitudine, ut dictum est, quia tale iudicium non est causa nec obiectum formale assensus, nec ei proportionatur; sed est mera conditio applicans obiectum formale obiecto materiali, sicut tigillus sulphureus se habet ad pulverem pyricam; et cum his principiis facile solves omnes difficultates.

Nota 3ª. Ea omnia quae circa naturam Fidei diximus, amplissimam habent confirmationem ex sequentibus praeclarissimis verbis Concilii Vaticani c. III. *De Fide*: " Hanc vero Fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata, vera esse credimus, *non propter intrinsecam rerum veritatem* naturali rationis lumine perspectam, sed *propter auctoritatem ipsius Dei revelantis,* qui nec falli, nec fallere potest... Ut nihilominus fidei nostrum obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae... **divinae revela-**

[1]) S. Th. 3. D. 23. q. 2. a. 2.

tionis signa sunt certissima, et omnium intelligentiae accommodata ,, In quibus verbis, quae directe posita sunt contra illos Protestantes, qui, reiectis criteriis idoneis, ad probandum factum revelationis, ad *sensum religiosum,* ad *testimonium spiritus,* ad *indigentiam animi religiosi* unice provocabant, iam praecipuum dogma Modernistarum, praedamnatum esse vides.

THESIS VIII.ª — **In quibusdam adiunctis, hominum testimonium parere potest omnimodam certitudinem.**

737. Probatur. — 1º Ab esse ad posse valet illatio. Atqui plurima sunt de quibus certi omnino sumus ex aliorum hominum testimonio, v. g. de factis a Napoleone I. gestis *quoad substantiam* etc. Ergo etc.

2º In quibusdam rerum adiunctis nullum potest nobis oriri dubium quod testes vel decipiantur, vel nos decipere velint. Atqui quando certi omnino sumus quod testes non decipiantur, nec decipere velint in his quae testificantur, certi omnino sumus de re certificata. Ergo in quibusdam adiunctis, hominum testimonium parere potest omnimodam certitudinem.

Declarat. M. — Maior uti iacet nimis manifesta videtur, nisi quis scepticus velit in pravum torquere suum aliorumque caput; sed ei deberetur helleborus non logica, diceret P. Liberatore. Cum agitur de re in se perspicua, quae incurrat in oculos omnium, quae excitet attentionem; si factum narretur a multis, diversis aetate, studiis etc; eo tempore quo multi, quorum interest, refellere possent etc., ignorantia vel error in testibus adesse non potest. Sed etiam suspicio quod decipere scientes voluerint prorsus quandoque abest. Cum nullum emolumentum... et testes sunt viri probi... quorum si unus aut alter decipit aut decipitur, saltem non omnes.

Imo in quibusdam adiunctis, etiam paucorum testimonium, aut etiam unius, certitudinem omnimodam parere potest, si e. g. vir omnino probus testificetur factum simplicissimum, quod in oculos omnino incurrat ita ut nec volens quis percipere non possit, et rem coram iis confirmet qui eventui interfuere et contradicere possent. Ergo a fortiori tenendum est quod in thesi asseritur, quod quandoque testimonium humanum saltem plurium etc.

Tamen, sicut diximus et probavimus cum S. Thoma, in assensu fidei, de necessitate ingreditur voluntas, seu imperium voluntatis denuntiantis : Est tibi credendum, crede — credere enim non potest nisi volens, ait S. Aug. — Et certitudinem parere fides humana non potest nisi imperium voluntatis aliquo modo coniungatur iudicio intellectus iudicantis omnino esse fidendum et credendum testibus sine periculo deceptionis; non enim bona quaedam vel quomodocumque proclivis in credendum voluntas potest efficere certum quod certum non est, vel efficere quod recte iudicet intellectus cum iudicat in hisce adiunctis esse certitudinaliter testibus fidendum, cum sic fidendum non esset.

738. Nota 1.ª Nec putes autem pondus quod habet auctoritas plurium testium esse merum cumulum probabilitatum.

2.ª Quando agitur de facto supernaturali, seu melius miraculoso, supra naturae vires contingente, stultum omnino est testimonio acquiescere nolle. Contingit enim hoc in pluribus doctissimis modernae scientiae sycophantis, quod habeant inter prima principia quasi per se nota etiam hoc " miraculum esse quid absurdum et impossibile „. Pro quo, nota quod v. g. suscitatio mortui, si quando contingit in conspectu plurium, magis attentos homines reddit; ad eam percipiendam sufficiunt sensus de more dispositi etc. unde quamvis in huiusmodi maior investigatio ad certitudinem habendam ex natura testium forte adhibenda sit, cum potuerint quidam in quibusdam casibus forte emolumentum habere fingendo ; negare fidem testibus quibuscumque, quia ipsi non vidimus, vel quod peius est, ex errore quo iudicamus haec fieri non posse, stultissimum est.

3.ª Ex his confirmatur quomodo in actu, qui est credere, interveniat voluntas. Nemo enim posset respuere conclusionem geometricam cuius habet demonstrationem. Contra : quis potest nolle auctoritati testium acquiescere, et quandoque, signa pervertit, ne cogatur credere. — Ubi nota etiam quod difficile quandoque est decernere quid in aliquo actu, voluntati, quid intellectui debeatur ; actus enim voluntatis et rationis ita se excipiunt, quod aliquando est aliquis actus voluntatis secundum quod manet virtute in ipso aliquid de actu rationis, et, e converso, est

aliquis actus rationis secundum quod virtute manet in ipso aliquid de actu voluntatis [1]).

Porro quando in actu voluntatis prorsus nulla difficultas reperitur, non advertimus saepe quod interveniat; contra vero, cum difficultas adest. Cum agitur ergo de fide supernaturali quae respicit obiecta totaliter eccedentia captum nostrum, et quandoque veritates credendas minime faventes cupiditatibus, etsi intellectus iudicet esse credendum, tamen et voluntas ipsa reluctantiae motum experiri potest, et intellectus propter difficultatem in obiecto deprehensam. Contra, nulla difficultas est pro intellectu vel pro voluntate in admittenda existentia v. g. Africae vel Americae, cum nihil hic sit quod superet captum, nihil quod retrahat, unde nec advertimus voluntatem intervenire. Et ex hoc est quod iisdem illis testibus quibus fidimus cum narrant v. g. de Napoleone I. quae gessit, non ita faciliter crederemus si narrarent quod occisus revixerit, et iterum occisus sit... At difficilius est credere quod omnes homines resurgant.

THESIS IX.ª — Ad humanum consortium et ad cognitionum patrimonium amplificandum, nedum utile, sed necessarium dici debet aliorum testimonium.

739. Probatur 1ª pars. — " Id sine quo non potest conservari humana societas, est homini maxime necessarium, et toti generi humano, quum homo sit animal politicum... Sed sine fide humana, societas servari non potest, quia oportet ut unus homo alteri credat in promissis, in testimoniis, et in aliis huiusmodi, quae sunt necessaria homini ad commanendum „. S. Th. in *Boet. de Trinit.* q. 3 a. 1. — Et Op. VI. (Edit. Rom.) " Quomodo aliquis vivere posset, nisi crederet alicui? Quomodo etiam crederet quod talis esset pater suus? „.

Probatur 2ª pars. — Sunt multa " quae quidem talia sunt ut uni homini possint esse nota, et alii ignota. Et quia in convictu hominum unus homo oportet quod alio utatur sicut seipso in quibus ipse sibi non sufficit, ideo oportet quod stet illis quae alius scit, et sunt sibi ignota, sicut his quae ipse cognoscit, et

---

[1]) Cf. S. Th. I. 2ae q. 17. a. 1. — q. 9. a. 1.

inde est quod in hominum conversatione est fides necessaria, qua unus homo dictis alterius credit. (Ibid.).

QUAESTIO SECUNDA.

De Falsis Criteriis Veritatis.

740. Introductio. — Postquam verum certitudinis criterium statuimus, restat ut falsas plurium philosophorum de hac re opiniones refutemus. Non omnes afferemus — cum enim errare multipliciter contingat, vix inveniretur finis discussionis; — sed praecipuas ex quibus, veluti ex fontibus, aliae plures erroneae sententiae fluxerunt.

Atque imprimis expendenda est opinio Cartesii [1]) qui novae

---

[1]) Renatus Cartesius (Des Cartes 1596-1650) a solitudine studiorum ad militiae sollicitudines, et ab his iterum ad studia rediens, postquam plures Europae regiones peragravit, plura opera edidit. Bene meruit de mathesi et physica; sed in philosophia posuit principia et veluti germina errorum qui nunc maxime tam late grassantur. Cfr. Turner, op. cit. Capit. LIV. q. 401-414. "Descartes est venu afin que l'émancipation religieuse fût poussée à toutes ses conséquences, afin que le monde laïque fût complètement et radicalement affranchi de l'Eglise, afin que l'homme de l'avenir fût un homme complet „. *Réfutation de l' Eclectisme par* Pierre Leroux. Première Partie § 1, pag. 9. — Et Cantoni op. cit. Parte III^{a} libro I^{o}, capo I^{o} § 103: "Ponendo il fondamento delle cognizioni nel pensiero, sradicava del tutto ogni autorità estrinseca; e quindi distruggeva definitivamente la Scolastica (ac si Scholastica sola auctoritate procederet et ultra non vixisset!). Per tale riguardo Cartesio fece nella filosofia una rivoluzione analoga a quella fatta da Lutero nella Religione, sostituendo alla fede estrinseca imposta e alle opere esterne, una fede intima ed individuale. Inoltre, come bene osserva l'Hegel, con Cartesio la filosofia si trova per la prima volta interamente a casa sua; poichè qualunque indirizzo si voglia dare alla filosofia, questa avrà sempre per suo primo ed essenziale obietto il pensiero ed il conoscere, nè potrà studiare il reale senza tener conto di questo elemento soggettivo, in grazia del quale soltanto il reale per noi esiste „. — Et Liberatore: "La ragione individuale di Cartesio doveva per processo logico riuscire all' *Io puro* di Fichte „. *Della Conoscenza intellettuale.* Parte I^{a}, capo 1°, a. 2°.

philosophiae veluti parens salutatur, et in studiis philosophorum qui post ipsum vixerunt, influxum perniciosissimum habuit.

THESIS I.ª — **Cartesius in stabiliendo supremo veritatis et certitudinis criterio; 1° innititur falso supposito; 2° illogice procedit et 3° sibi contradicit; 4° circulum vitiosum committit; 5° quaestioni non satisfacit, imo 6° logice adduceret ad scepticismum etiam circa res fidei.**

741. Praenotiones. — *Supremum veritatis criterium iuxta Cartesium.* Cartesius totus in eo est ut inveniat methodum qua possit acquirere cognitionem omnium rerum quarum intellectus humanus est capax, et possidere veritatem cum certitudine firmissima. Hoc animo et hac intentione dogmatica (non ut sceptici qui dubitant solum ut dubitent), incepit uti methodo dubitativa in mathematica; et cum, hac via, plura cum successu inquisivisset, animadvertens omnium scientiarum principia derivari a philosophia, suam methodum transtulit etiam ad philosophiam. Eius dubium est progressivum, et tandem evadit universale: ipse vocavit illud "*methodicum universale*„ [1]). Et primo vult animo deliberato dubitare de iis quae usque nunc propter aliorum auctoritatem tenuit [2]); multi enim contradictoria docent, et quod uni videtur verum, alter falsum dicit; dubitat de iis omnibus quae a primis annis didicit, quia plures opiniones falsas pro veris acceperat; de iis etiam quae docuerunt qui ipsum praecesserant; imo etiam de veracitate sensuum, de iis quae communi et unanimi sensuum relatione referuntur; nam et sensus sibi non raro contradicunt, et potest oriri dubium an simus in statu somnii, aut delirii, an decipiamur ab aliquo ente maligno et omnipotente [3]). *Lex* igitur, pro eo qui

---

[1]) Hoc dubium proponit et defendit in "*Discours de la Méthode*„ (1637), *Meditationes de Prima Philosophia* (1641) et *Principia Philosophiae* (1644)„.

[2]) *Positive* et explicite a suo dubio excepit ea quae respiciunt theologiam, moralem et politicam. Cfr. *Dissert. de Methodo* n.° III°.

[3]) "Ie me résolus de feindre que toutes les choses, qui m'étaient jamais entrées dans l'esprit, n'étaient non plus vraies que les illusions de mes songes„. *Discours de la Méthode* 4me partie VI. p. 32. -- Et in *Princip. phil.* p. Iª n. 4: "Dubitamus imprimis an ullae res sensibiles aut

vult philosophari et opus criticum conficere, est ut dubitet de omnibus, etiam v. gr. quod sit hic ad ignem, indutus hac veste, tenens manu chartam aut aliquid huiusmodi, quod deliberate et ex proposito manum extendat et eam sentiat etc; quid plura? dubitare debet an habeat corpus, an 2 + 2 sint quatuor, et si quid aliud facilius et simplicius inveniri potest [1]).

Tamen, subdit Cartesius, unum est de quo nullo modo dubitari potest, scil. existentia subiecti cogitantis: quantumcumque enim aliquis velit cogitare omnia esse falsa, haec veritas " *Cogito, ergo sum* „ est adeo firma ut nullis scepticorum suppositionibus ac sophismatibus concutiatur [2]): haec igitur ve-

---

imaginabiles existant; primo, quia deprehendimus interdum sensus errare..., deinde quia quotidie in somniis innumera videmur sentire aut imaginari quae nusquam sunt „; et n. 5 et 13. " Dubitamus etiam de reliquis, quae antea pro maxime certis habuimus; etiam de mathematicis demonstrationibus, etiam de iis principiis, quae hactenus putavimus esse per se nota „.

[1]) " Facile supponimus, nullum esse Deum, nullum caelum, nulla corpora, nosque etiam ipsos non habere manus nec pedes, nec denique ullum corpus; non autem ideo nos, qui talia cogitamus, nihil esse; repugnat enim, ut putemus id quod cogitat eo ipso tempore, quo cogitat, non existere „ ibid. n. 7. Cfr. Mercier, op. cit. n. 30: " Il ne s'agit seulement des *actes* des sens, de la conscience ou de la raison, les *facultes* elles-mêmes sont frappées de suspicion, et, avec elles, toutes leurs informations. Les facultés de connaitre ont pour obiet, les unes, les vérités d'expérience, les autres, les vérités abstraites, idéales. La sincérité des unes et des autres est contestée „. Cfr. *Princ. Philosophiae* p. I^a, n. V. etc.

[2]) Sed est deceptor, nescio quis, summe potens, summe callidus, qui de industria me semper fallit. Haud dubie igitur ego etiam sum, si me fallit; et fallat quantum potest, numquam tamen efficiet ut nihil sim, quamdiu me aliquid esse cogitabo „. *Medit.* 2^a. — Neque cognitio huius propriae existentiae est ex ratiocinio aut deductione ulla, nam: " Cum.... advertimus, nos esse res cogitantes, prima quaedam notio est, quae ex nullo syllogismo concluditur, neque enim cum quis dicit: *ego sum sive existo,* existentiam ex cogitatione per syllogismum deducit, sed tamquam rem per se notam, simplici mentis intuitu agnoscit, ut patet ex eo quod, si eam ex syllogismo deduceret, novisse prius debuisset istam maiorem: *illud omne quod cogitat, est sive existit;* atqui profecto ipsam potius discit ex eo, quod apud se experiatur fieri non posse ut cogitet, nisi existat „. *Princip. philos. p. 1. n. 5 resp. 2, tertio.*

ritas sine ullo metu potest assumi ut primum philosophiae principium. Sed cur de hac veritate dubitari non potest? quia est clarissima et distinctissima. Unde potest stabiliri *canon* philosophicus: " *Quidquid clarissime et distinctissime concipitur est verum et certum* „. Tamen potest adhuc oriri dubium: forte ab aliquo spiritu maligno decipior, cum puto me aliquid clare percipere; sed huic dubio omne fundamentum tolletur si probabitur vitam nostram et mundi existentiam esse ab Ente sapiente, bono, veraci, qui propterea non potest permittere ut decipiamur in iis quae valde clare et distincte percipimus. Hac via *criterium* supremum et ultimum veritatis et certitudinis erit: — *Deus est, et non est deceptor* [1]*; ideo quidquid clare et distincte percipitur, est verum et certum.* — Praecipua ratio dubitandi erat incertitudo an homo talis naturae esset ut erraret in omnibus quae putabat se cognoscere. Atqui non potest esse talis naturae si est a Deo bono et veraci. Ergo si a Deo est, non potest decipi in iis quae clarissime et distinctissime percipit. Sed quomodo probatur existentia Dei? Duplici argumento, scil. *a posteriori* ex idea entis infiniti quae non potest causari ab aliquo finito, et *a priori,* probatione, quam vocat geometricam, quae sic potest contrahi: " Ens de cuius essentia est esse, necessario est; atqui Deus est ens de cuius essentia est esse: ergo Deus necessario est „. Est autem verax quia secus esset imperfectio moralis in Deo.[2])

742. Probatur 1ª pars. — *Cartesius innititur falso supposito.* — Tria supponit Cartesius — 1m quod intellectus humanus possit serio dubitare etiam de primis principiis et de intimo testimonio conscientiae; 2m quod conscientia intuens " *cogito,*

---

[1]) Atque ita plane video, omnis scientiae certitudinem et veritatem ab una veri Dei cognitione pendere: adeo ut, priusquam illum nossem, nihil de ulla alia re perfecte scire potuerim „. *Medit.* 5ª.

[2]) Cfr. Kleutgen, *La filosofia antica,* vol. 2° tratt. IV. capo I°; Cantoni l. e.; Turner, op. cit.; Mercier, *Critér.* n. 94. Ut iam dictum est, non est hic quaestio de intentione: voluit inconcussam et firmam certitudinem acquirere, tamen ita se gessit ut impossibilem redderet omnem certitudinem. Quod a dubio exceperit res fidei et morum, indicat bonam eius naturam, sed non sapientem philosophum.

ergo sum „ referat substantiam immaterialem, animam humanam; 3m quod quaestio de origine *(unde sit)* praecedere debeat quaestionem *(quid sit)* de natura cognoscentis. Atqui haec tria sunt falsa [1]). Ergo Cartesius innititur falsis suppositis.

Probo min. per partes. — *Falsum est 1m*, ut patet ex dictis de vero certitudinis criterio [2]). — *Falsum est 2m*, quia, ut in Psychologia ostenditur, animae existentia et immaterialitas debent per ratiocinium satis longum probari: primum vero quod conscientia testatur est individuum aliquod operans, existentia alicuius operantis. — *Falsum est 3m*, nam 1a quaestio est *an aliquid sit*, 2a *quid sit*, et, post alias plures, *ultima* venit quaestio *unde sit*. Porro *quid sit* anima non potest a nobis cognosci *immediate*, sed per suas potentias, et hae per actus: hi vero actus primo probant *existentiam* agentis, deinde paullatim introducunt in cognitionem *naturae* agentis.

Probatur 2a pars. — *Cartesius illogice procedit.* — Cartesius in primo momento sui processus apposite et animo deliberato *positive* vult dubitare de omnibus et sollicite inquirit rationes ad hoc dubium universale statuendum. Atqui ille qui primo sic dubitat, non potest deinde nisi illogice dici certus esse de ulla re. Ergo Cartesius cum in secundo momento ut certum proffert illud: " *Cogito, ergo sum* „ illogice procedit [3]).

Probatur minor. — In primo instanti Cartesius dubitat de sua deliberatione ad manum extendendam, de testimonio

---

[1]) Cfr. Kleutgen, op. cit. loco cit. p. 153; Liberatore, op. cit. cap. I. a. IX; Mercier, op. cit. n. 41.

[2]) Cfr. S. Thom. I. p. q. 87, ar. 1-3; Cfr. etiam Mercier, l. c. n. 40, 42.

[3]) Forte Cartesius prae oculis habuit: " Quod si fallor, sum „ S. Augustini; sed hoc differt a S. Doctore quod hic procedit argumentatione *indirecta, per reductionem ad absurdum*, quod non videtur fecisse Cartesius. Ideo P. Liberatore: " Ottimamente; sì, è vero; Cartesio imita S. Agostino. Ma lo scappuccio suo non è questo, d'imitare S. Agostino; lo scappuccio è che imitandolo lo imita a sproposito. Contro chi argomentava S. Agostino in quel ragionamento? Contro gli scettici e gli accademici. Per chi propone Cartesio lo stesso modo di argomentazione? Per tutti coloro che, non essendo nè accademici, nè scettici, amano di filosofare sinceramente..... „ op. cit. cap. I. art. VIII.

conscientiae circa hanc volitionem, an sit in statu somnii aut vigiliae, an facultates sint aptae ad cognoscendum etc.... Atqui illud " *Cogito ergo sum* „ non concipitur ab aliis potentiis, perhibetur ab eadem conscientia. Ergo logice vel debet et ipsum poni in dubium, vel etiam alia ut certa sunt admittenda.

Dices. — " *Cogito ergo sum* „ clare et distincte percipitur. Sed quod clare et distincte percipitur non potest poni in dubium. E.

Resp. — Plura alia clare et distincte percipiuntur de quibus tamen Cartesius vult dubitare, v. gr. de primis principiis, quod 2 + 2 sint 4, etc.... Ergo pari ratione deberet dubitare etiam de hoc [1]).

Probatur 3ª pars. — *Sibi contradicit.* — I. Videtur concedere dari cognitiones intellectuales adeo claras et simplices ut non possint cogitari quin hoc ipso teneantur ut verae, de quibus non possit dubium oriri quia ad dubitandum intellectus deberet eas cogitare. Alibi autem docet de omnibus omnino esse dubitandum. Ergo sibi contradicit [2]).

II. Quando contendit probare existentiam Dei asserit hanc erui ex conceptu entis perfectissimi, sicut ex idea trianguli

---

[1]) Discrepant auctores in assignando valorem " *clarae perceptionis cartesianae* „ utrum scilicet sit aliquid mere subiectivum, an fundetur *in facto obiectivo* cuius dicit se habere claram visionem, quatenus videt clare quod ad cogitandum oportet esse, ita ut motivum assensus sit evidentia connexionis inter cogitationem et esse. Hoc 2m tenet Mercier, op. cit. n. 93, et 71; Liberatore l. c. a. XI et XIV tenet 1m; nam, si Cartesius evidentiam obiectivam assumpsisset, debuisset ascendere ad principium contradictionis, quatenus, si id quod non est operaretur, idem simul esset et non esset. Tunc vero " *Cogito, ergo sum* „ non potuisset sumi ut primum principium scientiae, neque ut simplex affirmatio obiecti a conscientia immediate percepti, sed ut entymema, et sic corrueret systema Cartesii, quia argumentatio supponit veracitatem facultatum, leges ratiocinationis, praemissas etc. Ergo, si Cartesius non sibi contradicit etiam hic, debet accipere evidentiam mere subiectivam, ut testatur factum internum, et intima persuasio animi. Et hoc sensu Cartesium interpretati sunt qui ab eius doctrina initia subiectivismi sumpserunt. Hoc sensu confutatur a De La Mennais in " *Défens de l'essai* „ etc. Préface.

[2]) Cfr. *Princip. philos.* p. 1, § 14; eius oppositum *Medit.* med. 5; Cfr. *Ep.* P. I, ep. 81, Kleutgen, l. c. p. 154.

eruitur quod habeat tres angulos aequantes duos rectos. Sed alibi ille idem potest sibi persuadere, se talem a natura factum esse ut interdum in iis fallatur. Ergo nonnisi sibi contradicendo potest fieri certus de existentia Dei [1]).

Probatur 4ª pars. — *Aut sibi contradicit, aut incidit in circulum vitiosum.*

Ad probationem existentiae et veracitatis Dei etiam ut fit a Cartesio (valide an invalide hic non quaerimus), necessario praesupponuntur praemissae et pro his conceptus infiniti, perfectionis moralis, principia contradictionis et causalitatis etc. — Iam vero haec omnia aut supponuntur cognita ut vera et certa antequam probentur existentia et veracitas Dei, aut non. Si 1m, existentia et veracitas Dei non potest esse supremum criterium omnis certitudinis, sed plura sunt cognita ut certa antecedenter, et Cartesius sibi contradicit; si 2m, manifeste committitur circulus vitiosus, quia conclusio probatur per praemissas quae non possunt ostendi verae et certae, nisi per conclusionem quam probant [2]).

Probatur 5ª pars. — *Quaestioni non satisfacit.* — Ex hoc solo quod Deus est et verax, non est immediate evidens quod sit totius mundi et animae creator, quod non possit permittere ut decipiamur etiam in iis quae clare et distincte putamus videre sicut permittit ut erremus in pluribus. Intellectus qui potest dubitare num decipiatur quando iudicat $2 + 2 = 4$, non potest cognoscere, an decipiatur cum ratiocinatur, an validae sint pro-

---

[1]) Cfr. Kleutgen l. c. — "Sic, ex. gr. cum naturam trianguli considero, evidentissime quidem mihi, utpote geometriae principiis imbuto, apparet eius tres angulos aequales esse duobus rectis; nec possum non credere, id verum esse, quamdiu ad eius demonstrationem attendo; sed statim atque mentis aciem ab illa deflexi, quamtumvis adhuc recorder, me illam clarissime perspexisse, facile tamen potest accidere, ut dubitem an sit vera, siquidem Deum ignorem; possum enim mihi persuadere, me talem a natura factum esse, ut interdum in iis fallar, quae puto quam evidentissime percipere „. Cartesius, *Medit. quinta.*

[2]) Cfr. Turner, l. c. p. 106; Mercier, n. 96; Kleutgen, l. c. — In theodicea ostendemus probationes a Cartesio adductas esse invalidas: 1m enim argumentum falso supponit nos habere perfectam et propriam ideam *Infiniti:* 2m indebite transit ab ordine ideali ad ordinem realem.

bationes allatae pro existentia et veracitate Dei, non poterit discernere quando erret et quando non, etc. [1]). Et ita quaestio de criterio manet insoluta, et veritas non potest ab homine acquiri cum certitudine.

Probatur 6ª pars. — *Processus Cartesii logice duceret ad scepticismum.* — 1. Patet ex iis quae dicta sunt — 2. Sceptici sunt qui volunt dubitare de omnibus et nulli potentiae fidunt: atqui idem facit Cartesius: dubitat de primis principiis, supponit quod sensus repraesentent res aliter ac sunt, vult fingere quod intellectus repraesentet ut reale id quod est irreale, ut obiectum experientiae id quod est somnium etc. — et non habet reale medium ad se extricandum [2]).

Etiam in rebus fidei. Nam, quamvis ipse explicite has excludat a suo dubio, tamen I. Docet possibile esse dubium etiam de existentia Dei " Facile quidem supponimus nullum esse Deum, nullum caelum, nulla corpora „..... *Princip.* Parte I. n. VII. — II. Ponit animum discipuli in statu violento duabus contrariis dispositionibus quantum ad naturalia et quantum ad revelata. — III. Subtractis motivis credibilitatis aut in dubium revocatis, fides non est amplius *rationabile obsequium.* — IV. Confirmatur ex effectibus, qui a Cartesiana doctrina longe lateque divulgati cernuntur [3]).

---

[1]) Cfr. Kleutgen, l. c.; Mercier, l. c.

[2]) Nec iuvat Cartesium quod suum dubium vocaverit *methodicum ;* nam 1.° Dubio vere methodico potuisset sine ullo metu procedere etiam in rebus fidei, sicut facit S. Thomas ; 2.° Explicite dicit quod *realiter* possumus dubitare de omnibus rebus ; 3.° Dubium hoc ipso quod est universale non potest amplius esse methodicum. 4.° Dubium methodicum pendet a voluntate, dubium Cartesii est ab intellectu : qui dubitat *methodice* de aliqua re, ita se gerit ac si res illa esset dubia ; qui dubitat *realiter,* iudicat quod res de qua agitur revera est dubia. 5.° In dubio reali status intellectus est simplex, in methodico est complexus, nam, licet assumatur aliquid ut dubium ad demonstrationem ipsius faciendam, tamen eius veritas iam tenetur, vel quia scitur habitualiter, vel quia comprehenditur sub aliqua conclusione magis ampla, vel quia fulcitur auctoritate doctorum etc. Porro Cartesius *simpliciter* dubitat de omnibus, et hoc dubium est *lex* criticae philosophicae ab ipso invectae. — Cfr. Mercier l. c. n. 32.

[3]) Cfr. Liberatore, op. cit. cap. 1, art. XII ; — Cfr. Cantoni, l. c. : " Noi possiamo (probata Dei existentia) con piena tranquillità e sicurezza

THESIS II.ª — Qui dicunt supremum veritatis criterium reponendum esse in essentia divina et in necessitate absoluta relationum inter ideas exemplares ab intellectu divino conceptas; 1º falsum supponunt; 2º contra experientiam et 3º gratis id asserunt, et 4º vel Ontologismum profitentur, vel cadunt in circulum vitiosum.

743. Praenota. — Plures fuerunt qui secundum philosophiam Platonicam possibilitatem rerum explicantes, et quibusdam S. Augustini locis abutentes, statuerunt rationes necessitatis, aeternitatis, immutabilitatis quae intercedunt inter rationes et notas quidditativas rerum, a nobis accipi ex ideis divinis. Ad Deum, inquiunt, ascendendum est: ipse infinitis modis imitabilis praehabet in se formas omnium rerum quibus in tempore dat esse: hae formae in suo esse contingentes, mutabiles, temporaneae, solum in Deo sunt necessariae, immutabiles, aeternae. Cum igitur scientia et cognitio certa sit de rebus necessariis, ultimo debet terminari, ut ad supremum criterium, ad ideas divinas.

Huiusmodi sententiam, data opera, reputare spectat ad quaestionem de intellectione, et ibi eam expendemus, considerando etiam varios modos quibus a diversis proponitur: tamen etiam hic eam reiicimus quatenus ponit criterium pro nobis ineptum certitudinis [1]).

744. Probatur 1ª pars. — Haec sententia supponit neces-

---

affermare tutto ciò che è contenuto in modo chiaro e distinto nelle nostre idee; il pensiero si fa misura del reale, e Cartesio ne trae un nuovo dogmatismo, un dogmatismo idealistico „. — Et Turner, l. c. *Importanza storica*..... " Le sue opere furono poste all'Indice, *donec corrigantur* (20 nov., 1663).... Ma la sua influenza continuò malgrado qualsiasi opposizione, e poco esagera chi dice che il suo pensiero determinò tutto il corso dello sviluppo della filosofia moderna „. Et postea de eius doctrina circa cognitionem, oppositionem inter spiritum et materiam, abyssum inter subiectum et obiectum: " Questa dottrina è la " *damnosa haereditas* „ che il Cartesianismo lasciò al pensiero moderno, perchè " come passare l'abisso (imaginario) tra spirito e materia „ divenne il problema che tentò invano di sciogliere quasi ogni grande filosofo dopo Descartes „.

[1]) Cfr. Liberatore, *Logica* pars altera n. 73; et fusius " *Della Conoscenza intellettuale* „. Tom. Iº, cap. IV.; Mercier *op. cit.* n. 99.

sitatem, immutabilitatem, aeternitatem etc. quae sunt proprietates rationum et notarum essentialium, esse positivas, absolutas, ut positivae, absolutae sunt necessitas, immutabilitas, aeternitas Divinae Essentiae et divinarum idearum. Atqui hoc est omnino falsum, uti declaratum est in quaestione de proprietatibus universalium [n. 519 et ss.] — Ergo.

Probatur 2ª pars. — Conscientia testatur nos abstrahere rationes universales a singularibus de quibus postea praedicantur et non accipere ab ideis divinis. Atqui in sententia adversariorum deberet testari, quod has rationes accipimus ab ideis divinis, et non ex singularibus. Ergo.

Probatur 3ª pars. — Ratio quam adversarii afferunt est, quod alio modo non possent explicari proprietates cognitionis certae. Atqui hoc argumentum nullum est, ut patet ex dictis, et magis patebit ex dicendis de possibilibus, quod scilicet haec pendent ex habitudine terminorum. Ergo adversarii gratis asserunt.

Probatur 4ª pars. — Adversarii aut dicunt nos immediate videre Essentiam Dei, vel eius attributa vel ideas divinas; aut tenent a nobis Deum demonstrari. Si 1m profitentur Ontologismum; si 2m incidunt in circulum vitiosum. Nam demonstratio supponit praemissas certas. Sed in hypothesi, criterium certitudinis esset Essentia Divina aut attributa aut ideae quae sunt demonstranda per praemissas certas. Ergo [1]).

THESIS III.ª — **Supremum veritatis criterium non est reponendum in revelatione divina, neque in consensu generis humani.**

---

[2]) Cfr. S. Th. 1 p. q. 84, a. 5, et q. 85, a. 1, et alibi passim. — Difficultates hic non addimus quia commodius et utilius reservantur ubi agemus magis directe contra Ontologos. Sufficit nunc advertere: 1° quod adversarii confundunt proprietates negative acceptas cum positive acceptis; 2° quod falso putant, ordini ontologico semper respondere ordinem logicum, ita scil. quod *primum Ontologicum* (Deus) debeat esse etiam primum Logicum etiam relate ad nostrum intellectum. Veritas autem haec est, conscientia unicuique testatur, quod nos primo cognoscimus materiale, "et per materialia sic considerata in immaterialium *aliqualem* cognitionem devenimus„. S. Th. p. 1 q. 85, a. 1°.

745. Status quaestionis. — Plures fuerunt qui supremum veritatis criterium reposuerunt in auctoritate Dei revelantis, aut in consensu generis humani : hi vocantur Traditionalistae, quorum plerique primum hoc systema amplexi sunt hoc animo, ut se opponerent impietati rationalistarum qui sua ratione abutentes, veritates fidei, prima principia socialia, distinctionem inter bonum et malum pertinaciter et effrenate negabant. Contra hos inclamarunt, diffidendum esse de ratione individuali, hanc sensui communi et auctoritati subdendam.

Inter Traditionalistas eminent De Bonald, et De La Mennais, quibus accesserunt Bautain, Bonetty, Ubaghs, et in Italia Ventura [1]).

De Bonald pugnans contra Rousseaux qui acriter defendebat hominem individuum et in re practica et in speculativa sibi omnino sufficere, in oppositum errorem incidens, docuit hominem ex se solo *nihil posse,* sed in omnibus indigere societate quae ei a Deo revelata primis parentibus et traditione accepta transmitteret. Inde statuit supremum criterium consistere *in auctoritate Dei revelantis ea quae traditione universali ad nos derivant* [2]).

De La Mennais, considerans scepticismum suae aetatis, et indifferentiam et incertitudinem ac si nec verum nec falsum daretur, et inutile esset de iis quaestionem agitare ; en, exclamavit, quo ratio diu contra Fidem pugnans devenit ! neque vim firmiter negandi conservavit. — Iam inde a Cartesio coeptum est affirmari : quod mihi clare et dilucide apparet, hoc verum est; sed quod uni apparet clare, alteri est obscurum. Ergo idem est verum uni, falsum alteri, et sic omnia possunt dici vera, omnia falsa. Unde huic scepticismo remedium ? Abiiciatis, inquit, *sensum privatum,* assumite *sensum communem* qui in ipsa natura humana fundatur : ratio particularis fallibilis est, non vero ratio universalis [3]).

---

[1]) Cfr. Turner, *op. cit.*, cap. LXVIII ; Mercier, *op. cit.* n. 61 ; Liberatore, *La Conoscenza intellettuale,* cap. III° et I° ; Kleutgen, *op. cit.,* Trattato 4°, cap. IV, 1. et *Instit. Theol.* vol. 1° nn. 114-124.

[2]) Cfr. Mercier, ibid. n. 63 ; Liberatore, l. c. n. 145.

[3]) Cfr. Mercier, ibid. n. 64 ; Liberatore, l. c. cap. I°, art. 1°.

Ceteri, quos nominavimus, moderatum Traditionalismum profitentur; scil. docent quod ratio individualis non potest ex se primo acquirere certitudinem de existentia Dei, de lege morali, de animae immortalitate etc..., sed hanc obtinere ex transmissione Revelationis divinae facta per societatem: potest tamen sic semel acceptas veritates demonstratione rationali confirmare. Sermo autem est solum *conditio sine qua non* ad ideas transmittendas, non vero *medium* ad id necessarium, ut De Bonald statuerat [1]).

746. Probatur. — I. **Argumento generali.** — Supremum veritatis criterium non potest reponi in eo quod supponit alias plures veritates aliunde notas et probatas. Atqui revelatio divina et consensus generis humani supponunt plures veritates aliunde notas et probatas. Ergo supremum veritatis criterium non potest reponi in revelatione divina aut in consensu generis humani.

Probatur minor. Ad hoc ut homo rationaliter admittat revelationem divinam, debet firmiter tenere quod Deus est, et est dignus cui credatur si loquitur; quod de facto locutus sit, et cui, ubi, quando; quaenam signa habeantur huius divinae locutionis et an sint valida.... Atqui haec omnia non possunt perpetuo reduci in traditionem, secus daretur processus in infinitum. Ergo ultimo veniendum est ad cognitiones rationales quae revelationi debent praesupponi [2]). — *Pariter* pro consensu generis humani,

---

[1]) Cfr. Mercier, ibid. n. 66; Liberatore, l. c. cap. III° nn. 146-147. Hos omnes praecesserat Huetius, qui advertens quod certitudo beatorum superat certitudinem fidei, et haec superat certitudinem naturalem, dixit certitudinem naturalem non esse veri nominis certitudinem. Licet forte benigne interpretari eius verba, tamen *simpliciter* falsa sunt, ut patet ex dictis de triplici gradu certitudinis.

[2]) Confer Liberatore, *Logicae Pars Altera,* n. 66, 67; Mercier, *Critér.* n. 68; Optime Bourdaloue a Mercier affertur, qui cum sibi obiecisset: "Ie ne raisonne point, parce que je veux croire, et que raisonner pourrait me détourner de la foi„ respondet: "Penser ainsi, c'est manquer de foi; car la foi, je dis la foi chrétienne, n'est point un pur acquiescement à croire, ni une simple soumission de l'esprit, mais un acquiescement et une soumission *raisonnables*, et si cet acquiescement, si cette soumission n'étaient pas raisonnables, ce ne serait plus une vertu. Mais comment sera-ce un acquiescement, une soumission raisonnables, si la raison n'y a point de part?„ *Pensées sur divers sujets de religion et de moral.*

oportet cognoscere an revera pro aliqua veritate adsit talis consensus, et sit praeditus iis characteribus, quibus distinguatur a praeiudiciis et privatis opinionibus. Sed haec omnia non possunt cognosci per ipsum consensum, secus haberetur circulus vitiosus et petitio principii. Ergo ad consensum generis humani praerequiruntur plures veritates aliunde notae.

747. II. **Argumento speciali.** — *A. Revelatio divina non potest esse supremum criterium.*

1° Supremum veritatis criterium non potest esse tale quod praebeat solam fidem, secus scientia stricte accepta non posset haberi. Sed revelatio divina praebet solam fidem. Ergo non potest esse supremum veritatis criterium.

2° Licet homo initio vitae suae procedat potius credendo, et fides sit valde utilis ut veritates ordinis moralis et religiosi facile ab omnibus sine erroribus cognoscantur, et rudes plerumque auctoritate regantur; *tamen* naturae humanae dignitas postulat ut, quando aliquo tempore exurgit dubium circa ea, quae usque ad illud tempus credita sunt, medium habeat quo de iis, quae traditione accepit, iudicet, discernat, et non detineatur perpetuo caeco modo solum propterea quod sic audivit. Ergo debet dari aliquod criterium rationale [1]).

748. *B. Consensus generis humani non potest esse criterium supremum veritatis.*

1° Si iudicium de veritate universim penderet a consensu generis humani, plerique homines in perpetuo dubio et scepticismo manerent. Atqui hoc, ut vidimus, est contra naturam humani intellectus, qui factus est ad verum cognoscendum. Ergo iudicium de veritate universim non potest pendere a consensu generis humani.

Probatur maior. Quid genus humanum senserit de plurimis veritatibus est cognitu difficillimum; ideo requirit longum studium et inquisitionem de singulis nationibus, locis et temporibus; oportet investigare qui consensus sufficiat, mathematice

---

[1]) Cfr. Liberatore, *La Conoscenza,* ecc. cap. III°; Mercier, n. 70.

universalis, an solum moraliter; qui de facto detur... Atqui haec omnia diligentissime inquirere plerique homines non possunt [1]). E.

2° Conscientia testatur, et sensus communis confirmat, nos de pluribus veritatibus esse certissimos, quin solliciti simus quid alii cogitent aut cogitaverint. Ergo sunt veritates, quae non indigent consensu generis humani ut cognoscantur ut infallibiliter verae, ideoque consensus generis humani non est supremum veritatis criterium.

3° Consensus generis humani aut manifestatur nobis per auctoritatem v. gr. Summi Pontificis, aut debet cognosci in convenientia omnium populorum in aliquid affirmandum. Atqui si *secundum,* plerique non pervenirent ad cognitionem certam, ut dictum est in I° argumento; si *primum,* rationaliter debemus invenire motiva, propter quae credendum sit auctoritati Summi Pontificis. E.

749. Nota. 1° Non iuvat recursus ad Traditionalismum *moderatum,* quia reducitur in *absolutum:* si enim primus actus humani intellectus supponit revelationem et traditionem, ultima norma, fons et motivum omnis certitudinis moralis et religiosae est sola revelatio et traditio: et hoc est quod docent De Bonald et De La Mennais et alii absoluti [2]).

2° Amplior refutatio Traditionalismi reservatur ad psychologiam in quaestione de origine idearum.

3° Difficultates, quae ex fontibus Traditionalismi opponi pos-

---

[1]) Cfr. Liberatore, locis citatis; Kleutgen, *La Filosofia antica,* Vol. II° Tratt. III°, cap. I°.

[2]) Late quaestionem agitat de singulis Liberatore, in *La Conoscenza ecc.;* Cfr. etiam Zigliara, *Summa Philosophica,* Logicae Pars altera seu Critica, libr. III° cap. I°, art. 3° et alios passim. — Ceterum, ad rem nostram quod attinet, sufficeret contra ipsos notare quod aut cadunt in contradictionem, aut committunt ignorantiam elenchi. Nam *Traditionalistae* admittunt existentiam Dei, et veritates fundamentales. Iam vero, *aut habent rationes* docendi quod Deus est, et non potest nos ducere in errorem, et haec et haec revelavit, et quod genus humanum non errat in his transmittendis, *aut non;* si primum, cadunt in contradictionem; si secundum, committunt ignorantiam elenchi, quia caeco modo credentes, quaestioni philosophicae, quae requirit solutionem rationalem, dant responsum non-rationale. Cfr. Mercier, l. c. n. 73.

sunt rectae doctrinae, affines sunt difficultatibus scepticorum. Satis hic erit indicare medios terminos ad refellendas eas, quae ex De Bonald et De La Mennais possunt desumi.

750. Obiectionum solutiones. — 1° Usus sermonis et vocabulorum iuvat maxime ad ideas cum aliis communicandas *C.;* est prius verbum externum (vocabulum) quam verbum mentale *N.* [1]).

2° In vita hominis cognitiones incipiunt per traditionem *C.;* postea, quando oritur dubium de iis, quae sic habita sunt, homo non habet alium modum rationalem, quo de veritate certior fiat, sed debet recurrere ultimo ad traditionem et revelationem *N.*

3° Magnae, imo et maximae quotidie gratiae agendae sunt Divinae Bonitati, quod etiam plura naturali lumine cognoscibilia nobis revelavit, quo factum est, ut eae veritates non haberentur solum a paucis, post longum tempus et admixtae erroribus, sed communes, faciliter, brevi, et puriter evadere possent [2]) *C.;* revelatio ita fuit absolute necessaria ut, sine ea, nulla veritas moralis posset cognosci *N.*

4° Veritates ordinis moralis, socialis, religiosi debent habere sanctionem ab auctoritate, quae cognoscatur adesse *C.;* hae veritates non possunt cognosci alia via quam traditione et revelatione *N.*

5° In multis erramus ex influxu *indirecto* voluntatis vitiatae *C.;* mala voluntas ita corrumpit intellectum, ut hic non valeat prima principia et faciliores veritates invenire ex se solo *N.*

6° Consensui hominum peritorum aut plurium adstantium (non omnium hominum) submittimus iudicium *in rebus difficilioribus,* circa quae conflictus versetur *C.;* in rebus facilioribus *Sbd.:* ad retundendam, argumento *ad hominem,* adversariorum audaciam et proterviam *C.,* vel *Trans.;* quasi dubitemus in re evidenti ut in enunciatione $2 + 2 = 4$, *N.*

7° Non potest negari quod sensus communis dicit, si sensus communis accipitur ut *auctoritas N.* (sic negarunt Copernicus et Galileus, qui per hoc non evaserunt amentes); si sen-

---

[1]) Cfr. S. Thom. I. p. q. 34. a. 1°.

[2]) Cfr. S. Th. C. G. libr. 1°, cap. 4°.

sus communis accipitur ut *signum* veritatis *Sbd.:* et hoc accidit quia impossibile est, ut omnes intellectus *sequendo suam naturam* decipiantur, ideoque hic consensus ex manifestatione veritatis contingit *C.;* quasi consensus et non veritas obiectiva se manifestans sit supremum criterium *N.*

8° Cartesius, idealismus Berckeley, criticismus Kantii et Positivismus non satisfaciunt quaestioni de certitudine *C.*; propter hoc, eundum est ad Traditionalismum, neglecto systemate Scholasticorum, aestimando quod sani philosophi arbitrarie procedant non attendendo veritatem obiectivam, ad quam a natura intellectus dirigitur sicut acus calamitatus ad suum polum *N.*

9° Certitudo infallibilis veritatum fundamentalium non potest pendere ab intellectu fallibili hominis, i. e. si hominis intellectus circa omnia et *per se* esset fallibilis *C.;* si intellectus humanus, licet non undequaque et in omnibus infallibilis, est tamen infallibilis circa prima principia, et ad verum sua natura ordinatur *Sbd.:* non pendent ab intellectu humano veritates fundamentales in suo esse *ontologico C.;* non cognoscuntur ab illo, aut potest esse rationalis timor, ne ab iis fundamentalibus veritatibus intellectus humanus (quidquid homo intima voce dicat) recedat *N.* [1]).

THESIS IV.ª — Subiectivistarum criterium et secundum id quod commune est omnibus, et secundum ea, quae singulis sunt propria, merito ut irrationale reiicitur.

751. Exponitur status quaestionis. — Plures, qui philosophi dicuntur (iure an iniuria non quaerimus), de validitate rationis ad veritatem detegendam plus quam dubii, territi scepticismo invadente et pessimis consectariis in ordine morali, quaesierunt criterium certitudinis in ipsa natura humana et praesertim in iis quae voluntatem et affectum respiciunt: inter hos eminent Reidius, Iacobi, Iouffroy, Kant, Balfour, Brunetière [2]).

---

[1]) "Proprium est horum principiorum, quod non solum necesse sit, ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri, quod sint per se vera „. S. Thom. in *Post.* libro 1°, lect. 19.

[2]) Cfr. pro iis, quae in hac materia breviter dicturi sumus, Mercier, op. cit. nn. 76-92; Liberatore, *Logicae* Pars Altera, cap. III°; Zigliara, *Logicae Critica* n. 63, etc.; quorum primus recentes errores, quos nos per-

Reidius (1710-1796) sese opposuit Humio et Berkeley, quorum primus negaverat ipsum causalitatis principium ; alter materiam ipsam reduxerat ad phaenomenon ; sed loco eos refutandi sana et invincibili metaphysica, se recepit ad sensum *communem*. Hoc nomine venit secundum ipsum et consensus hominum, et complexus qualitatum, quae constituunt facultatem sani iudicii (il buon senso). Hac secunda significatione sensus communis est veluti primus gradus rationis : est donum caeleste, quod solum habent plerique homines, quod non potest acquiri per educationem, et sine quo non potest quis perspicere principia evidentia, et multo minus conclusiones. Humeus et Berkeley in scepticismum inciderunt, quia *dogmatici* non potuerunt adducere rationes, quibus probarentur iis prima principia. Cessent igitur rationes, et opus praecipuum philosophiae sit determinare prima principia scientiarum et philosophiae, ostendere quomodo genus humanum iis adhaereat, consequenter eas esse veritates sensus communis. Ultimum criterium est *sensus communis*.

Iacobi (1743-1819) distinguit *intellectum*, qui non potest excedere experientiam sensibilem, agit per intermediaria visibilia, tangibilia et per organa corporalia, et *rationem*, quae non adhibet organum, sed manifestatur nobis modo invisibili *per affectum*. Homo possidet sensum mysteriosum, qui recipit impressiones veri, pulchri, boni moralis. Obiectum huius affectus spiritualis praecedit ratiocinium, a nobis non percipitur, sed creditur. Systemata rationalia inevitabiliter contradictiones generant, sed hae vitantur ex praesentia huius affectus spiritualis in tota anima humana — *sensus moralis, aestheticus rationalis* non decipit : est criterium supremum.

Iouffroy (1797-1842), postquam huc illuc se vertit, et non valuit invenire solutionem triplici quaestioni : *an sit veritas, quid sit, quomodo possit inveniri ;* dixit *scepticismum esse ultimum rationis humanae pronuntiatum* de se ipsa. In eo tamen Iouffroy

---

tringimus, paullo amplius exponit et confutat. Huc etiam redeunt *Immanentistae* hodierni et philosophi *actionis :* sed de iis, quantum sufficit, dictum est supra nn. [682 sq.]

non quiescit, sed cum non possit fidere rationi, nec cognoscere aptitudinem eius ad veritatem, eam *credit per actum fidei caecae.* " Credere est necessitas universalis „ ; credere autem est considerare aliquam cognitionem ut veram. Potest quis dubitare de aliqua propositione, quia non videt eam esse veram, et simul eam considerare ut veram, ei adhaerere, et sic eam credere. " Et sic " un acte de foi aveugle, mais irrésistible, tel est le fondement de toute croyance „[1]).

Kant, ut supra dictum est, eo usque depressit cognitionem intellectualem ut diceret quod *ratio speculativa* nihil valet ad cognoscenda noumena, et praecipue ea, quae materiam excedunt et respiciunt moralem et religionem. Sed damnum reparat *ratio practica :* quod non habet fundamentum probationis, ideoque nil commune cum scientia veri nominis, remittitur ad fidem [2]). Conscientiam habemus *obligationis moralis,* quae saepe contrariatur inclinationi sensibili, postulat ut officium servetur, non attendendo ad commodum et utilitatem propriam, praescindendo a conditionibus particularibus. *Imperativum categoricum,* quod potest sic exprimi : " Adimple officium, quia officium est „ vel : " Ita agas ut norma dirigens actus tuos possit esse lex universalis, ut humanitas sit semper in tua et aliorum persona, non medium sed finis „ ; hoc, inquam, imperativum praesupponit, in ordine ontologico, *libertatem, immortalitatem, Deum remuneratorem.* Aliis verbis ratio speculativa non probat, non potest probare obligationem moralem, libertatem, immortalitatem, existentiam Dei, sed nos indigemus velle bonum morale, et ad hoc indigemus, debemus velle libertatem etc. ; ideo primum principium certitudinis moralis et fidei religiosae reducitur ad *indigentiam, quam ratio practica habet credendi aliquot veritates.*

[1]) Cfr. Mercier, l. cit. n. 80 ; Cantoni, op. cit. Terzo Periodo, capo 2° § 161. Iouffroy fuit discipulus Cousin. Hic, postquam plures theorias amplexus erat, nulla contentus, omnes simul dixit esse conservandas, quia hoc ipso quod varia systemata extiterunt, habent rationem essendi, et omnia habent aliquid veritatis et iuvant ad aequilibrium stabiliendum. Non advertit scil. acutus vir, quod sapientis est discernere inter verum et falsum, ut illud amplectatur, hoc deserat. Quis ita desipiat ut, cum possit habere aurum purum, velit illud cum scoria bene multa in scrinio ponere ?

[2]) Cfr. *Civiltà Catt.* 15 Febbr. 1908, p. 390.

Renouvier, et cum ipso, eius asseclae neo-critici in Gallia, ut bonus Kantii discipulus, scientiam limitat ad phaenomena. Tamen secundum exigentiam vitae moralis, affectus et instinctus nos ducunt ad quasdam coniecturas et hypotheses circa ultra-phaenomenica: critica non praecipit indifferentiam circa ea, quae respiciunt vitam moralem: in his potest haberi certitudo, quae tamen est semper subiectiva, unita cum diffidentia de realitate obiectiva. In hac *philosophia fidei,* voluntatis est ultimo determinare sive de spontanea, sive de reflexa certitudine, et de distintione inter errorem et vitium.

Balfour advertit quod, tum homines singuli, tum societas indigent amare bonum, admirari pulchrum, religionem sectari: cavendum ergo a consectariis philosophiae positivistarum et agnosticorum qualia essent negatio moralitatis, aestheticae, et religionis. Sed qua via? Si bene inspicimus, homo plus *auctoritate* quam ratione regitur; certitudo nostra plerumque oritur ex moribus, ex consuetudinibus, ex prima institutione, ex amicis, familia, libris, ephemeridibus etc. Auctoritate ergo pugnandum contra consectaria anti-socialia agnosticismi. Verum est quod auctoritas — tum civilis, tum religiosa — non potest afferre argumenta quibus rationaliter probentur eius tituli ad nostram adhaesionem obtinendam, et consequenter fiducia in auctoritate non est rigorose certa: sed adhuc minus certae sunt hypotheses agnosticismi et determinismi. Tutius igitur erit, confidere in nostris facultatibus, in rebus morum et religionis sequi ut normam impulsum instinctivum animae *" non rational impulse „*: credere auctoritatem, legem moralem, liberum arbitrium, etc. Sic explicatur moralitas vitae, fundamentum ponitur ordinis socialis.

Brunetière, de solutione quaestionis, quae nunc mundum agitat sollicitus, invenit quaestionem *socialem* esse maxime *moralem* (in qua solum secundum quid ingrediantur scientifica, politica, oeconomica); sed quaestio *moralis* est *religiosa* — nulla enim est obligatio aut sanctio quae non sint ultra et supra-phaenomena, et historia docet systemata moralia semper fuisse connexa cum religiosis. — Ergo quaestio praesens est religiosa. — Sed quomodo potest solvi haec quaestio? Non ratione, quia:

" inefficax „[1]). Ergo, ne quaestio maneat insoluta, recurrendum ad auctoritatem: fide procedendum est, homo indiget credere, nemo potuit aut poterit se a fide expedire, quia haec est conditio omnis moralitatis, scientiae et actionis. Porro ei auctoritati est credendum quae habet efficaciam moralem et socialem. Atqui hanc efficaciam, ut testatur historia, habet auctoritas, quae est in Christianesimo. Ergo auctoritas quae est in Christianesimo est ultima norma et regula fidei, et consequenter regula quaestionis moralis et socialis. Instat tempus agendi: non igitur immorandum in inquisitione an religio christiana sit vera anima immortalis, etc.; ex multiplicibus philosophorum hypothesibus, ea eligenda quae melius respondet votis et desideriis animae humanae et exigentiis actionis socialis, et innititur auctoritati revelationis.

Nonnulli tandem sunt qui reponunt supremum veritatis criterio *in testimonio* conscientiae, inter quos a quibusdam auctoribus ponitur Galuppi. Horum omnium opiniones, tum argumento generali, tum specialibus reiicimus.

752. Argumentum generale. Omnes praedictae opiniones ponunt criterium supremum certitudinis in aliqua dispositione *affectiva*. Atqui supremum certitudinis criterium non potest reponi in ulla dispositione *affectiva*. E.

Probatur minor. a) Supremum criterium non potest reponi in eo quod est maxime mutabile et maxime pendet a dispositione subiectiva. Atqui dispositio *affectiva* maxime mutabilis est et pendet a dispositione subiectiva. E.

b) Quod ab alio debet dirigi, non potest esse suprema norma obiectiva. Atqui dispositio affectiva, ut sit recta, debet dirigi ab alio, i. e. a ratione. E.

c) Haec dispositio affectiva aut est *caeca*, aut *illuminata*. Si *primum*, non potest sufficere homini: quia hic, secundum natu-

---

[1]) " La raison a si peu de rapports avec la vie, que sitôt qu'elle entreprende de la régler, elle la trouble.... Les inspirations ne servent qu'a nous deshumaniser „; — " Une société vraiment conforme a la raison serait inhabitable „.

[2]) Neque immorari oportet in inquisitione credendorum: " *Ce qu' il faut croire, allez le demander a Rome* „.

ram suam reflectens supra se ipsum, quaerit *cur,* et quomodo oriantur hae potius quam aliae dispositiones affectivae, et, si nullam rationem et explicationem inveniret, in scepticismum abiret. Si *secundum,* iam non dispositio affectiva, sed id quo ea illuminatur et fulcitur, erit ultimum criterium veritatis et certitudinis.

753. Specialiter contra Reid. Aut nomine *sensus communis* intelligit consensum generis humani, aut impulsum naturalem seu instinctum caecum. Si *primum*, sentit cum Traditionalistis et cum iis confutatur; si *secundum: a) pervertit cognitionis naturam:* haec enim importat visionem mentis, iudicia vero Reidiana non viderent conformitatem suam cum obiectis: ergo non essent cognitiones nisi pervertatur cognitionis natura — *b) non explicat cur* inter homines, de eodem obiecto, etiam de aliquibus iudiciis sensus communis, habeatur aliquando diversa sententia — *c) non quietat mentem;* nam affirmat solum *hoc est ita, et non potest esse aliter,* sed si quis petat *cur,* respondet hic sistendum esse, ne nimia sapientia in insipientiam vertatur. — Qui sensui communi humanitatis non vult subiici, videat ne ipso lumine sensus communis privetur.

754. Specialiter contra Iacobi. Affectiva propensio Iacobina, praeter iam dicta; *a)* male ponit *rationem* (Vernunft) distinctam ab intellectu; *b)* supponit nos posse habere de spiritualibus directam et propriam cognitionem in hoc statu unionis ad corpus; *c)* ponit ut supremum et immobilem *affectum.* Atqui *primum,* exclusum est in Kantio et magis constabit ex Psychologia; *secundum,* falsum ostenditur experientia, de quo etiam in Psychologia; *tertium,* est evidenter falsum, quia non est immobile quod pendet a subiecto mutabili, nec supremum quod supponit aliud supra se, i. e. cognitionem, quia *ignoti nulla cupido.*

755. Specialiter contra Iouffroy. 1. Quod importat carentiam cognitionis (et a fortiori carentiam certitudinis, quae est cognitio certa) non potest esse criterium certitudinis. Atqui huiusmodi est *fides caeca* Iouffroy. E. — 2. Quod plura supponit non potest esse supremum criterium: sed *fides* quaecumque rationalis supponit motiva credendi. Ergo non potest esse ultimum criterium. — 3. Criterium Iouffroy est obscurum in se quia *fides;* non illu-

minatur ab alio quia fides *caeca*. Atqui quod neque ex se neque ex alio est clarum non potest alia illuminare. E. — 4. Iouffroy supponit quod possit de omnibus dubitari et quod veritas obiectiva non necessitet intellectum quoad specificationem actus. Atqui haec sunt falsa. E.

756. Specialiter contra Balfour. 1. In eius sententia, probabilitas quae sola ex rationibus haberi potest, transformatur in certitudinem practicam *ex affectu*. Sed, ut ex dictis patet, non potest collocari suprema norma certitudinis in affectu. E.

2. Homo, cum sit rationalis et praeditus vi reflexiva, naturaliter quaerit titulos propter quos fidat suis facultatibus. Atqui hi tituli, a ratione debent examinari. E.

3. In medio sociali, in quo homo vivit, patitur influentias diversae rationis, bonas et malas. Ergo, ad hoc ut sibi comparet normam moralem, debet discernere inter illas: haec autem discretio est opus rationis.

757. Specialiter contra Brunetière. 1. Supponit cum De Bonald quod non possimus discernere, qualis sit vera, inter varias et oppositas philosophorum sententias. Atqui hoc est falsum, ut ex dictis contra Traditionalistas patet. E. — 2. Supponit quod, quidquid est ad bonum morale et sociale utilius, sit obligatorium et amplectendum. Atqui hoc rationabiliter non admittitur sine aliqua ratione probativa. Ergo ad rationem adhuc recurrendum est. — 3. Homines non conveniunt in assignando fine progressus: hic alius est *optimistis,* alius *pessimistis*. Ergo oportet recurrere ad rationem quae investiget et determinet qui sit finis homine dignus, quae media etc.

758. Contra eos qui ponunt supremum criterium conscientiam. Supremum veritatis criterium debet esse tale quod se extendat ad omnem ordinem cognitionum nostrarum. Atqui Conscientia hoc non facit, quia *conscientia,* proprie accepta refert ordinem cognitionum nostrarum ut aliquod factum in nobis existens, non vero totum ordinem obiectivum nostrarum cognitionum. Ergo non potest esse supremum criterium veritatis.

759. Specialiter contra Kant. Praeter ea quae superius diximus [n. 679], notari possunt haec.

1. Si ratio speculativa non illuminat, proceditur *caeco modo,* contra naturam hominis.

2. *Imperativum categoricum* pure subiectivum, in puro ordine ideali, non potest esse fundamentum obligationis moralis actualis et efficacis.

3. Obligatio moralis non potest rationabiliter stabiliri, nisi praesupponatur finis aliquis absolute obtinendus. Atqui probare quod detur aliquis finis absolute obtinendus, est opus rationis speculativae.

4. Speciatim, ut possit poni tamquam norma quod individuo ita est agendum ut humanitas ipsi sit finis et non medium, debet probari quod hic et non alius est ultimus finis hominis.

5. Imperativum categoricum non potest esse norma actionis, si non probat tria postulata rationis practicae. Atqui imperativum categoricum nullum ex his probat. E.

Prob. min. a) non libertatem quia phaenomena omnia sunt determinata; quae autem ponatur inter noumena, non explicat possibilitatem actuum moralium qui omnes sunt inter phoenomena: libertas impossibilis est homini si quilibet eius actus est omnino determinatus a phaenomenis praecedentibus.

b) non immortalitatem: Kant conatur hanc probare ex incompatibilitate honestatis et infelicitatis. Atqui hoc non probatur *ex utriusque analysi,* secus etiam nunc deberent inveniri unitae honestas et felicitas, contra id quod Kant praedicat: neque potest probari *synthetice* quia synthesis vim non habet ultra fines experientiae sensibilis.

c) non existentiam Dei a) quia moralis est *autonoma* et a Deo independens: cur ergo Deus debet remunerari eum qui non subiacet eius imperio? Si homo est sibi lex, ipse sibi sit praemium. *b)* secundum doctrinam Kantii, principium causalitatis non valet obiective, eo vel minus in mundo supra-phaenomenali. Ergo dato quod debeant coniungi perfectio moralis et felicitas, non sequitur quod debeat dari causa eas coniungens.

760. Specialiter contra Renouvier. 1. Ponitur ultimum criterium in actu libero voluntatis. Sed actus liber voluntatis non potest esse ultimum criterium — nam voluntas, potentia caeca, debet dirigi ab intellectu cuius actum praesupponit. E.

2. Actus liber voluntatis est actus qui versatur circa medium quod eligitur in ordinem ad aliquem finem, et propterea supponit cognitionem finis, mediorum, et horum proportionem cum fine. Sed cognitio finis etc. est actus intellectus qui volitioni praesupponitur. E.

3. Etiam quando voluntas terminum ponit dubiis speculativis, id facit aliqua ratione, seu motivo naturali. Ergo numquam ut criterium debet poni actus voluntatis, sed aliquid eidem praesuppositum.

Plures aliae sententiae possent exponi et refelli, sed non vacat singulos errores prosequi: ceterum ex praecipuis, quos exclusimus, alii etiam facilius poterunt excludi. Ontologos vero quod attinet, ii refutantur in Psychologia, hic satis erit advertere quod visionem Dei quam praetendunt hic habere, nec ipsi probant, nec alii experiuntur, et positivis argumentis facile excludemus suo loco [1]).

---

[1]) Neque in confutandis *Materialistis* (antiquis et recentioribus) et *Positivistis,* quos supra recensuimus inter eos qui sunt scepticis affines, hic immorabimur. Isti ponunt *sensus esse supremum criterium* cognitionis humanae: sed 1° nituntur falso supposito quod in homine non sit quaedam facultas *essentialiter* superior sensibus, et eorum regulatrix; et quod omnis nostra cognitio non sit nisi sensatio magis aut minus perfecta — 2° sibi contradicunt quando, postquam statuerunt quod omnis nostra cognitio resultat ex factis et non est nisi collectio et ordinatio rerum sensibilium, supponunt et inquirunt in phaenomenis sensibilibus leges universales et immutabiles quae pertinent *exclusive* ad ordinem abstractum et metaphysicum. Cfr. Zigliara, op. cit., l. c.; S. Th. I. p. 84. a. 1° IV. *Metaph.* lect. 12. et alibi quando loquitur contra antiquos sensistas et materialistas. Cfr. etiam quae diximus in quaestione de Univers.; ceterum de his iterum agendum erit in Psychologia.

PARS TERTIA

De tertia mentis Operatione.

761. Introductio. — De Demonstratione, quae est via ad scientiam, agit Aristoteles in libris *Posteriorum Analyticorum:* In libris namque *Priorum Analyticorum* agit de syllogismo ex parte formae, quod et nos praestitimus in Logica Minori; in libris vero *Posteriorum Analyticorum* agit de *syllogismo demonstrativo,* ut sic, et proinde de syllogismo ex parte materiae; ex parte enim materiae habet syllogismus quod sit dialecticus, vel demonstrativus. Vocantur autem analytici isti libri, quia docent resolutionem scientificam conclusionum in causas et principia. Non enim ille scire dicendus est conclusionem, qui eamdem nescit resolvere in prima principia, ut patebit. *Posteriores Analityci* libri duo sunt, in quorum primo agit Philosophus de demonstratione secundum se: in secundo, de causis seu principiis demonstrationis ipsius. Cum tota logica sit de modis sciendi per se, patet hanc esse potissimam logicae partem, in qua strictissime tractatur modus sciendi simpliciter. *Scire* enim simpliciter est de aliquo propriam demonstrationem habere. Erit ergo bipartita tractatio, nempe primo agemus de demonstratione, secundo de scientia. Circa primum videbimus: 1° De praecognoscendis in genere; 2° de principiis; 3° de inductione; 4° de demonstratione ipsa, de eiusque definitione, materia et divisione; 5° de medio. Circa secundum videbimus: de scientia ipsa et de eius divisione.

Tractatus I.us

De Demonstratione.

QUAESTIO PRIMA.

De praecognoscendis in genere.

THESIS I.a — Omnis doctrina et omnis disciplina intellectiva — nempe ratione percipienda — fit ex praeexistenti cognitione.

762. Praenotanda. — 1° " Omnis doctrina et omnis disciplina „ idem valet ac omnis acquisitio cuiusvis cognitionis per *disciplinam,* qua quis discit ; vel per doctrinam, qua quis docetur. — " Nomen doctrinae, ait S. Thomas, et disciplinae ad cognitionis acquisitionem pertinent. Nam doctrina est actio eius qui aliquid cognoscere facit ; disciplina autem est receptio cognitionis ab alio „.

2° In *Posterioribus* agit Aristoteles, ut dictum est, de demonstratione stricte dicta. Et haec pars logicae dicitur *iudicativa* " eo quod iudicium est cum certitudine scientiae. Et quia certum, quod simpliciter est iudicium, de effectibus haberi non potest nisi resolvendo in prima principia, ideo pars haec analytica vocatur seu resolutoria „.

Aliis igitur partibus logicae praetermissis, ad praesens attendendum est circa partem iudicativam prout traditur in 7° lib. *Posteriorum Analyticorum,* qui dividitur in duas partes : In prima ostendit *necessitatem demonstrationis syllogismi,* de qua est iste liber. In secunda parte de ipso syllogismo determinat. Ostendit necessitatem ex hoc, quod in nobis scientia non fit, ut Plato voluit, ex impressione formarum idealium in animas nostras — ex quibus etiam effluere dicebat formas naturales in rebus naturalibus existentes, agentibus naturalibus solum praeparantibus materiam —, sed per deductionem ex cognitione aliqua praeexistente, hoc est scientiam in nobis fieri argu-

mentando. Nam ex *uno* in aliud argumentando procedimus. Et sic ex aliquo praecognito fit *actu* in nobis scientia. Nec solum removentur impedimenta, aut reducit homo in memoriam, quae naturaliter scit ex impressione formarum separatarum, ut idem Plato dicebat.

763. Probatur *per inductionem:* nam

a) In mathematicis sic proceditur, item in omnibus aliis scientiis et artibus. Ex quibusdam principiis praesuppositis reliqua concluduntur.

b) Idem patet in orationibus disputativis sive dialecticis, quia utuntur syllogismo et inductione. — Syllogimus autem procedit ex praecognita propositione aliqua universali. Inductio ex particularibus manifestis, concludit universale.

c) Idem accidit in rhetoricis, in quibus persuasio fit per enthymema et exemplum. Iam vero tum enthymema, tum exemplum, non sunt nisi aut syllogismus detruncatus, aut inductio imperfecta. Unde si syllogismus et inductio sunt ex praecedenti cognitione, etiam enthymema et exemplum. Ergo patet quod omnis doctrina et omnis disciplina, sive agatur de scientia stricte dicta, sive de acquisitione cuiuscumque cognitionis, semper fit ex praeexistente cognitione. — Non omnis tamen cognitio est ex praecedenti, sed omnis acquisitio cognitionis seu omnis disciplinae acceptio, seu omnis cognitio acquirenda modo humano per discursum, est ex praecedenti cognitione.

Ratio autem, cur intellectus noster ex praecognitis quibusdam procedat ad alia modo explicato, est: 1° quia intellectus noster, utpote procedens de potentia in actum, non statim accipit perfectam rei notitiam, unde necesse habet componere et dividere, et ex una compositione et divisione procedere ad aliam per ratiocinium [1]).

2° Secus aut esset procedendum in infinitum in demonstrationibus, aut circulariter demonstrandum.

Hinc habes rationem cur ante compositionem aliquid debeat de necessitate praecognosci, saltem subiectum; et ante deduc-

---

[1]) Cf. S. Th. 1. p. q. 58. a. 4.

tionem unius compositionis vel divisionis ab alia, aliqua saltem compositio vel divisio. Ergo omnis etc.

THESIS II.ª — 1° **Tria sunt praecognoscenda — non quidem perfecte, sed aliquo modo — scilicet subiectum, passio, principium; 2° de subiecto, quia est et quid est; 3° de principio, quia est, scilicet quia verum est; 4° de passione, saltem quid nominis.**

764. Probatur 1ª pars. — Nam *a)* subiectum debet cognosci, ut modo diximus, saltem imperfecte. — *b)* Passio item, quia non quaererem de polypo an sit animal, nisi aliqualiter cognoscerem quid sit animal, vel saltem quid veniat nomine animalis. — *c)* Principium denique, quia si propositiones, ex quibus concludo, essent in se totaliter ignotae, nihil notificaretur per eas.[1]) — Audi S. Thomam 1° *Post. Anal.* l. 2.: " Circa primum sciendum est, quod id cuius scientia per demonstrationem quaeritur, est conclusio aliqua, in qua propria passio de aliquo subiecto praedicatur: quae quidem conclusio infertur ex aliquibus principiis. Et quia cognitio simplicium praecedit cognitionem compositorum, necesse est quod antequam habeatur cognitio conclusionis, cognoscatur aliquo modo subiectum et passio. Et similiter oportet quod cognoscatur principium, ex quo conclusio infertur, cum ex cognitione principii conclusio innotescat „.

765. Nota. — S. Thomas (1° *Post. Anal.* l. 2.) ait.: " Horum autem trium, scilicet principii, subiecti et passionis, est duplex modus cognitionis, scilicet quia est, et quid est: *quia est,* respondet ad quaestionem " an est „; *quid est,* respondet ad quaestionem " quid est „: scilicet ad quaestionem " an est „ respondetur quantum saltem ad possibilitatem rei; ad quaestionem vero " quid est „ respondetur quantum ad eius definitionem, quae est medium demonstrationis.

Probatur 2ª pars. — *De subiecto debet praecognosci quia est*

[1]) Ad inferendum ex praemissis seu principiis, oportet propositiones quasdam conclusioni praecognoscere (saltem prius natura), sed a fortiori terminos quibus constant. Hi autem tres sunt: a) *Subiectum,* b) *Passio,* c) *Medium:* sed medium idem est ac ipsa quidditas subiecti, unde eius praecognitio pertinet ad praecognitionem (quid est) subiecti.

et quid est. — Dico: *a) quid est,* scilicet eius definitionem; et ratio est quia 1° subiectum exhibet cognitionem primam imperfectam de re, quae praesupponitur omni ulteriori, ut dicebamus agentes de veritate; 2° quia definitio subiecti est medium demonstrationis.

b) quia est, (intellige saltem quantum ad possibilitatem): nam, si debet praecognosci *quid est*, a fortiori *quia est,* quod prius quaeritur et scitur. — Recordare quod subiectum in propositione se habet ad praedicatum sicut principium ad conclusionem [1]).

Dices: Et si de homine v. g. scio solum quod est vivens, sentiens?

Resp.: Quidquid ex hoc demonstras, non demonstrabis de homine (nisi per accidens), sed per se de animali, et eius erunt propriae passiones.

Probatur 3ª pars. — *De principio debet praecognosci quia est, scilicet quia verum est.*

Ratio est, quia principium est enunciatio, et complexa definitionem seu quidditatem non habent. Unde de principio non potest cognosci nisi *quia est;* et hoc praecognosci debet, quia debet se habere ut causa relate ad cognitionem conclusionis, nam ex eius cognitione dependet conclusionis scientia et cognitio, cum conclusio ab eo educatur.

Probatur 4ª pars. — *De passione debet praecognosci saltem quid nominis.* — Non debet praecognosci *an est:* hoc enim est demonstrandum, scilicet quid insit subiecto: esse autem passionis est inesse. — Non potest praecognosci proprie *quid est,* quia quidditas proprii accidentis involvit in definitione proprium subiectum, unde nisi cognoscatur an insit tali subiecto, neque cognosci potest proprie *quid sit;* neque potest praecognosci proprie in alio subiecto, quia si est propria passio subiecti huius, non invenitur nisi unice in subiecto hoc. Debet autem praecognosci *quid nominis*, secus non quaereretur *an sit.* Quaestio enim *quid nominis* praecedit quaestionem *an est,* et haec quaestionem *quid est.*

---

[1]) Cfr. S. Th. I. p. q. 58. a. 4.

766. Dices 1° — De subiecto logicae non praecognoscitur *quia est* (an est), cum sit ens rationis. Ergo non est verum etc.

Resp. Esse in ratione obiective est aliquo modo esse: non ergo de eo praecognosci oportet *esse simpliciter* (quod nullo modo ipsi competit), sed illud esse *secundum quid*, quod habet per comparationem ad ens reale.

Dices 2° — De subiecto quandoque demonstratur *an est*, ut, v. g. in theologia naturali. Ergo ante demonstrationem demonstratio instituitur etc.

Resp. *D.A.* Demonstratione a posteriori, et non stricta, de qua hic loquimur (loquimur enim de perfectissima demostratione) *C.A.*; demonstratione a priori et stricte dicta, de qua hic loquimur *N.A.* — Item potest demonstrari, sed non ex propriis illius scientiae, cuius est proprium adaequatum subiectum, et proinde non demonstratione pertinente ad illam, sed ad superiorem.

THESIS III.ª — Quantum ad ordinem praecognitionis: Maior propositio praecognoscitur conclusioni non solum natura, sed tempore; Minor, si non manifeste contineatur sub universali maiore (dictum de omni), praecognoscitur pariter tempore prius ipsa conclusione; si manifeste terminus, qui assumitur, continetur in universali maiore, statim cognita minore habetur conclusionis cognitio.

767. Probatur. - "Determinat (Philosophus) - ait S.Th.[1]) in com. — modum praecognitionis ex parte ipsius ordinis, quem quidem praecognitio importat. Est enim aliquid prius altero et secundum tempus et secundum naturam. Et hic duplex ordo in praecognitione considerandus est. Aliquid enim praecognoscitur prius, sicut prius notum tempore. Et de his dicit quod alia contingit cognoscere aliquem cognoscentem ea prius tempore, quam illa quibus praecognosci dicuntur. Quaedam vero cognoscuntur simul tempore, sed sunt prius natura. Et de his dicit quod quorundam praecognitorum simul tempore est accipere notitiam et illorum quibus praecognoscuntur. Quae autem sunt

---

[1]) Cfr. S. Th. I. *Post. Anal.* l. 2.

ista, manifestat subdens, quod huiusmodi sunt quaecumque continentur sub aliquibus universalibus, quorum habent cognitionem, idest de quibus notum est ea sub talibus universalibus contineri. Et hoc ulterius manifestat per exemplum. Cum enim ad conclusionem inferendam duae propositiones requirantur, scilicet maior et minor; dicta propositione maiori, nondum habetur conclusionis cognitio. Maior ergo propositio praecognoscitur conclusioni, non solum natura, sed tempore. Rursus autem, si in minori propositione inducatur sive assumatur aliquod contentum sub universali propositione, quae est maior, de quo manifestum non sit quod sub hoc universali contineatur, nondum habetur conclusionis cognitio, quia nondum erat certa veritas minoris propositionis. Si autem in minori propositione assumatur terminus, de quo manifestum sit quod continetur sub universali in maiori propositione, patet veritas minoris propositionis; quia id, quod accipitur sub universali, habet eius cognitionem, et sic statim habetur conclusionis cognitio.

" Ut si sic demonstraret aliquis: " Omnis triangulus habet tres angulos aequales duobus rectis „ ista cognita, nondum habetur conclusionis cognitio; sed cum postea accipitur " haec figura, in semicirculo descripta, est triangulus „ statim scit quod habet tres angulos aequales duobus rectis. Si autem non esset manifestum quod haec figura, in semicirculo descripta, esset triangulus, nondum statim inducta assumptione sciretur conclusio, sed oporteret ulterius aliquod medium quaerere, per quod demonstraretur hanc figuram esse triangulum. Exemplificans autem Philosophus de his, quae cognoscuntur ante conclusionem prius tempore, dicit quod aliquis per demonstrationem conclusionis cognitionem accipiens hanc propositionem praescivit etiam secundum tempus; scilicet quod omnis triangulus habet tres angulos duobus rectis aequales. Sed inducens hanc assumptionem, scilicet quod hoc, quod est in semicirculo, sit triangulus, simul cognovit (tempore) conclusionem, quia *hoc inductum habet notitiam universalis sub quo continetur,* ut non oporteat ulterius medium quaerere. Et ideo subdit quod quorumdam est hoc modo *disciplinari,* eorum accipitur cognitio per se, et non oportet ea cognoscere per aliquod aliud medium, quod sit ulti-

mum in resolutione, qua mediata, ad immediata reducuntur. Vel potest legi sic quod ultimum, idest extremum, quod accipitur sub universali medio, non cognoscitur esse sub illo universali per aliquod aliud medium. Et quae sunt ista, quae habent cognitionem sui universalis, manifestat subdens, quod huiusmodi sunt singularia, quae non dicuntur de aliquo subiecto, cum inter singularia et speciem nullum medium possit inveniri „. (S. Th. 1. *Post. Anal.* l. 2ª).

Sic si dico : *Homo est risibilis. Atqui Petrus est homo. Ergo Petrus est risibilis.* Non indigeo medio aliquo, sed statim cognita minori cognosco etiam quod continetur sub illa universali. Scilicet dicere : *Petrus est homo,* est idem ac si dicam : Petrus est ex habentibus talem passionem ; quia cognoscere quod hoc est sub illo universali, et quod est ex habentibus passionem propriam illius universalis, simul tempore est (non simul natura) ; et cur hoc ? quia (ut diximus supra) singulare habet cognitionem sui universalis, seu statim cognoscitur ut contentum sub universali sine ulteriori medio, quo demonstretur contineri.

THESIS IV.ª — Ipsa conclusio, ante demonstrationem praecognosci debet secundum quid, non vero simpliciter.

768. Praenotandum. — Plato introducit Menonem disputantem fieri non posse ut homo discat nova, quod probat celebri illo : " Quod quaeris, aut scis aut nescis : si scis, frustra quaeris : si nescis, etiam postquam repereris non agnosces „. Quam difficultatem solvit Plato ponendo animam secum ferre ab initio, dum infunditur in corpus, ideas omnium rerum, quae consopitae propter unionem cum corpore, revocantur in memoriam perceptis rebus sensibilibus. Aristoteles e contra docet quod " cognoscere aliquid indistincte, medium est inter puram potentiam et actum perfectum „ (I. *Anal. post.* c. 1).

Inter recentiores vero multi ad ideas innatas sunt regressi, ut Cartesiani et Leibnitziani, Kantiani, ut vidimus, posuerunt iudicia, quae ex sola mente formas omnes acciperent. Alii, inter quos Reid, Cousin, iudicia sponte in animis exsurgere dixerunt. Alii denique primitivum intuitum Absoluti, aut Dei posuerunt, in quo intuitu immediato mens omnia conspiceret.

Hi omnes, in eo conveniunt, ut negent ratiocinium esse fontem cognitionis novae, cum mens iam actu videret in praemissis, quae in conclusione exprimuntur : atque ita ratiociniis nostris ea tantum illustrari atque confirmari dixerunt, quae iam aliunde cognoscimus [1]). — Audiamus nunc quid dicat S. Thomas :

" Postquam ostendit Philosophus quomodo oportet praecognoscere quaedam alia, antequam de conclusione cognitio sumatur, nunc vult ostendere quomodo ipsam *conclusionem* contingit praecognoscere, antequam cognitio sumatur de ea *per syllogismum vel inductionem* „. Et circa hoc dicit : quod antequam inducatur inductio vel syllogismus ad faciendam cognitionem de aliqua conclusione, illa conclusio quodammodo scitur, et quodammodo non ; simpliciter enim nescitur, sed scit secundum quid. Sicut si debeat probari ista conclusio, " *triangulus habet tres angulos aequales duobus rectis,* antequam demonstraretur, ille qui per demonstrationem accipit scientiam eius, nescivit simpliciter, sed scit secundum quid. Unde quodammodo praescivit, simpliciter autem non „. (S. Th. I. *Post. anal.* l. 3.).

769. Probatur. — I. " Cuius ratio est, quia sicut iam ostensum est, oportet principia conclusionis praecognoscere. Principia autem se habent ad conclusiones in demonstrativis, sicut causae activae in naturalibus ad suos effectus : unde in 2° Physicorum propositiones syllogismi ponuntur in genere causae efficientis. Effectus autem antequam producatur in actu, praeexistit quidem in causis activis virtute, non autem actu, quod est simpliciter esse. Et similiter antequam ex principiis demonstrativis deducatur conclusio, in ipsis principiis quidem praecognitis, praecognoscitur conclusio virtute, non autem actu. Sic enim in eis praeexistit. Et sic patet quod non praecognoscitur simpliciter, sed secundum quid „ (S. Th. 1° *Post. Anal.* l. 3).

II. *Confirmatur* experientia. Patet quod in mathematicis per processus syllogisticos plurima nova acquiruntur. Nullus sanus putat eum qui prima mathesis principia cognoverit, nosse iam calculum differentialem etc. Item patet in reliquis disciplinis :

---

[1]) Cf. Pesch, *Inst. Log.* II. n. 1040.

qui scit *calore* omnia corpora extendi, nondum scit calore effici ut perpendiculum tardius oscilletur etc.

770. Corollarium. — Hinc facile solves celebres difficultates quas Stuart Mill, movit contra syllogismum et vim deductivam. Dicit enim :

1. Nihil novi per ratiocinium acquirimus, quia conclusio praecognoscitur in praemissis. Quod si respondetur quod praemissae non continent nisi *implicite* conclusionem, tunc sequitur quod ratiocinium possideat tantum vim quamdam *explicativam.*

R. Aliud omnino est continere *formaliter implicite,* aliud praecontinere virtute seu *virtualiter implicite :* Et sane *formaliter implicite* aliquid continetur in alio, quando in ipso est secundum suum actum seu secundum suam formam, quamvis non omnino distincte et explicite [1]). Porro patet quod si hoc modo conclusio praecontineretur in praemissis, nihil novi menti praeberet. Sic si dicas : *Omnes illi quatuor homines nunc actu rident. Atqui Paulus est unus ex illis quatuor : ergo Paulus nunc ridet,* profecto nihil novi scires ex tali syllogismo. Sed, ut dictum est in thesi, conclusio praecontineri debet in praemissis *virtualiter.* Unde sicut nemo dicit quod qui habet semen, habeat plantam, quia planta praecontinetur virtualiter in semine, ita nemo asserere debet quod nihil novi per ratiocinium acquiratur. — Quod iterum melius patebit ex solutione sequentis sophismatis eiusdem auctoris.

2. Syllogismus praesupponit ut probatum illud ipsum quod deberet probari, unde involvit *petitionem principii.* Sic. e. g. in syllogismo : " *Omnes homines sunt mortales. Atqui Socrates est homo. Ergo Socrates est mortalis* „ propositio " *Socrates est mortalis* „ praesupponitur ipsi assertioni universali " *Omnes homines sunt mortales* „ ; nos enim non possumus esse certi de mortalitate omnium hominum, nisi iam antecedenter simus certi de mortalitate uniuscuiusque individui, inter quae profecto est Socrates. (Stuart Mill *System. of Log.* B. II. ch. III.).

---

[1]) Cf. Billot *De Ecclesia* P. II[a]. Th. XVII ubi optime ostendit quomodo Potestas infallibilis Magisterii habeat pro obiecto primario veritates *formaliter* contentas in deposito, pro obiecto secundario alias quae *virtualiter* continentur in ipso, vel ad eius integritatem custodiendam requiruntur.

R. Fallacia haec puerilis tota nititur in confusione inter propositionem universalem et collectionem omnium particularium. Ut videbimus ubi de inductione, vis inductionis non consistit in colligendo sub una propositione omnia singularia quae considerata sunt, sed in colligendo aliquam veritatem universalem ex analysi ipsorum singularium. Unde illa propositio: " *Omnes homines sunt mortales* „ non aequivalet materialiter huic: " *Individuum A et B et C etc. sunt mortalia* „ sed huic: " *Homo est tale ens quod habet naturam quae dissolvi seu corrumpi potest* „. Patet autem quod hoc modo nulla habetur petitio principii [1]).

Aliis verbis: ut revera habeatur ratiocinium, adhibendus est terminus medius qui cum extremo maiore coniungatur aliqua necessaria habitudine (quamvis utique ex inductione talis propositio cognosci potuerit): unde dicit S. Thomas quod *propositio maior* in demonstratione *propter quid,* debet esse in quarto modo dicendi per se. (Cf. 1. *Post. Anal.* l. 19). Unde patet quod dum deinde cognosco aliquod individuum contineri in illo medio, et hoc ipso contineri in extremo maiore, non repetò illud quod iam erat praesuppositum ad veritatem *maioris,* sed *formaliter* cognosco id quod prius *virtualiter* tantum cognoscebam. Sic, ut dictum est, illa propositio " *Omnes homines sunt mortales* „ non significat mere quod de singulis hominibus dici debeat quod sint mortales; sic enim talis propositio comparanda esset praecedenti propositioni " *Omnes illi quatuor homines nunc rident* „ ex qua, ut dictum est, non per verum ratiocinium concluditur — *Paulus nunc ridet* — Sed significat quod praedicatum —

[1]) " Que des positivistes aient dénature le syllogisme on se l'explique: mais, n'est il pas étonnant qu' un mathématicien de la valeur du Duhamel ait confondu une " proposition générale „ avec " une réunion de toutes les propositions particulièrs? „ Tant il importe de déterminer avec rigueur les notions fondamentales d'abstraction et d'universalisation! „ Mercier, *Logique* n. 85 (nota). Nota tamen contra Mercier quod, proprie loquendo, propositio ista " *omnes homines sunt mortales* „ etiam intellecta hoc modo: " *omnes homines qui hucusque cogniti sunt, mortui sunt* „ (ut vellet Mill), non esset dicenda *propositio collectiva:* praedicatum enim convenit singulis contentis in collectione; quamvis verum sit quod propositio universalis, a Positivistis accipitur ut collectiva, quia ipse conceptus universalis, ab ipsis confunditur cum collectivo. Cf. [n. 477].

mortales — pertinet *per se* ad subiectum — *homines* — : quod quidem cognovi vel ex consideratione ipsius naturae humanae secundum se, vel etiam inductione ex singularibus. Patet autem quod si hoc modo accipiatur haec propositio " *Omnes homines sunt mortales* „ nullo modo potest dici quod in ipsa praecontineatur *formaliter implicite* conclusio.

770. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Videtur inconveniens quod unum et idem simul sciatur et non sciatur. Ergo dicendum est quod si cognoscitur ante demonstrationem, per demonstrationem nihil cognoscitur — si vero e contra per demonstrationem vere cognoscitur res, ante demonstrationem nihil sciebatur.

Resp. *D.A.* Repugnat quod unum et idem simul sciatur et non sciatur sub eodem respectu et eodem modo *C.A.;* sub diverso respectu etc. *N.A.* — *N.C.* — Nam " non est inconveniens, si aliquis quodammodo praesciat id quod addiscit; sed esset inconveniens si hoc modo praecognosceret, secundum quod addiscit. Addiscere enim proprie est scientiam in aliquo generari. Quod autem generatur, ante generationem non fuit omnino ens, sed quodammodo ens, et quodammodo non ens. Ens quidem in potentia, non ens vero in actu. Et hoc est generari, reduci de potentia in actum. Unde nec id quod quis addiscit, erat omnino prius notum, ut Plato posuit, nec omnino ignotum, ut secundum solutionem supra improbatam ponebatur. Sed erat notum potentia, sive virtute in principiis praecognitis universalibus, ignotum autem *actu* scilicet *propria cognitione.* Et hoc est addiscere, reduci de cognitione potentiali seu virtuali aut universali in cognitionem propriam et actualem „. (S. Th. 1. *Post. Anal.* l. 3).

Ob. 2ª. Effectus verius esse habet in causa quam in se. Sed veritas sequitur esse rei. Ergo effectus verius cognoscitur in sua causa, et ideo conclusio non addiscitur de novo per ratiocinium, cum perfectius antea sit praecognita.

Resp. *D.M.* Si ly *verius* designat veritatem rei *C.M.:* si designat veritatem praedicationis *N.M.* — *C.m. D.C.* ut in *M.* — Maior est veritas effectus in causa quam in se, si intelligatur de *veritate rei:* nam modus causarum est sublimior quam ea quae effectibus praedicantur, ut patet in omnibus causis aequivoce

agentibus, cuiusmodi sunt principia respectu conclusionis, et similiter maior est veritas rerum in Verbo quam in seipsis. Si autem designetur veritas *praedicationis,* sic est e converso ; verius enim est aliquid ubi est per essentiam quam ubi est per similitudinem ; et hoc non est propter defectum causae sed propter supereminentiam ipsius [1]).

Ob. 3ª. Cognoscere aliquid in universali est cognoscere perfectiori modo, quam cognoscere in particulari. Sed conclusio praecognita in praemissis, praecognoscitur in universali. Ergo perfectius cognoscitur quam per demonstrationem, atque ita non magis addiscitur de novo quam antea.

Resp. *D.M.* Cognitio per *medium* universale (dummodo sit efficax ad cognitionem omnium propriorum) est perfectior *C.M.;* cognitio in universali ex *parte cogniti N.M. — Cdm. — N.C.* — " Si per medium universale omnia propria efficaciter cognoscerentur, esset perfectissima cognitio : quia quanto aliquid est magis unum et simplex, tanto est virtuosius et nobilius „. (2. D. 3. q. 3. a. 2. ad 3). Sed cognoscere aliquid in universali ex parte cogniti, est vel cognoscere naturam universalem cogniti quin cognoscatur eius differentia ; vel cognoscere rem in virtute et in alio tanquam in causa, idest *tantum secundum illud esse* quod habet in causa (*sicut* est in cognoscente, ita ut adverbium *sicut* importet modum cognitionis ex parte *rei cognitae* [2]) atque ideo non cognitione *propria* et actuali, et sic cognoscere rem in universali est cognoscere imperfectiori modo quam si cognoscatur in singulari [3]).

THESIS V.ª — Quantum ad virtutem illativam, praemissae habent rationem causae efficientis. — (S. Th. 5. *Metaph.* l. 3. — Cf. etiam 1. *Post. Anal.* l. 3. 3 ; 2. *Physic.* l. 5. — 1. p. q. 14. a. 7.).

772. Probatur. — Ratio est quia praemissae influunt in assensum conclusionis illuminando obiectum, quod pertinet ad

---

[1]) Cf. *De Verit.* q. 4. a. 6. c. et 1 p. q. 18. a. 4. ubi dicit quod esse *simpliciter* verius habent res naturales in Verbo quam in seipsis : sed esse *hoc,* verius habent in seipsis.

[2]) S. Th. 1. p. q. 14 a. 11 ad 1.ᵐ

[3]) *De Verit.* q. 8 a. 10. ad 1.

causalitatem efficientem, sive respectu obiecti, sive etiam, magis proprie, quantum ad determinandam potentiam. — *Praemissas consideres ut* assensus quosdam intellectus; non obiective.

773. Nota 1ª. " Ex terminis propositionum constituitur conclusio: unde secundum hoc propositiones dicuntur *materia* conclusionis, in quantum termini qui sunt materia propositionum, sunt etiam materia conclusionis, licet non secundum quod stant sub ordine propositionum: sicut farina dicitur materia panis, licet non secundum quod stat sub forma farinae „ (2. *Phys.* l. 5.). Unde patet quod praemissae se habent ut causa efficiens relate ad conclusionem, in quantum tres termini considerantur sub forma et ordine propositionum, et secundum vim illativam earundem: secus maior et minor extremitas se habent ad modum causae materialis.

774. Nota 2ª. Si spectantur praemissae quatenus sunt ratio cognoscendi conclusionem, quatenus scl. intellectus inspiciendo qualiter conclusio ex praemissis sequatur, considerat eodem actu praemissas et conclusionem, reducuntur ad causam formalem. Causa autem formalis coincidere potest cum efficiente, ut dicitur 2. *Phys.* tex. 31. c. 3.

775. Nota 3ª. Principium et medium demonstrationis non sunt causa efficiens conclusionis per transmutationem et influxum, sed per vim illativam, quae dicitur causa inferendi et consequentiae, et etiam per vim reductivam alterius de potentia in actum: nam intellectus per notitiam principiorum se reducit de potentia in actum quantum ad notitiam conclusionum, et sic notitia antecedentis est causa efficiens notitiae consequentis [1]).

776. Nota 4ª. Cum scientia sit talis effectus qui partim ab interiori principio partim ab exteriori provenit, variae causae illius assignantur: nam *lumen intellectus* est causa principalis scientiae, *magister* vero docens est sicut coadiuvans principale agens, quod est principium interius, confortando ipsum, in quantum proponit discipulo ordinem propositionum ad conclusionem, et ministrando auxilia quibus utatur ad acquirendam scientiam; propositiones vero seu *praemissae* sunt huiusmodi auxilia: nam

[1]) S. Th. 2. *Phy.* l. 3.

ex his intellectus addiscentis manuducitur in cognitionem veritatis ignotae: *species* vero *intelligibilis* est principium quo formatur conceptio conclusionis, cuius signa sibi proponuntur exterius [1]).

777. Obiectiones. **Ob. 1ª.** Simul cognoscitur minor et conclusio. Ergo nequit minor se habere ut causa relate ad conclusionem.

Resp. *D.A.* tempore *C.A.* natura *N.A.* — *N.C.*

Ob. 2ª. Maior non poterit efficienter causare, quia non simul tempore exstat, et quod transiit causare non potest. — Ergo etc.

Resp. *D.A.* quod transit omnibus modis non potest causare *C.A.* quod secundum aliquid transit, et secundum aliquid manet *N.A.* — *N.C.* — Nam maior remanet virtute in minore, determinationem intellectus causando. Et praemissae ac conclusio coniunguntur in uno. Et si tempore simul exstarent, tamen causalitas haberi posset, cum ad hanc sufficiat prioritas naturae ut dictum est de minori. — Statim cognita minori, cognoscitur quidem conclusio, sed cognita *minori ut minori,* hoc est cognita minori formaliter ut est sic subordinata maiori.

THESIS VI.ª — Praemissae necessariae reduplicativae ut cognitae necessitant intellectum ad assensum tum quoad specificationem actus, tum quoad exercitium.

778. Probatur. — Nam minoris cognitio sub illa coordinatione, simul est cum cognitione consequentis, stante cognitione bonitatis consequentiae [2]). — Potest tamen voluntas avertere intellectum a consideratione praemissarum etiam necessariarum. Facere tamen non potest, quod apertis oculis, obiecto praesente, me vigilante, et lumine collustrante, ego non videam. Praemissae vero illuminant conclusionem ut lux colores; si vigilet ergo intellectus, seu attentionem eius voluntas non divertat ad alia, non potest non videre etiam quoad exercitium. Unde in eodem instanti quo minor cognoscitur ut minor, cognoscitur de necessitate conclusio ut ab ea illuminata, et quidem in seipsa cogno-

---

[1]) 1 *Post.* l. 41. 22; 2 *Phys.* 5. 11: 1.ª p. q. 117 a. 1 c.: *de Verit.* q. 11 a. 1. c.

[2]) Cfr. S. Th. 1. p. q. 82. a. 2.

scitur ; *virtualiter* enim iam praecognoscebatur in principio, hoc autem non erat cognoscere simpliciter.

779. Nota. Si autem praemissae non sint necessariae, etiam concessis praemissis et stante bonitate consequentiae, necessitatur assentiri *probabilitati* si sit evidens, non autem *veritati* consequentis.

QUAESTIO SECUNDA.

De principiis.

780. Introductio. — I° Principium est " *primum ex quo aliquid aut est, aut fit aut cognoscitur* „ (Phil.us V. *Met.* c. 1.) : nos autem hic agimus de principio cognitionis, quod a Phil.° dicitur " *demonstrationis propositio immediata: immediata vero, qua non est alia prior* „ I. *Post.* c. 2.

II° Principia immediata dividuntur in *positiones et dignitates. Positio* est " propositio immediata, quam non necesse est naturaliter praehabere, eum qui scientiam aliquam addiscit, sed sufficit ut eam accipiat a docente „. — ut e. g. " omnes anguli recti sunt aequales „. *Dignitas* est " propositio immediata quam necesse est naturaliter praehabere, eum qui scientiam aliquam addiscit „ *ibid.* ut e. g. " idem non potest simul esse et non esse „.

III° Positio dividitur in *postulatum* et *definitionem. Postulatum* est " positio affirmans aut negans aliquod praedicatum de subiecto : sunt nempe quaedam propositiones, quae non possunt probari nisi per principium alterius scientiae : et ideo oportet quod in illa scientia supponantur, licet probentur per principium alterius scientiae „ (S. Th. *ibid.*). *Definitio* est " positio non continens talem affirmationem aut negationem : licet autem definitio in se non sit propositio in actu, est tamen in virtute, quia cognita definitione, apparet definitionem de subiecto vere praedicari „. (S. Th. *ibid.*).

THESIS I.a — Admittenda sunt quaedam principia indemonstrabilia, hoc est per se nota.

781. Probatur. — Nam, ut diximus, in demonstrabilibus nequit dari processus in infinitum, neque circulus formalis admitti potest [1]). " Alias oporteret dicere quod inter duo extrema, sl. subiectum et praedicatum, essent infinita media in actu. Et plus, quod non esset aliqua duo accipere, inter quae non essent infinita media. Qualitercumque autem media assumantur, est accipere aliquid alteri immediatum. Immediata autem, cum sint priora, oportet esse indemonstrabilia. Et ita patet quod necesse est habere aliquorum scientiam (cognitionem) sine demonstratione „. (S. Th. I° *Post An.* lect. 7).

782. Corollarium. — " Si ergo quaeratur quomodo immediatorum scientia (cognitio) habeatur? respondendum, quod principia immediata non per aliquod medium extrinsecum cognoscuntur, sed per cognitionem propriorum terminorum. Scito enim quid totum et quid pars, cognoscitur quod omne totum est maius sua parte, quia in talibus propositionibus praedicatum est in ratione subiecti „ (S. Th. *ibid.*).

THESIS II.ª — 1° Principia non solum sunt priora, sed notiora conclusione; 2° primum vero et certissimum principium est: " Idem non potest simul esse et non esse „.

783. Probatur 1ª pars. — " Principia praecognoscuntur conclusione.... et sic quando principia cognoscuntur, nondum conclusio est cognita. Si igitur principia non essent magis nota quam conclusio, sequeretur quod homo vel plus vel aequaliter cognosceret ea, quae non novit, quam ea, quae novit. Hoc autem impossibile est: ergo impossibile est quod principia non sint magis nota conclusione „. (S. Th. *Post. An.* lect. 6ª).

784. Probatur 2ª pars. — Tres conditiones debent convenire principio omnium primo, nempe quod sit: *a)* firmissimum et notissimum, adeo ut circa illud non contingat decipi; *b)* quod nihil supponat; *c)* ut non acquiratur per demonstrationem, sed sit quasi a natura omnibus insitum acceptis terminis, qui accipiantur statim communiter ab omnibus. Atqui principium: " *Idem non potest simul esse et non esse* „ habet has conditiones. Ergo etc.

---

[1]) Cf. S. Th. I°. *Post. An.* l. 8ª.

Declaratur minor. — De *prima* iam diximus. — Habet *secundam* " in quantum in hoc reducunt demonstrantes omnia, sicut in ultimum resolvendo, patet quod non habetur ex suppositione „ (S. Th. 4. *Metaph.* l. 6ª). — Habet *tertiam* " quia cum duplex sit operatio intellectus : una qua cognoscit *quod quid est,* quae vocatur indivisibilium intelligentia, alia qua componit et dividit, in utraque est aliquid primum quod cadit in cognitionem intellectus, scilicet hoc quod dico *ens :* nec aliquid hac operatione potest mente concipi, nisi intelligatur *ens.* Et quia hoc principium " *impossibile est esse et non esse simul* „ dependet ex intellectu entis, ideo hoc etiam principium est *naturaliter* primum in secunda operatione intellectus, sl. componentis et dividentis. Nec aliquis potest secundum hanc operationem intellectus aliquid intelligere, nisi hoc principio intellecto „ — *ibid.* — Dicitur autem hoc principium " *contradictionis* „ quia exhibet oppositionem omnium primam et maximam [1]).

785. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Principium primum non potest negari. Atqui principium contradictionis negatum fuit tum apud veteres philosophos, tum apud recentes. Ergo non est primum.

Resp. *D.M.* Principium primum negari nequit interiori mente *C.M.;* voce *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* — " Semper adversus rationem externam licet instantiam inferre: at adversus rationem internam non semper „ (*Post. Anal.* l. 1. l. 1).

Ob. 2ª. Principium contradictionis est negativum. Atqui principium negativum non potest esse primum, cum negatio praesupponat affirmationem. Ergo principium contradictionis non est primum.

Resp. *D.M.* Est negativum quantum ad formam *C.M.:* quantum ad vim significationis *N.M.* — *Cdm.* Principium primum non potest esse mere negativum quantum ad vim significationis *C.m.:* quantum ad formam *N.m.* — *N.C.* — Negatio

---

[1]) Adverte quod oppositio contradictoria est *maxima oppositio* quia in ipsa " non importatur aliqua convenientia „ (Cf. I. D. 5. q. 1. a. 1. ad 1.). Oppositio vero contraria seu contrarietas est *maxima differentia* ut probatum est cum S. Th. [n. 587].

negationis, quantum ad vim significationis, non est quid negativum sed positivum: porro tale est principium contradictionis, quod est negativum in quantum *separat*, sed est positivum in quantum separat *non ens ab ente*. — Sed notandum quod forma debet esse negativa et non positiva. Nam in omni propositione affirmativa vera, oportet quod praedicatum et subiectum significent idem secundum rem, sed diversum secundum rationem: non enim propria datur compositio *eiusdem ad seipsum*. Unde in omnibus propositionibus sive de praedicato accidentali, sive de praedicato substantiali habetur identitas rei, sed diversitas secundum rationem [1]). Porro si principium contradictionis exponeretur sub forma affirmativa, deberet sic exponi: *ens est ens:* vel *quod est, est,* ubi, ut patet, habetur identitas non tantum secundum rem, sed etiam secundum rationem. Melius ergo exponitur sub forma negativa, per quam ab *ente* separatur *non ens*.

THESIS III.ª — 1° Omnia principia haberi debent inductione: sed 2° principia analytica habentur inductione late dicta: 3° principia vero synthetica, inductione stricte dicta.

786. Praenotiones. — I.° Distinguunt communiter recentiores principia analytica a syntheticis per hoc quod prima, intuitione pronunciantur, e. g. *totum est maius sua parte,* secunda vero ope experientiae: addunt autem quod prima ex se habent universalitatem et necessitatem, secunda vero ope cuiusdam principii analytici [2]): immo asserunt axiomata empirica, physicam certitudinem non excedere. — Sed quod principia synthetica

---

[1]) " Manifestum est quod homo et albus sunt idem subiecto, et differunt ratione: alia est enim ratio hominis et alia ratio albi: (nota quod albedo et homo differunt realiter tanquam accidens et subiectum: sed *homo* et *albus* sunt idem subiecto: nempe est idem habens humanitatem et habens albedinem: ratio tamen hominis et ratio albedinis sunt diversae): et similiter cum dico — *homo est animal* — illud enim ipsum quod est homo, vere est animal; in eodem enim supposito est et natura sensibilis, a qua dicitur animal, et natura rationalis, a qua dicitur homo: unde et hic etiam praedicatum et subiectum sunt idem supposito, sed diversa sunt ratione „ (1. p. q. XIII. a. XII).

[2]) Sic Remer, Log. c. III. n. 125: De Maria q. IV. a. 2. Liberatore vol. 1. *Logica pars altera* c. 5. a. 1.

non habeant ex se universalitatem et necessitatem, falsum esse videtur. Nam vel praedicatum illorum exprimit accidens praedicabile subiecti vel proprium: si *primum,* impossibile est principia illa etiam in virtute principii analytici induere posse universalitatem et necessitatem (nisi forte consequentem et hypotheticam), quia praedicatum accidentale contingenter convenit subiecto: si *secundum,* tunc principia illa ex se habent universalitatem et necessitatem, ut patet. Et propter hoc, alii auctores negant omnino dari iudicia synthetica quae sint principia scientiarum, sed dicunt omnia principia scientiarum debere esse analytica [1]). Et sane si principia analytica dicantur illa, quorum praedicatum pertinet ad essentiam subiecti vel est proprietas eius, omnia principia scientiarum debent esse analytica, cum praemissae demonstrationis, ut videbimus, debeant esse necessariae et de praedicato *per se.* Sed si principia analytica dicantur illa quorum praedicatum *apparet* secundum se, ex sola inspectione terminorum convenire subiecto, tunc optime principia synthetica vocari possunt ea, quorum licet praedicatum secundum se pertineat subiecto, tamen nobis non apparet convenire nisi media inductione. Porro, hoc sensu, quamvis nomen principii synthetici sit novum, tamen doctrina ista est Aristotelis et S. Thomae, ut patebit ex demonstratione thesis [2]).

---

[1]) Urràburu *Logic. Maior.* l. 2. disp. 2. c. 3.

[2]) Vide Arist. l. 1 *Post.* c. 14: *ibid.* S. Th. l. 30: Arist. l. 2 *Post.* c. 18 *ibid.* S. Th. l. 20: Arist. l. 1 *Met.* c. 1. S. Th. *ibid.* l. 1; Suarez d. *Met.* 1. sect, 6; Fonseca, Mauri, Tolet, Conimbric. in cit. loc. Aristotelis. Cf. etiam supra [n. 705] — Et adverte quod ut principium sit analyticum, non sufficit quod ex intuitione naturae subiecti possit *absolute* cognosci praedicatum (ut dicit P. Mattiussi — *Veleno Kanziano* p. 44), quia sic omnia principia essent analytica: in omnibus enim principiis, sive analyticis sive syntheticis, praedicatum est de ratione subiecti, vel saltem consequitur rationem subiecti, unde absolute posset erui ab ipso: sed requiritur, quod *de facto* praedicatum *nobis appareat* esse de ratione subiecti, vel consequens ipsum.

Hic autem semel pro semper nota, quod *principia analytica* non sunt confundenda cum *iudiciis analyticis:* nec *principia synthetica* cum *iudiciis syntheticis.* Iudicia enim analytica ea sunt in quibus praedicatum *quomodo-*

II.° Universaliter docet Aristoteles per inductionem comparari syllogismi principia. Sic e. g. *Anal. Post.* c. ult. " manifestum est, inquit, quod nobis prima (sive principia) per inductionem cognoscere necessarium sit: nam et sensus hoc modo universale conficit „. In quem locum observat S. Thomas: " Quia igitur universalium cognitionem accipimus ex singularibus, concludit (Phil.) manifestum esse, quod necesse est, prima universalia principia cognoscere per inductionem. Sic enim, sl. per viam inductionis, sensus facit universale intus in anima, in quantum considerantur omnia singularia „ *ib.* l. 20. Tamen alio et alio modo per inductionem habentur principia analytica et principia synthetica. Principia enim analytica habentur per inductionem late dictam quod est abstractio universalis a singularibus: contra, principia synthetica habentur per inductionem proprie dictam qua aliqua veritas universalis concluditur ex experientia facta circa plura singularia. Inductio late dicta vocatur quoque ab ipso Aristotele *abstractio* ἀφαίρεσις: alia vero vocatur proprie et simpliciter inductio [1]).

787. Probatur 1ª pars. — Cum omnis nostra cognitio

---

cumque eruitur a natura subiecti, *immediate* scilicet vel *mediate*: possunt ergo esse etiam *conclusiones*, quae deducuntur ex ipsis principiis, et ideo per se non sunt principia. Principia vero analytica ea sunt in quibus praedicatum eruitur *immediate* ex subiecto. – Iudicia synthetica ea sunt in quibus praedicatum quomodocumque apprehenditur convenire subiecto ex experientia, quamvis non sit necesse quod tale praedicatum nec pertineat nec consequatur rationem subiecti: unde possunt esse et particularia et contingentia, sicut e. g. *Petrus est stultus, haec rosa est alba.* Principia vero synthetica, debent esse universalia et aliquo modo necessaria: unde praedicatum est de ratione subiecti, vel potius consequitur rationem subiecti cum fere semper exprimat aliquam *proprietatem.* Unde inter iudicia analytica et iudicia synthetica particularia, considerari possunt tamquam media, iudicia synthetica universalia, quae a Kantio dicerentur iudicia *synthetica a priori.* Tamen ab ista locutione, etiamsi sensu Kantiano non adhibeatur, omnino abstinendum videtur, quia iudicia synthetica etiamsi sint universalia, nunquam sunt *a priori* sed semper *a posteriori.* (Cf. [n. 671] Alii vocant iudicia *synthetica a priori* illa iudicia quae constant ex analytico et synthetico (ita Willems p. 198); sed melius talia iudicia dicenda sunt *mixta.*

[1]) l. 4 *de part. anim.* c. 2.

oriatur a sensibus, etiam universalia non possumus cognoscere nisi ex singularibus ; et ideo patet quod necesse est cognoscere omnia universalia principia ex inductione. Atqui inductio non potest fieri nisi praeexistente experientia sensitiva. Ergo cognitio omnium principiorum habetur per experientiam. — Quod autem cognitio principiorum habeatur per inductionem, apparet etiam ex hoc, quod duplex tantum (ut docet Philos., I° *Post. An.* text. 33. c. 18) est modus addiscendi, nempe, aut per inductionem, aut per demonstrationem. Atqui principia universalia demonstrationis, utpote indemonstrabilia, non sciuntur per demonstrationem. Ergo sciuntur per inductionem [1]).

Probatur 2ª pars. — Prima principia, iuxta Philosophum, sunt duplicia : *quaedam* (et haec a recentioribus vocantur *analytica*) sunt non solum in se, sed etiam quoad nos per se nota, quibus necesse est quemlibet assentire, qui doceri debet ; quae sunt universalia principia omnium scientiarum, sicut " *Idem non potest simul esse et non esse* „. " *Totum est maius sua parte* „ etc. quae omnes scientiae accipiunt a Metaphysica, et dicuntur dignitates et maximae propositiones, propter eorum certitudinem ad manifestandum alia. Et horum cognitio principiorum *fit quidem ex praeexistenti cognitione experimentali, non tamen ratione complexionis terminorum, sed solum ratione cognitionis ipsorum terminorum :* ex ipso enim lumine naturali intellectus agentis, huiusmodi prima principia fiunt cognita, nec acquiruntur per ratiocinationes, sed solum per hoc, quod eorum termini innotescunt, ut dicit Philosophus (*Post. An.* text. 6. c. 3) ; scito enim quid totum, quid pars, cognoscitur quod omne totum est maius sua parte ; quod quidem fit per hoc, quod a sensibilibus accipitur memoria, et a memoria experimentum, et ab experimento, illorum terminorum cognitio, quibus cognitis cognoscuntur huiusmodi propositiones communes, quae sunt artium et scientiarum principia. Ita fere S. Th. (I° *Post. An.* l. 5). Patet ergo quod huiusmodi principia habentur per inductionem late dictam :

---

[1]) Cf. S. Th. I°. *Post. An.* lect. 7 et 30 : Cf. etiam I°. *Metaph.* lec. 1, ubi explicat dictum Aristotelis, quod nempe omnis scientia evenit hominibus per experientiam.

nam inductio late dicta nihil aliud est quam cognitio universalis ex praevia cognitione singularium, ut in praenot. dictum est.

Probatur 3ª pars. — *Quaedam* vero (principia) sunt, quorum termini non sunt apud omnes noti, et huiusmodi principiorum cognitio *ratione complexionis terminorum necessario debet fieri ex praeexistenti cognitione experimentali*, [1]) quae ad iudicium efformandum inserviat: nempe non sufficit quod intellectus per cognitionem experimentalem sensitivam cognoscat terminos, sed etiam debet habere experientiam complexionis ipsorum, scilicet debet experiri quod revera praedicatum convenit subiecto, ad hoc ut possit cognoscere et admittere illud principium. — Quod autem requiratur ista experientia, patet ex ipsa natura istorum principiorum, quae synthetica nuncupantur: sunt enim huiusmodi, ut non possint intelligi et cognosci per solam cognitionem terminorum, sed necesse est ad cognitionem ipsorum cognoscere etiam utrum termini revera conveniant inter se eo modo, quo exprimuntur in principiis istis; et ut hoc sciatur oportet videre et considerare utrum pluribus in casibus omnino diversis verificetur principium illud. " Quemadmodum enim non possum dicere absque praevia sensibili experientia: *hic ignis urit;* sic non possum dicere: *omnis ignis urit,* nisi sufficiens experimentalis cognitio singularium ignium praecesserit „ (P. Remer *Log. M.* c. IIIº a. 1º n. 127).

788. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Principia indemonstrabilia non cognoscuntur per medium extraneum, sed in quantum terminos cognoscimus [2]). Atqui termini cognoscuntur sine ulla experimentali cognitione. Ergo cognitio principiorum non fit ex praeexistenti cognitione experimentali.

Resp. *D.M.* Principia *analytica* cognoscuntur statim ac terminos cognoscimus *C.M.;* etiam *synthetica Sbd.:* ut cognoscantur, oportet ut innotescant termini *C.M.;* hoc sufficit *N.M.* — *D.m.* Termini cognoscuntur sine ulla experimentali cognitione complexionis terminorum, *C.m.;* sine ulla experimentali cognitione

---

[1]) Cf. S. Th. Iº. *Post. An.* lect. 5 et 30.

[2]) Cf. Arist. Iº. *Post. An.* lect 6. c. 3.

sensitiva, idest quin intellectus acceperit notionem terminorum a rebus per sensus *N.m.* et *N. supp.* — *D.C.* Cognitio principiorum syntheticorum *N.C.*: analyticorum *Sbd.* ratione complexionis terminorum *C.C.* ratione cognitionis ipsorum terminorum *N.C.*

Ob. 2ª. Praeexistens cognitio, cum sit causa eorum certitudinis, est certior his, quae per eam innotescunt. Atqui nulla cognitio est certior cognitione primorum principiorum. Ergo horum cognitio non fit ex praeexistenti cognitione experimentali [1]).

Resp. *D.M.* Praeexistens cognitio est certior his, quae per eam innotescunt, si est causa totalis et principalis certitudinis eorum *C.M.;* si est tantum causa secundaria, instrumentalis et materialis *N.M.* — *C.m.* — *D.C.* Non fieret ex praeexistenti cognitione experimentali, si hoc importaret quod ista cognitio esset certior cognitione principiorum, et esset causa totalis ipsorum certitudinis *C.C.;* secus *N.C.* — Licet principiorum cognitio fiat ex praeexistenti cognitione experimentali sensitiva, non tamen est dicendum quod haec praecognitio sit notior cognitione principiorum, sicut cognitio principiorum est notior cognitione conclusionis, quia cognitio principiorum est causa *totalis* cognitionis conclusionis ; principia enim se habent ad conclusiones in demonstrativis, sicut causae activae in naturalibus ad suos effectus : certitudo enim scientiae tota oritur ex certitudine principiorum; tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia. At vero cognitio experimentalis sensitiva non est causa totalis cognitionis primorum principiorum, sed instrumentalis et *secundaria,* vel certe materialis ; agens vero principale et primum est intellectus agens [2]).

Ob. 3ª. Effectus actionis relinquitur secundum virtutem suae causae. Atqui cognitio experimentalis est singularium. Ergo tantum potest efficere cognitionem singularium, non autem universalium, cuiusmodi sunt prima principia.

---

[1]) Cf. S. Th. 2º. *Post. An.* lect. 20.

[2]) Cf. S. Th. l. c., et *de Verit.* q. 11. a. 1. ad 13m. et 17m.; Iª. p. q. 84. a. 6. c. et ad 13m.

Resp. *D.M.* Effectus actionis relinquitur secundum virtutem suae causae totalis et principalis *C.M.;* etiam suae causae partialis et secundariae *Sbd.;* aliquando poterit accidere *Trans. M.;* semper et necessario *N.M.* — *C.m.* — *N.C.* — Nam, ut diximus, cognitio experimentalis non est causa principalis et totalis cognitionis principiorum, sed tantum instrumentalis et secundaria: propterea actionis effectus relinquitur secundum conditionem causae principalis, qui est intellectus agens.

Ob. 4ª. Si principia synthetica haberentur inductione proprie dicta, non essent amplius immediata. Atqui hoc est absurdum. Ergo principia synthetica non habentur inductione [1]).

Resp. *D.M.* Non essent immediata nempe non carerent medio improprie dicto quod pertinet ad inductionem *C.M.* non essent immediata quasi indigerent medio proprie dicto nempe syllogistico *N.M.* — *C.d.m.* — *N.C.* — In primis ergo est dicendum quod iudicia synthetica non sunt immediata, quasi statim cognitis terminis cognoscantur: talia enim non sunt synthetica sed analytica, ut dictum est. Deinde, advertimus quod non indigent medio syllogistico: de hoc enim loquuntur auctores quando dicunt talia principia esse immediata: non vero excluditur illud medium improprie dictum quod admittit Aristoteles in inductione: hoc ipso enim quod talia principia, habentur inductione proprie dicta, ut probatum est, non debent esse immediata ad exclusionem medii illius quod pertinet ad inductionem; quod melius apparebit in sequenti quaestione.

QUAESTIO TERTIA.

De Inductione.

789. Introductio. — I° Antequam de ipsa demonstratione secundum se agamus, utile erit ad complementum eorum quae in Log. min. [nn. 448-451] diximus, addere hic aliqua de inductione, praesertim quia scientiis et disciplinis experimenta-

[1]) Urràburu *Log.* n. 212.

libus maxime inservit, non quidem ita ut ex sola et pura inductione possit haberi scientia veri nominis, sed quia in rebus physicis non potest fieri ulla deductio, aut demonstratio nisi praecesserit inductio qua possint formari *iudicia synthetica:* et hac ratione, disciplinae et scientiae physicae, *inductivae* dicuntur.

Ad hoc autem intelligendum notandum est " quod, ut ait S. Thomas, vita animalium regitur imaginatione et memoria; imaginatione quidem quantum ad animalia imperfecta; memoria vero quantum ad animalia perfecta . . . . . Supra memoriam autem in hominibus, ut infra dicetur, proximum est experimentum quod quaedam animalia non participant nisi *parum.* Experimentum enim est ex collatione plurium singularium in memoria receptorum. Huiusmodi autem collatio est *homini propria,* et pertinet ad *vim cogitativam,* quae *ratio particularis* dicitur: quae est collativa intentionum individualium, sicut ratio universalis intentionum universalium. Et, quia ex multis sensibus et memoria, animalia ad aliquid consuescunt prosequendum vel vitandum, inde est quod aliquid experimenti, licet parum, participare videntur „.

Nam in brutis, quae quidem perfectiora sint, videtur inesse aliqualis participatio experientiae, in quantum scilicet ex eadem et frequenti repetitione aliquorum sensibilium, quae maximam in eorum sensus et imaginationem vim exerceant, retinent impressionem talium sensibilium etiam cum jam transacta sint. Ipsa tamen bruta nesciunt, uti homo, comparare cognitionem sensitivam praesentium cum cognitionibus praeteritis, ex qua comparatione assurgit proprie experimentum. Experimentum enim causatur ex pluribus memoriis unius rei, vel ex collatione et inductione plurium singularium similium, quae in memoria retinentur. Bruta ergo possunt quidem habere memoriam plurium singularium similium, sed non possunt *proprie* habere id, quod ex pluribus memoria retentis et simul comparatis resultat, nempe *vera experientia.* Unde patet etiam diversitas inter memoriam, ad quam sufficit unicus actus, cuius impressio sensibilis in imaginatione perduret, et ipsam experientiam vel experimentum; quod ultimum, quia indiget aliqua ratiocinatione

circa particularia per quam confert unum cum alio, non est *per se* nisi *proprium hominis,* et vocatur *vis cogitativa* vel *ratio particularis.* Animadvertendum autem est, quod, licet *latiori sensu* dicatur etiam *experimentum* perceptio unius singularis, uti si dicimus quod aliquis *expertus est* vinum inebriare, postquam semel se inebriasset, tamen si communem veterum loquendi modum et sententiam conservare volumus, non habetur *proprie* experientia vel experimentum nisi ex perceptione plurium singularium eo modo quo supra diximus cum S. Thoma. Puta cum talis recordatur quod talis herba sanavit multos a febri, dicitur esse experimentum quod talis sit sanativa febris. Ex multis experimentis autem fit universalis acceptio de omnibus similibus; et *illud unum commune* quod homo accipit ex multis particularibus ex quibus *expertus est,* habetur ut principium artis et scientiae. (Cf. [n. 474] *sub finem*).

II° Est autem inductionis ascendere ex effectibus ad causas, ex singulari ad universale, ex factis ad legem, ex actibus ad proprietates et naturam causarum, ut sic cognoscantur leges secundum quas sunt.

THESIS I.ª — 1° Inductio est vera argumentatio; 2° quae cum syllogismo convenit in genere; 3° sed differt specie.

790. Probatur 1ª pars. — *Est vera argumentatio* quia in ea, positis quibusdam, *aliud quid a positis* necesse est contingere eo quod haec sint. Nam, licet *de materiali* in inductione *completa* iam *implicite* et virtute in enumeratione singularium habeatur totum quod concluditur, tamen hoc non habetur *explicite* nisi per ipsam inductionem.

Probatur 2ª pars. — *Convenit in genere cum syllogismo,* quia uterque significat et importat discursum rationis humanae, procedit de noto ad ignotum, et constat tribus terminis ex quibus rite dispositis fiunt tres propositiones.

Probatur 3ª pars. — *Contradistinguitur a syllogismo stricte accepto ut species diversa.* Nam: 1° In *conclusione syllogismi* subiectum est singulare aut natura specifica, ita ut medius terminus se habeat vel tanquam species relate ad primum, vel ut genus relate ad secundam: contra, in *inductione* subiectum consequentis est universale relate ad medium terminum qui

continet inferiora ipsius. Sic exemplum inductionis est huiusmodi:

Plantae, bruta, homo *habent corpus organicum*
Sed **plantae, bruta, homo** *sunt omne vivens corporeum*
Ergo omne vivens corporeum est organicum.

Ut ad eandem conclusionem deveniamus per syllogismum, oportet inquirere medium terminum qui contineat tanquam inferius *omne vivens corporeum* et contineatur inter *organica* ut esset hoc quod est — *movere seipsum.* — Unde dicendum esset:

Omne movens seipsum *est organicum*
Atqui omne vivens corporeum est **movens seipsum**
Ergo omne vivens corporeum est organicum.

Ubi patet: 1° quod syllogismus quaerit medium terminum qui sit superior relate ad subiectum; contra inductio quaerit potius partes ipsius subiecti. 2° Patet iterum quod medius terminus syllogismi, est extremum minus consequentis in inductione. Si enim volumus efformare syllogismum cum iisdem terminis qui sunt in inductione supra dicta, oporteret sic disponere terminos:

Omne vivens corporeum *est organicum*
Atqui plantae, bruta, homo sunt **viventia corporea**
Ergo plantae, bruta, homo sunt organica

Quod hoc modo potest exprimi:

In Inductione	**In Syllogismo**
S ..... = P	M = P
S ..... = M	S = M
M = P	S = P

3° Iterum patet quod in inductione medius terminus non habet extensionem diversam ab extensione extremorum, sicuti in syllogismo: ex quo tamen non sequitur, sicut quidam volue-

runt, quod numquam veritas aliqua prius ignota concludatur per inductionem : nam aliqua veritas ignoratur ab eo qui cognosceret plantas, bruta, hominem, et nesciret haec esse *omnia* viventia corpora. Ceterum haec ipsa differentia excellentiam syllogismi ostendit.

4° Diversum est principium quod est respective fundamentum syllogismi et inductionis : dum enim principium syllogismi est " *dictum de omni, dictum de nullo* „ principium inductionis est " *dictum de uno quatenus tali* (nempe quatenus talis naturae) *dictum de omnibus* „ seu " quod convenit singulis, convenit etiam toti in quo singula conveniunt „. Cfr. *Log. min.* [n. 451]. Sic. e. g. quod affirmo de plantis, de brutis et de homine, non potest unicuique ex his naturis competere quatenus tali, sed competit ipsis in quantum conveniunt in nota generica *viventis corporei*. Sicut igitur syllogismus fundatur in principio quod praedicatum alicuius totius logici verificatur in singulis partibus, ita inductio habet pro fundamento hanc necessariam veritatem: tribui debere naturae communi id quod convenit partibus non secundum quod distinguuntur, sed secundum quod invicem conveniunt [1]).

791. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Inductio non videtur differre ab eo mentis processu quo a singularibus abstrahitur ratio communis et universalis. Ergo inductio non est argumentatio.

Resp. *D.A.* Alicubi Aristoteles nomine inductionis intelligit abstractionem qua a singulari per sensus cognito abstrahitur ratio universalis *C.A.* ; semper aut plerumque eo modo inductio-

---

[1]) " Et quodammodo opponitur inductio syllogismo, hic quidem per medium (terminum), extremum tertio inesse ostendit, illa vero per tertium (terminum) extremum medio inesse concludit. Natura ergo prior et notior syllogismus per medium (concludens); at manifestior *(is)* qui per inductionem colligit „. *Anal. prior.* l. 2, cap. 25. " Est vero inductio quidem *instrumentum* ad persuadendum aptius et apertius, et secundum sensum notius, et vulgo commune; syllogismus autem magis urget et adversus contradicentes est efficacior „. *Top.* l. 1, cap. 10; et hac ratione: " in disserendo autem syllogismo utendum erit apud dialecticos potius, quam apud multitudinem ; inductione contra apud multitudinem potius „. *Topic.* l. 8, cap. 2.

nem accipit *N.A.* — *D.C.* Inductio quae accipitur pro abstractione *C.C.;* inductio proprie dicta, de qua passim Philos. loquitur *N.C.* — De abstractione v. gr. loquitur cum dicit: " Impossibile vero est universalia contemplari, nisi per inductionem, nam illa quoque, quae ex abstractione percepta dicuntur, per inductionem nota erunt, si quis velit illa nota facere, quod illorum quaedam insint cuique subiecto, etiamsi non possint separari, quatenus unumquodque sit tale „. (*Post. Analyt.* libr. I°, cap. 18) — De inductione proprie dicta cum sic ait: " Inductio autem est progressio a singulis ad universale. Est vero inductio quidem *instrumentum* ad persuadendum aptius et apertius, et secundum sensum notius, et vulgo commune, syllogismus autem magis urget et adversus contradicentes efficacior „. (*Topic.* libr. I°, cap. 10).

Ob. 2ª. Ipse Arist. (*Prior. Analyt.* cap. 25 [23]) dicit: " Quorum . . . . . medium est, illorum per medium est syllogismus; quorum autem *non est,* illorum est syllogismus per inductionem „. Atqui de essentia argumentationis est quod habeat *medium.* Ergo inductio non est argumentatio.

Resp. *C. text. Philos.* et *dist. sensum:* Quorum medium non est *re diversum* a minori extremo, illorum est syllogismus per inductionem *C. sensum textus;* quorum non est medium neque re neque conceptu seu ratione diversum a minori extremo, illorum est syllogismus per inductionem *N. sensum textus.* — *Cdm.* De essentia argumentationis est quod habeat medium *aut re aut sola ratione* diversum a minori extremo *C.m.*; quod semper habeat medium realiter diversum a minori extremo *N.m.* — *N.C.* — Ceterum, si inductio, de qua loquitur, non esset argumentationis species, eam non vocaret *ibidem* syllogismum: neque adderet: " Et quodammodo opponitur inductio syllogismo; hic quidem per medium terminum, extremum tertio inesse ostendit: illa vero per *tertium* terminum, extremum medio inesse concludit. Natura ergo prior et notior syllogismus per medium concludens, at nobis manifestior is, qui per inductionem colligit „. Et sensu explicato omnino intelligendum est quod ibidem dicitur: " Est autem talis syllogismus primae et *immediatae* propositionis „, scil. medium non est secundum rem aliud ab

extremo, quia partes secundum rem non differunt a toto, quod ex ipsis habetur [1]).

THESIS II.ª — Tum inductio completa tum inductio incompleta perfecta veram causant certitudinem.

792. Praenotandum. I. Inductio dividitur in *completam* et *incompletam*. Prima habetur, cum de subiecto universali concludimus id, quod de *omnibus* eius inferioribus affirmandum vel negandum esse cognovimus. Secunda vero, cum de subiecto universali concludimus id, quod de *pluribus* inferioribus affirmandum vel negandum esse cognovimus.

II. Inductio incompleta dividitur in *perfectam* seu sufficientem et *imperfectam* seu insufficientem. Quae distinctio confundenda non est cum praecedente: ex huiusmodi confusione factum est ut Aristoteles et Scholastici incusati fuerint, quasi prorsus ignoraverint inductionem incompletam, quae unice in disciplinis experimentalibus possibilis est, dum e contra et Aristoteles inductione incompleta saepissime usus sit, et secundum ipsum, usus inductionis versetur circa singularia, quae innumerabilia sunt. Inductio ergo incompleta sed perfecta est ea, quae licet omnia singularia actu non accipiat, nihilominus, ne conclusio latius pateat quam praemissae, partes non numeratas in partibus numeratis virtute accipit, addendo enumerationi incompletae: " *et sic de ceteris* „. Quo iure autem hoc fiat, patebit ex probatione thesis.

793. Probatur 1ª pars. *Inductio completa veram causat certitudinem.* — De hoc nullum dubium esse potest. Manifestum est enim quod quidquid de singulis inferioribus complete enumeratis praedicatur, praedicandum est de universis distributive sumptis. Sic v. g. si experimento comperisti singulorum sensuum actibus percipi proprietates corporeas, iure concludes *omnibus* sensationibus cognosci corporeas proprietates. Tantum enim valet totum quantum omnes partes simul sumptae [2]).

---

[1]) Adverte tamen ad confusionem vitandam quod per inductionem ascendimus non ad totum *integrale,* sed ad totum *universale,* simul enim cum inductione habetur abstractio: quod non videtur advertisse Mercier l. c. n. 149.

[2]) Hinc manifeste fallitur Mercier dum scribit *(Logique* n. 149) quod inductio completa non habet nisi valorem relativum et problematicum

Probatur 2ª pars. *Inductio quoque incompleta veram causat certitudinem.* — Ut inductio incompleta vim habeat concludendi, prius constare debet quod etiam in his singularibus, quae experientiae subiecta non sunt, inveniatur id, quod inventum est in aliis experientiae subiectis. " Oportet enim supponere quod accepta sint omnia quae continentur sub aliquo communi ; alioquin nec inducens poterit ex singularibus acceptis concludere universale. Patet ergo quod inducens, facta inductione, quod Socrates currat, et Plato et Cicero, non potest ex necessitate concludere, quod omnis homo curret, nisi detur sibi a respondente, quod nihil aliud contineatur sub homine, quam ista quae inducta sunt „ (S. Th. 2. *Post.* l. 4). Ita, licet non potui experiri omnes ignes, ut viderem num comburant, nec omnia corpora, ut sciam utrum gravia sint necne, si ratio evidens doceat vim comburendi etiam ad omnes ignes extendendam esse, itemque gravitatem corporum, inductio, quamvis incompleta, erit perfecta et veram causare potest certitudinem.

Atqui constare omnino potest eamdem rationem vigere etiam pro singularibus nondum experientiae subiectis: possumus enim cognoscere quod aliquod praedicatum convenit istis singularibus, non quatenus distinguuntur ab aliis, sed quatenus habent talem naturam. Unde manifestissime quod dicitur de istis, dici poterit de reliquis, et sic iure addere possumus: " *et sic de ceteris* „. Ergo etiam in inductione incompleta acquiri potest vera certitudo. Diligentiae variae, quae adhiberi debebunt ut inductio sit perfecta, omnes debent huc convergere, ut deprehendere possimus tale praedicatum convenire singularibus, quae experientiae subiiciuntur, independenter a specialibus conditionibus, propter quas dictum praedicatum convenire posset *tantum* illis singularibus et non ceteris. Unde fit quod, *per se* loquendo, vel unum singulare sufficere potest ad inductionem perfectam : dummodo

---

quasi numquam nos possimus esse certi quod enumeratio fuerit completa ; et male applicat ad inductionem completam haec verba S. Thomae : " Oportet supponere quod accepta sint omnia, quae continentur sub aliquo communi etc. „ quae e contra pertinent ad inductionem incompletam. (Cf. De Maria *Log. Min.* Tr. III c. II a. II ; Urràburu *Log. Min.* D. 3. c. 4. a. 1. nota ; Pesch. I.º n. 368).

certi omnino esse possimus nullam occultam causam hic et nunc modificare seu abscondere posse proprietatem illius naturae, quae consideratur [1]).

794. Nota. Principium, quod praesupponitur inductioni incompletae, est principium illud, quod dicitur *analogiae,* a Scholasticis post Aristotelem iamdudum traditum, nimirum: *Natura est determinata ad unum, ideoque semper eodem modo operabitur, dummodo impedimentum non adsit.* Postquam enim experientia circa plura individua facta sit, ubi certo constiterit, quoddam phaenomenon constanter aliquam rem comitari, licet individua varientur etc., patet causam phaenomeni non esse peculiares illas determinationes, neque fortuitas circumstantias, cum effectus constans et uniformis causam constantem et uniformem postulet, illa vero adiuncta mutentur. Porro causa constans et uniformis alia esse nequit, quam ipsa natura individuorum; sed natura omnibus inest, et quidem etiam illis, de quibus nondum instituta est experientia. Ergo iure etiam illis idem phaenomenon tribuere possum, ideoque affirmare: " *et sic de ceteris* „ [2]).

795. Obiectiones. — Ob. 1ª. Certitudo, quae dicitur haberi per inductionem, aut fundatur in experientia aut in ratiocinio. Atqui non in experientia, quia haec, cum sit solum de praeteritis singularibus, non manifestat universale. Neque in ratiocinio, quia inductio debet ratiocinium praecedere. Ergo certitudo quae, dicitur haberi per inductionem non est vera certitudo.

---

[1]) " Se ho in mano purissimo rame e ben ne misuro la conduttività elettrica, questa notizia m'è assai per sapere come qualunque vero rame sia conduttore dell' elettricità: m'è assai un solo individuo di data specie animale, per assegnare la struttura anatomica di tale specie... In ciò si fondano tutte le conoscenze esperimentali dei fisici ecc. „ P. Mattiussi *Log.* n. 178.

[2]) Expresse docuit Aristoteles quod, ut inductio vim habeat ad gignendam certitudinem, debet recensere *omnia:* sed non ita, ut enumerentur actu et explicite, sed *virtute*, seu, ut loquitur, Averroës, " secundum opinionem „. — Et S. Thomas docet quidem: " Ille qui inducit per singularia ad universale, nec demonstrat, nec syllogizat ex necessitate „ (l. 2 *Post. An.* lect. 4.); sed etiam quod " *ex multis* experimentis universale colligimus, quod est principium artis et scientiae„ (2° *dist.* 25 q. 2, a. 2 ad 2).

Scotus etiam: " Multa principia naturalia, ut: *omnis ignis est calidus,*

Resp. *N. dis. M. et assig. memb.m :* aut in principio proprio ipsius inductionis. Nam, ut patebit ex sequentibus, ut propriam vim inductionis assequamur, non est necesse per se recurrere ad aliquod ratiocinium : sufficit recurrere ad ipsum principium inductionis, quod de se assumi debet tamquam evidens, quamvis pro eo, qui eius veritatem non assequitur, probari possit per syllogismum. Ita quoque principium syllogismi, pro eo qui eius veritatem non assequitur, probari potest per inductionem.

Ob. 2a. Quod est contingens et mutabile semper relinquit locum dubio prudenti. Sed essentiae rerum et leges naturae sunt contingentes et mutabiles. Ergo semper relinquunt locum dubio prudenti, ideoque non causant veram certitudinem.

Resp. *D.M.* Quod est undequaque mutabile *C.M.;* quod secundum aliquid est immutabile, secundum illud relinquit locum dubio prudenti *N.M.* — *Cdm.* Essentiae rerum sunt mutabiles, quatenus individuationes et accidentia variant ; itemque leges naturae possunt suspendi miraculose ab Auctore naturae, et subire accidentales modificationes *C.m.;* quasi sint ex arbitrio variabilia *N.m.* — *N.C.*

Ob. 3a. Si inductione posset haberi certitudo, deberet posse

---

facile esse evidentia per inductionem, et non in omnibus singularibus „ (In l. 2o *Prior. Anal.* q. 8 n. 5). Et Albertus M. : " Quamvis singularia sint infinitae multitudinis, ut dicit Plato, tamen ad inductionem *perfectam* oportet in summa inducere, non quod singillatim enumerentur, sed ut brevius collecta insinuentur dicendo : *et sic de singulis,* vel : *et sic de aliis* „ (l. 2o *Prior. Anal.* tract. 7 c. 4). Quod, qua ratione fieri possit, sic declarat Scotus : " De cognitis per experientiam dico, quod licet experientia non habeatur de omnibus singularibus, sed de pluribus, nec quod semper, sed quod pluries ; tamen expertus infallibiter novit, quod ita est, et quod semper, et in omnibus ; et hoc per istam propositionem quiescentem in anima : *Quidquid evenit ut in pluribus ab aliqua causa non libera, est effectus naturalis illius causae* „. (In l. 1o d. 3. q. 4 n. 9).

Quae omnia hic ponimus, ut videatur quam immerito accusentur Scholastici sive Scholae S. Thomae sive Scoticae, quasi ignoraverint vim inductionis incompletae. Certum erat eis quod " oportet ut, quae ad aliquam naturam pertinent, conveniant omnibus suppositis in natura illius „ (S. Th. *Quaes. disp.* q. 9 de pot. a. 9 ad 2), nec dubitabant quod si aliquid ex alio, mutatis simpliciter adiunctis, constanter prodiret, non casu, sed ex natura rei prodibat.

assignari numerus phaenomenorum, quae sufficiant ad illam causandam. Atqui hoc non est possibile. Ergo.

Resp. *D.M.* Deberet posse assignari numerus phaenomenorum intra quamdam latitudinem, quae variat etiam secundum diversa phaenomena et obiecta *C.M.*; deberet posse assignari numerus *mathematicus* phaenomenorum requisitorum *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.*

THESIS III.ª — Inductio materialiter accepta potest reduci ad syllogismum, sed inductio formaliter accepta, sive completa sive incompleta, nullo modo reducitur ad syllogismum.

796. Probatur 1ª pars. *Inductio materialiter accepta reduci potest ad syllogismum.* – Inductio materialiter reduci potest ad syllogismum, si materia, quae nunc existit sub forma inductionis, postea ponitur sub forma syllogismi. Atqui hoc potest fieri. Ergo.

Probatur 2ª pars. *Inductio completa formaliter accepta, nullo modo reducitur ad syllogismum.* — I° Ad hoc ut inductio formaliter accepta posset reduci ad syllogismum, ex hac reductione deberet resultare in utraque argumentatione eadem conclusio. Atqui hoc est impossibile, ut patet ex definitione utriusque, et etiam quia in reductione *conclusio* unius debet poni ut *maior* alterius. Ergo.

Unde Albertus M. (2° *Prior. Analyt.* tract. VII, cap. VI): " Inductio in syllogismum reducitur materialiter, et non formaliter, ita quod forma inductionis reducatur ad formam syllogismi; sed quia materia nunc existens sub forma inductionis reducitur ad acceptionem formae syllogisticae „ [1]).

II° Iterum in inductione conclusio est universalis, ex alia vero parte medium bis subiicitur, unde consideranda esset ut syllogismus tertiae figurae; sed in hoc, conclusio debet esse

---

[1]) Et haec est communis antiquiorum Scholasticorum sententia. Cfr. inter alios S. Thom. in l. 1 *Anal. Post.* lect. 3.: Albertum M. l. 1° *Topic.* tract. 3. c. 4; Complutenses tom. 1. l. 4 c. 1; Scotum in l. 2° *Anal. Prior.* q. 1. n. 8.

De mente Aristotelis non potest esse dubium, Cf. L. 1° *Anal. Post.* c. 18; L. 1° *Rhet.* c. 2: L. 2° *Anal. Prior.* c. 25.

particularis : unde inductio, si consideretur ut syllogismus, est omnino illegitima. Concludit ergo vi alterius principii a syllogistico, non a " *dictum de omni* „ sed a " *dictum de tali quatenus tali* „. Est ergo processus formaliter diversus.

III° Speciatim contra Wolfium dicimus, quod inductio non potest accipi ut enthymema, in quo subintelligatur ut maior propositio illa, quae exprimit ipsum principium universale, cui veritas inductionis innititur : hoc modo nempe :

Quidquid convenit singulis inferioribus, convenit et superiori.
Atqui inferioribus trianguli convenit habere tres angulos aequantes duos rectos.
Ergo omnis triangulus habet tres angulos pares duobus rectis.

Nam in inductione, non secus ac in syllogismo, propositio, quae exprimit fundamentum utriusque argumentationis, earumdem structuram ingredi non potest. Et patet, nam in utroque casu subiectum vel praedicatum conclusionis non compararetur cum medio in praemissis : unde conclusio non est legitima. Sic in istis argumentationibus :

Quidquid praedicatur de aliquo universaliter distributive, praedicatur de omnibus inferioribus.
Atqui homo est animal.
Ergo est sentiens.

Quidquid convenit singulis inferioribus convenit superiori.
Atqui singula inferiora trianguli aequant duos rectos.
E. omnis triangulus aequat duos rectos.

non habetur comparatio cum medio termino. Non sunt ergo syllogismi legitimi.

Probatur 3ª pars. — *Neque inductio incompleta (formaliter accepta) reduci potest ad syllogismum.*

Nam quamvis verum sit, quod in inductione incompleta suppleri non possunt illa singularia, de quibus non potest fieri experientia, nisi per aliquod principium syllogisticum (e. g. " *Quod pluribus individuis eiusdem speciei, variatis multipliciter adiunctis, constanter convenit, non convenit casu sed ex natura rei. Atqui quod convenit ex natura rei, convenit omnibus eiusdem speciei. E.),* tamen ratio inductionis semper manet formaliter distincta a ratione syllogismi. Nam syllogismus praedictus non est nisi probativus ipsius principii inductivi. Principium enim inductionis, ut vidimus, est : - *Dictum de uno quatenus tali, dictum de omni* - quod expli-

cari seu probari potest per illum vel similes syllogismos. Sed ex hoc nullo modo sequitur, quod inductio *innitatur* in syllogismo, et adhuc peius quis inferret quod inductio *reducatur* in syllogismum. Nam 1° principium ipsum inductionis debet per se assumi tamquam evidens, independenter a syllogismo, unde non potest dici quod inductio innitatur in syllogismo. Sed 2° praeterea, si dicendum est quod inductio reducitur in syllogismum, quia principium ipsius probari potest per syllogismum, tunc pari iure dici posset quod syllogismus reducitur ad inductionem, cum principium ipsius syllogismi probari possit per inductionem, imo, ut saepe dicit S. Thomas, principia universalia habeantur per inductionem [1]).

Stat ergo quod *nullo modo* inductio formaliter accepta reducenda est in syllogismum.

THESIS IV.ª — **Etsi recentiores emineant supra antiquos quantum ad hoc, quod est materiam praeparare ad inductionem ; falso tamen de inductione formaliter accepta ut de sua inventione gloriantur et falso affirmant Aristotelem et alios logicos ante Baconem solo syllogismo usos esse.**

797. Probatur 1ª pars. In materia praeparanda ad inductionem eminent ii qui exactius, minutius, felicius investigant facta singularia. Atqui sine dubio hoc faciunt recentiores, qui ad hoc habent instrumenta longe meliora quam antiqui, et ea utiliter adhibent variis methodis. E.

Inter alias, dignae quae recenseantur sunt methodi *concordantiae*, *differentiae, variationum concomitantium, residui,* et methodum *compositam,* quas I. Stuart Mill invexit.

a) Methodo concordantiae plura facta explorantur hoc modo, ut variae circumstantiae mutentur in singulis et *una* sit communis omnibus : concluditur quod haec circumstantia communis omnibus est omnium causa. Sic v. gr. eo quod, solo calore manente, et mutatis aliis adiunctis, corpora *statum* mutant (ex solidis fiunt liquida, ex liquidis aëriformia), concluditur quod ca-

---

[1]) Cf. *Arist.* l. 2 *Post.* c. 18; *ibid.* S. Th. l. 20: I *Met.* l. 1 etc. Patet ergo quomodo in hoc quoque manifeste decipitur Mercier (*Logique* n. 151) qui reducit inductionem ad seriem syllogismorum.

lor est causa mutationis status. *Tabula praesentiae* vocata fuit a Bacone. — Posita causa, sequitur effectus.

b) Methodo differentiae investigatur factum quoddam cum pluribus adiunctis: postea mutatur *unum* adiunctum, et factum non habetur: arguitur quod illud adiunctum sit causa facti praecedentis: sic solo aëre sublato, moritur animal: aer est aliquid necessarium ad vitam. — Est *tabula absentiae* Baconis.

c) Methodo residui utitur ille, qui in phaenomeno subtrahit partem, quae cognoscitur provenire ex causis praecognitis: pars reliqua, concluditur, habet suam causam in aliis adiunctis quae restant. Hac methodo Le Verrier Neptuni existentiam divinatus est ex perturbationibus Urani, quae non sufficienter explicabantur per causas quae assignabantur.

d) Methodus variationum concomitantium adhibetur quando non potest subtrahi influxus illius rei, quae supponitur esse causa effectus alicuius. Sic v. gr. non potest subtrahi attractio terrestris, tamen potest variari: suppositio quod motus penduli, ascensio lineae barometricae, pondus corporum pendent ab attractione terrestri verificabitur, si haec phaenomena variant gradu proportionali cum attractione terrestri. Est *tabula comparationis* secundum Baconem [2]).

e) Methodus composita consistit in complexu methodorum simplicium (concomitantiae, differentiae, variationum concomitantium et residui). Hac methodo composita Pasteur verificavit hypothesim quod *" vivens nonnisi ex vivente „*.

Probatur 2ª pars. I.° Tunc *ad summum* neoterici de inductione ut de suo invento gloriari possent, si haec argumentationis species confunditur cum experimentis et investigationibus habitis circa corpora, et cum regulis, quibus investigator dirigitur ut rite faciat experimenta et secernat phaenomenon verum a falso. Atqui inductio, quae est argumentatio, cum his non est

---

[2]) Hic Baco De Verulamio (1561-1626) ad astra tollitur ut inductionis inventor. Sed quam immerito vel ex dictis patet. Quid igitur invenit ipse? Collegit et exposuit quae iam ante ipsum tradita fuerant, iuvit ad rectum usum, iuvit ad materiam comparandam; minime docuit neque enucleavit vim et formam logicam inductionis. Cfr. praeter alios, Pesch. l. c. I n. 372 et praesertim III nn. 1616, 1617.

confundenda ; imo non raro accidit ut, qui diligens et acutus est in naturae factis explorandis et experimentis multiplicandis, imprudens sit et non rectus, quando ex multis phaenomenis cognitis infert generalem propositionem aut legem. E.

II.° Formale inductionis est in hoc, quod ex consideratione et investigatione singularium legitime ascendatur ad universale. Atqui hoc et docetur et adhibetur passim ab Aristotele. E. — Docetur, inquam, ut videre est locis iam adductis, in *Prior. Analyt.*, in *Poster. Analyt.*, in *Topicis* et alibi passim : adhibetur etiam frequenter in *Physicis*, in *Rhetor.*, in *Polit.* etc. [1]).

THESIS V.ª — Ad incrementum scientiae physicae plurimum inservit hypothesis, dummodo debitis conditionibus sit instructa.

798. Praenotandum. — 1° Hypothesis (*ὑπόθεσις*) graece, latine suppositio, usu communi usurpatur ad denotandam quandam conditionem, quae non asseritur vera, sed qua tamen posita, sequitur aliud, vel necessarium, ut cum dicitur : *" si homo est, animal est „;* vel contingens et probabile tantum, ut cum asseritur : *si studiis diligenter operam navaveris, doctus evades „* [2]). Unde hypothesis definiri potest : *" propositio, cuius veritas nondum est demonstrata, quae tamen interim cognoscitur tanquam vera, quia aliqua facta commode explicat „* (Tongiorgi *Inst. dial.* n. 327).

---

[1]) Infinitus esset qui vellet enumerare loca ubi Arist. de inductione loquitur ; his contenti erimus.

[2]) Adverte quod, licet causa contingens contingenter connectatur cum effectu, tamen propositio hypothetica enuntiat praecise illationem effectus seu consequentis a causa seu antecedente : aut ergo consequens sequitur, et tunc consequentia est bona et necessaria, aut non sequitur seu potest non sequi, et tunc consequentia nulla est. Nec dices : — consequens sequitur probabiliter, ergo tunc consequentia est probabilis : — nam si consequens sequitur probabiliter, hoc ipsum est quod necessario infertur a causa contingenti ; consequentia ergo est necessaria : nempe ly *probabiliter* non efficit ipsam consequentiam, sed consequens materialiter inspectum : sic facta hac positione " *si studio operam dabis* „ necessario sequitur hoc probabile seu contingens : " *doctus evades* „ propositio ergo ut sit vera, debet exprimere hoc determinatum verum " *doctus evades* „ non absolute sed cum probabilitate : " *probabiliter doctus evades* „ : quod si conditionatum exprimatur absolute, propositio erit falsa. [n. 298].

2° Hypothesis sic explicata est maximo usui cultoribus positivarum scientiarum. Nam cum huiusmodi cultores scientiarum physicarum *passim* in studio phaenomenorum [1]), de quibus diligentissimam analysim instituunt, in tenebris densissimis versentur circa veram eorum causam, ut satisfaciant aliquo modo intellectui instanter petenti : cur hoc? cur illud?, invexerunt quam plurimas hypotheses, quae si habeant conditiones seu qualitates bonae hypothesis, haud spernendae sunt : imo ut hypotheses, quae facta ordinant, et excitant et compellunt mentes ad investigandam veram causam phaenomenorum, promovendae ac fovendae sunt.

799. Probatur 1ª pars. — *Ad incrementum scientiae physicae plurimum inservit hypothesis.* — Patet ex ipsa definitione hypothesis ; est enim ordo artificialis a nobis excogitatus ad supplendam ignorantiam nexus realis inter causas et effectus in mundo materiali : manifestum est autem, quod talis ordo artificialis assumi quoque potest tanquam norma ad novas investigationes faciendas, quibus in cognitionem verae causae devenire possimus, imo aliquando sub analogatione (praescindendo nempe a determinationibus, quae propriae sunt ipsius hypothesis) iam hypothesis ipsa ad ordinem scientificum pertinere dici potest [2]).

---

[1]) Quaecumque mutatio in proprietatibus aut in mutuis relationibus corporum, *hic* phaenomenon dicitur. — Cf. Roiti, *Elem. di Fis.*, n. 14. Nota autem quod hic loquimur de vera hypothesi, non vero de ea quae per abusum verborum a quibusdam physicis dicitur hypothesis, et non est nisi collectio quaedam mere arbitraria factorum, quae collectio processum empiricum faciliorem reddere potest : haec ad nos non pertinet.

[2]) " Oltrechè come principio di spiegazione di un dato ordine di fatti, l' ipotesi vale anche come mezzo alla ricerca. Essa funge, così considerata, da *idea direttrice,* e può essere suggerita direttamente dall'osservazione o anche, se così possiamo dire, da quell' istinto della verità, che Bacone chiamava brillantemente " *subodoratio quaedam venatica* „. L' ipotesi, come mezzo di ricerca, è un' anticipazione della ragione sull' esperienza, un elemento *a priori,* ma che si assume provvisoriamente, e il cui valore si subordina alla prova esperimentale. Dalla causa ipotetica si vuol passare possibilmente alla *causa vera,* che è (come ammoniva il Newton col celebre motto " *hypotheses non fingo* „) il fine supremo d' ogni ricerca scientifica. Se non fosse possibile superare alla fine il limite del verosimile, si dovrà tuttavia cercare che il verosimile abbia il più persuasivo fondamento.

Probatur 2ª pars. — *Dummodo debitis conditionibus sit instructa.* — Conditiones seu proprietates bonae hypothesis sunt sequentes :

1ª Ut hypothesis in primis non includat ullam absurditatem seu contradictionem ; quod si includit hoc ipso quantumvis optimae evaderent explicationes phaenomenorum, est reiicienda, et cum ipsa omnes explicationes phaenomenorum ex hac hypothesi deductae, ut radicitus vitio infectae.

2ª Nullam oppositionem habere debet cum ullo ex indubiis factis, aut cum veritate ulla iam certitudinaliter cognita, quia cum veritas non contrarietur veritati, hoc ipso quodlibet absolutum verum destruit quamlibet hypothesim, quae ipsi opponatur. Imo non solum hypothesis opponi non debet ulli veritati, sed insuper non debet improbabilitatem aut nimiam implicationem et difficultatem praeferre, ita ut ad phaenomena illustranda non lucem sed tenebras tenebris obducat [1]).

3ª Praeferre debet aptitudinem relate ad explicationem maioris partis phaenomenorum, pro quibus declarandis posita fuit, quia secus esset inutilis.

4ª Demum, posito quod hypothesis non contineat ullam absurditatem, nec contrarietur alicui veritati, et apta sit ad explicanda phaenomena, pro quibus explicandis instituitur, sic ulterius tentanda est eius bonitas : ex hac hypothesi ratiocinio deduci debent aliae veritates *necessario connexae*, vel saltem non

---

L' importanza dell' ipotesi risulta adunque dal duplice valore, che assume in quanto o è l' epilogo della ricerca, o ne è, a così dire, il preambolo „ (Marchesini, *Elem. di Log.* cap. XIII, § 4). — " Così la cognizione fisica prende almeno aspetto di scienza, se non ne ha la real perfezione ; ma qualche parte di vera scienza vi si può riconoscere, per chi sappia distinguere la forma determinata dell' ipotesi, poniamo d'atomi costruiti in una molecola come i pianeti nel sistema solare, con quel concetto più astratto e meno materialmente determinato, che vi è contenuto, e che è ragione dell' adattarsi ai fatti e del condurci a scoprirne altri. Non s' hanno dunque da disprezzare (le ipotesi) ma sono fonti di illusioni a' meno savi „ (P. Mattiussi, *Fisic. Razion.*, p. Iª. n. 205).

[1]) " Un solo fatto che contradicesse all' ipotesi, basterebbe ad eliminarla : sarebbe contro di essa (useremo la frase di Bacone) un vero *experimentum crucis.*

contrariae phaenomenis explicandis, et nondum observatae; et per experientiam investigandum est, utrum hae veritates ratiocinio deductae ex hypothesi, sint conformes realitati, necne; si inveniantur realitati conformes, hypothesis est undequaque bona, et acquirit maiorem probabilitatem; si vero realitati non sint conformes, hypothesis, ut non bona, reiicienda est, vel mutanda [1]).

800. Scholion. — Dupliciter aliqua hypothesis, ad aliquod phaenomenon explicandum assumpta, falsa esse potest: *Uno modo* quatenus *in se considerata materialiter* includit aliquod absurdum, quocumque tandem modo hoc appareat sive quia involvat contradictionem in terminis, sive quia falsitas ipsius appareat ex comparatione cum aliqua veritate certo demonstrata aut cum facto indubio. Hoc modo talis hypothesis reiicienda est *absolute,* idest numquam et in nullo casu adhiberi potest ad aliquid quocumque modo explicandum.

Alio modo: quia falsa apparet non in se materialiter spectata, sed *formaliter ut hypothesis,* nempe quatenus accipiatur ut causa vel ut aliquid ex quo quocumque modo inferatur aliud: sicut si dicerem: "*si homo est animal, intelligit*„. In hoc secundo casu hypothesis est reiicienda *formaliter ut hypothesis huius conditionati* seu formaliter ut illativa huius rei, vel explicativa huius phaenomeni, non absolute: sic enim falsa non apparet et

---

[1]) Cf. Roiti *Elem. di Fis.* v. 1 p. 9. n. 14.

Qui volunt omnia declarare per mathesim, explicant gradum probabilitatis per formulam $\frac{m}{m+n}$ ubi *m* designat circumstantias *pro*; *n* circumstantias *contra*; *d denominatorem*

Tunc si: $\frac{m = o}{\frac{m}{m+n} = 0}$ = *impossibilitas*

si: $\frac{n = o}{\frac{m}{m+n} = 1}$ = *certitudo*

si: $\frac{m = n}{\frac{m}{m+n} = \frac{1}{2}}$ = *aequiprobabilitas*

si: $\frac{m > n}{\frac{m}{m+n} = \frac{1}{d<2}}$ = *verosimilitudo*

si: $\frac{m < n}{\frac{m}{m+n} = \frac{1}{d>2}}$ = *inverosimilitudo*

Cf. Marchesini, *Log.* c. XIII. pf. 8.

ne quidem relative ad aliquam aliam rem, vel ad aliquod aliud factum, pro quo potest assumi ut bona hypothesis. Exemplum primi potest haberi in *theoria Dynamismi,* quae intrinsece apparet falsa et absurda: exemplum secundi habetur in *theoria Athomica* quae potest reiici formaliter inquantum assumatur ut hypothesis ad explicandam intrinsecam corporum compositionem (sic enim est manifeste falsa) quin tamen iudicium de ipsa *absolute* proferatur, quatenus possit insumi ut hypothesis ad plura alia phaenomena seu facta explicanda [1]).

THESIS VI.ª — 1. Quamvis numquam veritas hypothesis probari certe possit per verificationem conditionati, qua talis; 2º tamen certissime veritas ipsius hypothesis probari potest per conditionatum quod appareat connexum cum conditione tamquam proprium cum essentia; 3º errant ideo Naturales qui antequam conditionatum esse proprium demonstraverint, hypothesim ut certo veram statuunt.

801. Praenotandum. — Ex hoc quod multae hypotheses quae a physicis in dies factae sunt, ad incrementum scientiarum physicarum mirabiliter inservierunt, aliqui moti sunt ad putandum quod, quamvis in se ratiocinium a positione consequentis ad positionem antecedentis falsum sit, tamen in aliquibus adiunctis, saltem in re physica, simili ratiocinio rerum physicarum cultores, utpote qui tactu speciali physico gaudeant ad recte existimationem efformandam circa valorem argumentorum physicorum, uti possint. Sed hoc nihil est. Nam in tantum physica est scientia, in quantum est pars philosophiae (ut probabitur): si ergo, per absurdum, physicus contradiceret philosopho

---

[1]) Nota quod quamvis ex falso sequatur verum et falsum, absurdum est assumere, aliquid *manifeste* falsum ex quo sequantur aliqua vera tanquam explicativa horum. Nam ex falso sequitur verum non ratione falsi ex quo sequitur per bonam consequentiam, sed aliunde nempe ratione veri a quo tale consequens necessario pendet. Sic ex hoc quod dico — *homo est asinus* — sequitur — *homo est sentiens* — sed non ratione *falsi* antecedentis, sed ratione alterius *veri* a quo consequens necessario pendet, quod est — *homo est animal.* — Sic ergo patet quod hypothesis intrinsece falsa ad nihil prorsus inservit. Patet autem quod ad arguendum contra ipsam hypothesim, potest adhiberi: *ex vero enim, nonnisi verum.*

in aliquo ratiocinio, iam hoc ipso deficeret a processu scientifico ; quod est inconveniens. Statuendum ergo est in primis quod numquam argumentum a verificatione conditionati ad positionem certam conditionis, quocumque modo proponatur, valere potest : deinde ostendendum quomodo processus rationis legitimus salvetur quando per ipsum conditionatum veritas hypothesis certo probatur.

802. Probatur 1ª pars. — Ut vidimus in *Log. Minor.* [n. 418-419] numquam valet argumentum a positione consequentis ad positionem antecedentis : ex. g.

Si est homo, est animal. *A. est animal.* *E. est homo.*	**vel**	*Si est* **A** *est* **B.** *Atqui est* **B.** *Ergo est* **A.**

Atqui tale est ratiocinium illius, qui a verificatione conditionati probare contendit veritatem hypothesis. Ergo numquam talis ratiocinatio ut valida habenda est.

Falsitas talis ratiocinationis iterum patet si hypotheticum reducatur in categoricum, hoc modo :

Omnis homo est animal. *A. asinus est animal.* *E. asinus est homo.*	**vel**	*Omne* **A** *est* **B.** *Atqui* **C** *est* **B.** *Ergo* **C** *est* **A.**

Quod manifeste peccat contra regulas syllogismi secundae figurae. Cf. [n. 417 *notam* et n. 384].

Probatur 2ª pars. — Ratio, propter quam ex conditionato non licet arguere ad hypothesim, est quia, licet conditionatum sequatur necessario ab hypothesi, non tamen viceversa hypothesis sequitur necessario ex conditionato. Atqui conditionatum potest apparere talis naturae, ut necessario inferat ipsam hypothesim : hoc autem evenit quando vel pertinet, vel necessario sequitur ad essentiam ipsius seu est proprium eius [1]). Ergo in hoc casu ex *tali* conditionato, arguere possumus *certissime* veritatem ipsius hypothesis. Sic ex. gr. si dico :

---

[1]) Nota quod *proprium* hic potest sumi etiam latiori sensu, quatenus significat id quod convenit exclusive non tantum alicui naturae specificae sed etiam genericae. Cf. [539].

Si est homo est risibilis. *Atqui hoc est risibile.* *Ergo est homo.*	**vel**	*Omnis homo est risibilis.* *Atqui hoc est risibile.* *Ergo hoc est homo.*

argumentum vi formae non concludit; concludit vero ratione materiae (Cf. [n. 340]), quia illa maior, quae de se formaliter non esset convertibilis *simpliciter* [n. 332], sed tantum *per accidens* [Cf. *ibid.*], ratione materiae est convertibilis simpliciter: ideoque syllogismi praecedentes, iterum ratione materiae, aequivalent respective istis:

Si est risibile est homo. *Atqui est risibile.* *Ergo est homo.*	**vel**	*Omne risibile est homo.* *Atqui hoc est risibile.* *Ergo hoc est homo.*

qui profecto concludunt perfectissime et ratione materiae et ratione formae.

Nullo modo est ergo dicendum, quod argumentum: *Si est A, est B. Atqui est B. Ergo est A,* aliquo in casu concludat; nisi dum *ratione materiae* aequivalet huic: *Si est B, est A. Atqui est B. Ergo est A*, quod unice concludit etiam *vi formae.*

Sic ergo patet quomodo physici, dum ex tali conditionato, quod induat tales notas, quae apparent exclusivae proprietates illius rei seu causae, quae assumpta est ut hypothesis, concludunt ad veritatem ipsius hypothesis statuendam (quae tunc non est amplius hypothesis, sed *thesis*), non sunt increpandi quasi arguant a conditionato ad conditionem; tale enim conditionatum et consequens, hoc ipso quod accipitur ut proprium, transit in conditionem et antecedens. Revera enim, ut dictum est, non arguunt hoc modo:

„ *Si est A, est B*; *Atqui est B. Ergo est A;* sed virtualiter seu aequivalenter hoc alio modo; *Si est B est A; Atqui est B. Ergo est A* „. Qui processus est valde legitimus [1]).

---

[1]) Et iste est modus quo communiter procedunt homines in pluribus circumstantiis: arguunt e. g. „ *panis, vel talis res habet tales characteres sibi proprios: a. hoc habet tales characteres: e. est panis vel talis res* „ qui processus est legitimus *ratione materiae* et virtualiter aequivalens alii qui est legitimus quoque *ratione formae,* ut explicatum est. Imo hoc modo procedunt ipsi Theologi in demonstratione Verae Ecclesiae: dicunt enim:

Probatur 3ª pars. — *Errant illi Naturales qui antequam conditionatum esse revera proprium demonstraverint, hypothesim ut certam statuunt.* — Sequitur immediate ex praecedentibus. In tantum enim processus a conditionato ad hypothesim est legitimus, in quantum conditionatum cognoscitur constitui characteribus *propriis* illius determinatae causae, seu in quantum conditionatum, licet materialiter sit consequens, tamen formaliter est antecedens in processu rationis: proprium enim infert essentiam, cum ipsaque reciprocatur. Ergo quousque notae quae inveniuntur in aliqua re, seu phaenomeno, non apparent *propriae* illius rei vel legis quae assumpta est ut hypothesis, tales notae non sunt convertibiles cum hypothesi, nec ipsam inferunt. Si quis ergo ex talibus notis arguit ad statuendam tamquam *certam* illam hypothesim, manifeste peccat *fallacia consequentis* [n. 444] et nunquam talis processus ut legitimus haberi potest, cum sit manifeste irrationalis. Nec ullo modo somniandum est quod talis processus sit damnabilis in re philosophica, sed possit esse legitimus in re physica; hoc enim sine iniuria ipsius Physicae dici nullo modo potest, quasi licitum sit physico procedere contra rationem; quod absonum est.

Quia tamen tales notae, sub aliqua maiori vel minori probabilitate, apparere possunt tamquam propriae illius hypothesis, ideo licet ex illis concludere *probabiliter* ad veritatem ipsius hypothesis: nunquam vero *cum certitudine* nisi appareant *propriae exclusive* illius.

803. Corollarium. — Nota ergo diligentissime quam detestandus sit error illorum modernorum qui loquuntur de scientiis, ut dicunt, *parallelis:* qui volunt nempe quod physicus habeat suas leges independentes a philosophia et viceversa: qui deinde extendendo talem errorem ad ipsas res Fidei, blasphemant processum scientificum contrarium esse posse processui fidei, ita ut, quod est falsum secundum scientiam, verum esse possit secundum fidem. Haec enim non sunt nisi deliramenta

---

" *Ecclesia Christi debet habere has et has notas proprias.* A. *Ecclesia Romana habet has notas.* E. *Ipsa sola est vera Ecclesia Christi* „ : et philosophi saepissime similibus argumentis utuntur, sine peccato.

rationis humanae febricitantis ob insertum venenum Kantianum. Verum enim est quod Physicus, minus aptus quandoque esse possit ad percipiendam vim argumentorum metaphysicorum, et assuetus probationibus facilioribus et magis secundum sensum, assurgere facile non valeat ad ea quae magis sunt a sensu et imaginatione remota: verum quoque est quod, ut notavit Aristoteles (8° *Physic.* c. 3), qui multum de intellectu confidunt, sensum deserentes, facile in rebus naturalibus errent, ideoque ad sensum et experientiam, imo quandoque ad ipsum sensum communem male desertum, iure revocandi sint: verum denique est quod " *animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei* „ (1.*Cor.* 2. 14) ideoque quae sunt fidei non *supra,* sed *contra* rationem intellectui obcaecato apparere possint; sed nullum omnino veri nominis dissidium inter scientias admitti potest, cum omnes subordinentur Metaphysicae ab ipsaque accipiant quidditatem proprii obiecti, omnes indigeant Logica, quae est instrumentum omnium scientiarum ; nullum a fortiori dissidium inter omnes scientias humanas et scientiam divinam nempe Theologiam Sacram, cui omnes ancillantur, quaeque subalternatur ipsi *Scientiae Dei* per quam, perfectam Veritatem assecuti, tandem beati erimus in Patria.

804. Scholion. — Sicuti ex conditionato, quod apparet ut *proprium exclusive* huius rei vel causae, concludi potest cum certitudine ad ipsam rem, seu causam statuendam, ita ex conditionato vel pluribus conditionatis, quae appareant magis connexa cum conditione, quamvis non adhuc convertibiliter, concludi potest cum semper maiori probabilitate ad existentiam ipsius conditionis seu causae statuendam. Sic aliquando aliquae notae non sufficiunt ut cum certitudine concludam determinatam causam, possunt enim esse communes cum alia causa; unde tantum probabiliter concludi potest ad illam determinatam. Sed si aliae notae occurrant, magis ac magis sive per remotionem aliarum causarum, sive per meliorem intuitionem dependentiae harum notarum ab illa determinata causa, arguere possum cum probabilitate existentiam talis determinatae causae. Quando autem qualitas seu complexus notarum talis est, ut propriae exclusive appareant talis causae, tunc huius exi-

stentia demonstrata est a posteriori. Video, v. g. rem aliquam se moventem motu vegetativo, sed cum sit mihi ignota causa huius motus, facio hanc hypothesim, suppono nempe illam rem hominem esse, et tunc certo moveri debet motu vegetativo: sed de facto movetur motu vegetativo. Ergo est homo? Non valet illatio, ut patet, nam etiam planta est sufficiens principium motus vegetativi. Ergo non possum cum certitudine affirmare humanitatem esse causam motus vegetativi in illa re. Ergo mea hypothesis nullo modo certitudinem habet, sed, ad summum, aliquam probabilitatem. Nunc fingas me sic ulterius ratiocinari circa eandem rem, in hypothesi quod sit homo: si est homo res illa, debet etiam habere sensus; postea, mediantibus experimentis detego revera rem illam habere sensum; possumne, saltem in hoc casu, concludere cum certitudine, *ergo est homo?* Nullo modo; potest enim esse animal tantum, et animal tantum est sufficiens principium sensuum. Si adhuc autem ulterius ostendere possum motum vegetativum et sensitivum illius rei habere tales characteres, qui esse non possint nisi ab anima humana, qui nempe proprii sint naturae humanae, hypothesis mea certitudinem acquirit, ac proinde non amplius hypothesis dicenda est, sed thesis a posteriori demonstrata.

II. Potest quis ad aliquam hypothesim pro certa habendam induci ab hoc, quod aliquando accidit, quod nempe tanquam consequens praevidetur aliquod factum, quod experientia adhuc non constat; sic v. g. Leverrier, Neptuni positionem atque massam, quamvis non adhuc planeta esset inventus, calculo determinavit. Oblectatio autem animi, quam quis a veritate illius facti experitur, potest ad illam hypothesim tanquam certam habendam inducere. At hoc minime probat, semperque syllogismus, ut antea, invalidus manet, cum a positione conditionati, conditionis positionem inferre non valeat.

805. Dices: Sed tamen constans coincidentia non est a casu. Si enim ab aliqua hypothesi plures deducuntur explicationes, quas rectas esse praevisio alicuius facti ignoti testificatur, causa certe realis debet adesse huius inter theoricam et praxim consensus. Atqui si illa hypothesis esset falsa, fortuito

accidere consensum esset dicendum. Ergo illam veram esse confiteri oportet.

Resp. Certe huius constantis consensus, realis causa debet adesse; sed tota in hoc sistere potest, nempe in proportionali respondentia hypothesis cum occulta realitate, quin et realitas et hypothesis sint eadem res. Ponamus, v. g., quod pleraeque leges, quae aërea corpora spectent, in eorum elasticitate fundentur, unde quaedam proportionalis tentio oriatur. Manifestum est hanc tensionem perfecte viribus respondere finctarum molecolarum, quae certa velocitatis lege agitentur; et ex hoc sequetur quod omnes illius fictionis consequentiae, verae inveniantur, tanquam si in ista fictione, realis corporum dispositio contineretur [1]).

QUAESTIO QUARTA.

De ipsa Demonstratione.

THESIS I.ª — Demonstratio bene definitur definitione descriptiva: " syllogismus scientialis, idest faciens scire „. (S. Th. 1. *Post. Anal.* l. 4).

806. Probatur. — Illa est bona definitio descriptiva syllogismi demonstrativi quae notificat id quod demonstratio habet commune cum aliis syllogismis et quod habet sibi proprium. — Atqui hoc praestat tradita definitio. Ergo est bona.

Probatur minor: Nam tradita definitio per verbum *syllogismus* denotat id quod est commune omnibus aliis speciebus argumentationis deductivae, per verba vero " *faciens scire* „ designat id quod est proprium syllogismi demonstrativi, scl. parere scientiam, dum e contra syllogismus dialecticus parit opinionem, sophisticus errorem. Ergo.

Declaratur probatio minoris. Ad hanc declarationem sufficit explicare quid sit ipsum *scire* stricte sumptum, ut hic sumitur.

---

[1]) Cf. Mattiussi *Fisic. Raz.* P. I. n. 203.

Quod sic declarat Aristoteles: " Scire autem opinamur unumquodque simpliciter, sed non sophistico modo, quod est secundum accidens, cum causam arbitramur cognoscere propter quam res est, et quoniam illius causa est, et non est contingere hoc aliter se habere „ [1]).

Dicitur:

1) " *Scire autem opinamur unumquodque simpliciter, sed non sophistico modo, quod est secundum accidens* „. Nam " Sciendum est quod aliquid dicimus scire *simpliciter,* quando scimus id in seipso; dicimus autem scire aliquid secundum quid, quando scimus illud in alio, in quo est, vel sicut pars in toto, sicut scientes domum, dicimus scire parietem, vel sicut accidens in subiecto, sicut scientes Coriscum diceremus scire venientem; vel sicut effectus in causa, sicut dictum est supra, quod conclusionem percipimus in principiis; vel quocumque simili modo. Et hoc est scire per accidens; quia scito aliquo per se, dicimus scire id, quod accidit ei quocumque modo. Intendit igitur Philosophus definire scire simpliciter, non autem scire secundum accidens. Hic enim modus est sophisticus; utuntur enim sophistae tali modo arguendi: " Cognosco Coriscum, Coriscus est veniens. Ergo cognosco venientem „ [2]).

2) " *Cum causam arbitramur cognoscere propter quam res est* „ per haec verba " ponit definitionem ipsius scire simpliciter. Circa quod considerandum est, quod scire aliquid est perfecte cognoscere ipsum, hoc autem est perfecte apprehendere ipsius veritatem. Eadem enim sunt *principia esse rei et veritatis,* ut patet ex 2 Metaph. *Oportet ergo scientem, si est perfecte cognoscens, quod cognoscat causam rei scitae.* Et propter hoc dicit: " Cum causam arbitramur „ [3]). Aliis verbis, sciens debet cognoscere causam veritatis, sed causa veritatis rei est eadem ac causa eius esse, quae simpliciter dicitur causa eius. Ergo scientem oportet cognoscere rei causam. Unde solet dici quod " *scientia est cognitio rei per causam* „.

---

[1]) *Post. Anal.* c. 2: S. Thom. ibid. l. 4ª.

[2]) ibid. lec. 4ª.

[3]) ibid.

3) " *Et quoniam illius causa est* „ (h. e. cognoscere quod est causa eius). Nam " si cognosceret causam tantum, nondum cognosceret effectum in actu, quod non est scire simpliciter, sed virtute tantum, quod est scire secundum quid et quasi per accidens. Et ideo oportet scientem simpliciter, cognoscere etiam applicationem causae ad effectum. Et propter hoc dicit " et quoniam illius causa est „ [1]).

4) " *Et non est contingere hoc aliter se habere* „. Nam " quia scientia est etiam certa cognitio rei, quod autem contingit aliter se habere, non potest aliquis per certitudinem cognoscere, ideo ulterius oportet quod id quod scitur non possit aliter se habere „ [2]).

Hinc dicitur scientia esse de necessariis, et dicitur passim " *cognitio certa et evidens alicuius rei per causas* „. Ergo:

a) quia scientia est *perfecta* cognitio, ideo dicit: " cum causam arbitramur cognoscere „.

b) quia vero est *actualis* cognitio, per quam scimus *simpliciter,* addit: " et quoniam illius causa est „.

c) quia vero est *certa* cognitio, subdit: " et non est contingere aliter se habere „.

807. Nota. 1° Arist. autem probat bonitatem datae definitionis " τοῦ scire „ ex hoc: quod tam scientes, quam non scientes, aestimantes tamen se scire, hoc modo accipiunt scire sicut dictum est. *Non scientes* enim, qui aestimant se scire, opinantur sic se habere in cognoscendo, sicut dictum est. *Scientes autem vere* sic se habent. Est autem haec recta manifestatio definitionis. Definitio enim est ratio, quam significat nomen, ut dicitur 3° Metaph. *Significatio autem nominis accipienda est ab eo quod intendunt communiter loquentes per id nomen significare.* Unde in 2° *Top.* dicitur quod *nominibus utendum est ut plures utuntur.*

Si quis etiam recte consideret, per hanc notificationem magis ostenditur quid significat nomen, quam directe aliquid significetur. *Non enim notificat scientiam, de qua proprie posset*

---

[1]) ibid.

[2]) ibid.

definitio assignari, cum sit species alicuius generis, sed notificat ipsum *scire*. Unde et a principio dixit: " scire est *aliquid tale* „ [1]).

2° Hic loquitur de scientia seu de perfectissimo modo sciendi; videbimus enim esse alium modum sciendi, nempe per effectum. " Dicimus etiam aliquo modo scire ipsa principia indemonstrabilia, quorum non est accipere causam. Sed proprius et perfectus modus sciendi est qui praedictus est „ [2]).

THESIS II.ª — Demonstratio, definitione essentiali bene definitur: " Syllogismus procedens ex veris, primis et immediatis, notioribus, prioribus et causis conclusionis „. (Arist. 1 *Post. Anal.* c. 2.; S. Th. eod. l. 1. 4).

808. Praenotandum. — " Sciendum est, ait S. Th., quod in omnibus quae sunt propter finem, definitio quae est per causam finalem, est ratio definitionis quae est per causam materialem et medium probans ipsam: propter hoc enim oportet ut domus fiat ex lapidibus et lignis, quia est operimentum protegens nos a frigore et aestu. Sic igitur de demonstratione dat hic (Arist.) duas definitiones: quarum una sumitur a fine demonstrationis, quod est scire. Et ex hoc concluditur altera, quae sumitur a materia demonstrationis „ [3]). — De prima, scl. de ea, quae sumitur a fine, iam egimus; nunc de secunda agimus.

809. Probatur. — Cum differentia essentialis syllogismi demonstrativi a syllogismo topico et sophistico sit unice penes materiam, uti vidimus in logica minori, sequitur quod illa erit bona definitio essentialis syllogismi demonstrativi, quae assignet propriam huius syllogismi materiam, scilicet quae assignet materiam ex qua de necessitate sequatur scientia, quae est finis, — (uti vidimus in propositione praecedenti) — syllogismi demonstrativi. Atqui materia, seu praemissae, quae in syllogismo possunt et debent parere scientiam, sunt unice illae quae habent conditiones enumeratas in definitione: scilicet quod sunt:

---

[1]) S. Th. I *Post. Anal.* l. 4ª.
[2]) ibid.
[3]) ibid.

verae, primae et immediatae, notiores, priores et causae conclusionis: unde Aristoteles ait 1. *Post. An.* c. 2: " Si igitur est τὸ scire quale quid illud esse posuimus; necesse est, scientiam quoque demonstrativam esse et ex veris, et primis, et immediatis, et notioribus, et prioribus, et causis conclusionis. Sic enim erunt etiam principia propria eius, quod demonstratur. Nam syllogismus quidem erit etiam absque talibus; at demonstratio non erit; neque enim pariet scientiam „. Ergo demonstratio definitione essentiali bene definitur etc.

Prob. minor. Dicitur ergo:

1° " *Ex veris* „. — " Primo ergo ostendit quod semper procedit ex veris, ad hoc quod scientiam faciat; quia quod non est, non contingit scire,... Quod autem non est verum, non est. Nam esse et esse verum convertuntur. Oportet ergo, id quod scitur, esse verum. Et sic conclusionem demonstrationis, quae facit scire, oportet esse veram, et per consequens eius propositiones. Non contingit verum sciri ex falsis, etsi concludi possit ex eis, ut infra ostendet „. S. Th. 1. *Post. An.* l. 4.

2° " *Ex primis et immediatis* „ h. e. ex iis quae non per aliud medium demonstrantur, sed per seipsa immediate et primo sint manifesta: h. e. ex indemonstrabilibus. Nam qui syllogizat ex demonstrabilibus, aut scit demonstrabilia (nempe propositiones ex quibus syllogizat), et cum in demonstrationibus non sit abire in infinitum, scit ea per immediata et indemonstrabilia; vel non scit ipsa demonstrabilia ex quibus syllogizat, et tunc, cum nesciat praemissas, scire non potest conclusionem propter praemissas. Audiatur S. Th.: " Ostendit quod demonstratio sit ex *primis et immediatis* sive indemonstrabilibus. Non enim contingit aliquam habere scientiam, nisi habeat demonstrationes eorum, quorum potest esse demonstratio; et hoc dico per se, et non per accidens. Et hoc ideo dicit, quia possibile esset scire aliquam conclusionem non habens demonstrationem praemissarum, etiamsi essent demonstrabilia, quia sciret eam per alia principia, et hoc esset secundum accidens. Detur ergo quod aliquis demonstrator syllogizet ex demonstrabilibus, sive mediatis; aut ergo habet illorum demonstrationem, aut non habet. Si non habet, ergo non scit praemissas, et ita nec con-

clusionem propter praemissas. Si autem habet, cum in demonstrationibus non sit procedere in infinitum, ut infra ostendet, tandem erit devenire ad aliqua immediata et indemonstrabilia. Et sic demonstratio oportet quod procedat ex *immediatis,* vel statim, vel per aliqua media „. *Post. Anal. l. 4.*

3° " *Prioribus, notioribus et causis conclusionis* „. — " Probat quod demonstrationis propositiones sunt *causae conclusionis;* quia tunc scimus, cum causas cognoscimus. Et ex hoc ostendit ulterius, quod sunt *priores* et *notiores,* quia omnis causa est naturaliter prior et notior suo effectu. Oportet autem quod causa conclusionis demonstrativae sit notior non solum quantum ad cognitionem *quid est,* sed etiam quantum ad cognitionem *quia* est. Non enim ad demonstrandum quod eclipsis solis est, sufficit scire quod est lunae interpositio; sed oportet etiam scire quod luna interponitur inter solem et terram. Et quia prius et notius dicitur dupliciter: scilicet *quoad nos,* et *secundum naturam:* dicit consequenter quod ex quibus procedit demonstratio, sunt *priora* et *notiora simpliciter* et *secundum naturam,* et non *quoad nos.* Et ad huiusmodi expositionem dicit quod priora et notiora simpliciter sunt illa quae sunt remota a sensu, ut *universalia.* Priora et notiora quoad nos sunt proxima sensui, scilicet singularia quae opponuntur universalibus, sive oppositione prioris et posterioris, sive oppositione propinqui et remoti „. S. Th. 1. *Post. An.* l. 4.

810. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Definitio ex causis, ut vidimus in log. minori est descriptiva. Ergo et definitio demonstrationis sumpta ex causa materiali est descriptiva, sicut illa quae est ex fine.

Resp. *D. A.* Si tantum materialiter assignatur materia ex qua aliquod componitur *C.A.:* si insuper determinatur *natura* materiae a qua illud quod definitur sumat differentiam specificam *N.A.* - *D. eodem modo C.* — Nam aliud est si definio compositum aliquod ex materia, aliud si definio materiam ex materia (si definiri posset): prima definitio non exhibet essentiam rei ex essentialibus, secunda omnino ex essentialibus.

Ob. 2ª. In 1° *Physicorum* dicitur quod universalia sunt priora quoad nos, *posteriora secundum naturam.* Ergo non est verum quod *priora* et *notiora* simpliciter sint universalia.

Resp. *D.A.* Universalia, i. e. magis universalia sunt priora simpliciter et *quoad nos* in cognitione intellectiva, quam minus universalia *C.A.*; universalia sunt priora quoad nos relate ad cognitionem singularium *N.A.* — *D. eodem modo C.* — Nam " Dicendum est quod hic (1. *Post. Anal.*) loquitur (Arist.) de ordine singularis ad universale simpliciter, quorum ordinem oportet accipere secundum ordinem cognitionis sensitivae et intellectivae in nobis. Cognitio autem sensitiva est in nobis prior intellectiva, quia intellectualis cognitio ex sensu procedit in nobis. Unde et singulare est prius et notius quoad nos quam universale. In primo autem Phys. non ponitur ordo universalis ad singulare simpliciter, sed magis universalis ad minus universale, ut puta animalis ad hominem; et sic oportet quod quoad nos universalius sit prius et magis notum. In omni enim sensatione, quod est in potentia, est prius tempore et posterius natura. Quod autem est completum in actu, est prius natura et posterius tempore. Cognitio autem generis est quasi potentialis in comparatione ad cognitionem speciei in qua actu sciuntur *essentialia* rei. Unde et in generatione scientiae nostrae, prius est cognoscere magis commune quam minus commune „. S. Th. 1. *Post.* l. 4.

Ob. 3ª. Item in Libro Physicorum dicitur quod innata est nobis via ex nobis notioribus. Non ergo demonstratio fit ex his quae sunt priora simpliciter sed quoad nos.

Resp. *D.A.* Et ibi Arist. loquitur secundum quod id quod est notius quoad nos est etiam in intellectu *C.A.* et ibi loquitur secundum quod id quod est in sensu est notius quoad nos eo quod est in intellectu *N.A.* - *D.C. eodem modo.* - Nam " dicendum quod hic (1. *Post. An.*) loquitur secundum quod id quod est in sensu, est notius quoad nos eo quod est in intellectu. Ibi *(Phys.)* autem secundum quod id quod est notius quoad nos est etiam in intellectu. Ex singularibus autem quae sunt in sensu non sunt demonstrationes, sed ex universalibus tantum, quae sunt in intellectu. Vel dicendum quod in omni demonstratione oportet quod procedatur ex his quae sunt notiora quoad nos, non singularibus sed universalibus. Non enim aliquid potest fieri nobis notum nisi per id quod est *magis notum nobis.* Quandoque autem id quod est

magis notum quoad nos, est etiam magis notum simpliciter et secundum naturam; sicut accidit in mathematicis, in quibus propter abstractionem a materia non fiunt demonstrationes nisi ex principiis formalibus. Et in talibus fiunt demonstrationes ex his quae sunt notiora simpliciter. Item quandoque id quod est notius quoad nos non est notius simpliciter, sicut accidit in naturalibus in quibus essentiae et virtutes rerum, propter hoc quod in materia sunt, sunt occultae, sed innotescunt nobis per ea quae exterius de iis apparent. Unde in talibus fiunt demonstrationes ut plurimum per effectus qui sunt notiores quoad nos et non simpliciter. Nunc autem non loquitur de hoc modo demonstrationum, sed de primo „. S. Th. 1. *Post. An.* l. 4.

Ob. 4ª. Demonstratio debet esse etiam ex propriis principiis sicut supra dictum est. Sed de hoc non fit mentio in tradita definitione essentiali. Ergo non est exacta.

Resp. *C.M. - D.m.* Explicite *C.m.;* implicite *N.m. - N.C.* — "Per hoc enim quod dicitur quod demonstratio est ex primis, habetur quod ex propriis principiis, sicut et superius dictum est. Idem omnino enim videtur esse primum et principium. Nam primum in unoquoque genere et maximum, est causa omnium eorum quae sunt post, ut dicitur 2º *Metaphysicorum* „. S. Th. 1 *Post. An.* l. 4.

Ob. 5ª. Videtur quod non omnis demonstratio constare debeat ex propositionibus primis et immediatis. Ergo etc...

Resp. *D.A.* Proxime *C.A.;* saltem remote *N.A. - N.C.* — Nam omnis demonstratio constare debet vel ex primis omnino et immediatis, vel ex his quae per illa demonstrantur, ita ut resolvere possint in prima et immediata.

Ob. 6ª. Quando ex uno attributo aliud in Theologia demonstratur, non habet locum quod procedatur ex causis; item cum demonstrantur passiones entis. Ergo etc...

Resp. *D.A.* Et tamen unum est ratio alterius *C.A.;* secus *N.A.* — *N.C.* — Sufficit quod unum sit quodammodo ratio alterius, ut immutabilitas aeternitatis.

Nota. Haec demonstrationis definitio directe non se extendit ad demonstrationem *quia,* sed adaptari potest si causas accipias non essendi sed cognoscendi et quoad nos.

THESIS III.ª — **Demonstratio adaequate dividitur in demonstrationem quia et in demonstrationem propter quid.** — (S. Th. 1. *Post. An.* l. 23. 24. 25).

811. **Probatur.** — Demonstratio vel demonstrat veritatem alicuius non ex propria et immediata causa seu radice, vel demonstrat veritatem alicuius ex propria eiusdem causa et radice cognita ut sic; scilicet demonstratio contingit dupliciter; uno modo probat quidem evidenter passionem inesse subiecto, seu evidenter quidem probat quia inest, non tamen hoc facit afferendo propriam et immediatam causam propter quam inest, sed *a)* vel aliquam causam non immediatam sed remotiorem, vel *b)* inconveniens aliquod quod sequeretur, ut fit deducendo ad absurdum, vel *c)* quomodocumque ab aliquo effectu: — secundo modo non solum probat passionem inesse subiecto, seu non solum probat *quia* est, sed etiam ostendit *propter quid inest,* afferens in praemissis *propriam et immediatam rei caussam,* seu propriam et immediatam causam propter quam talis passio tali subiecto inest. Sed demonstratio primo modo facta dicitur demonstratio *quia,* demonstratio vero secundo modo facta dicitur *propter quid.* Ergo demonstratio dividitur in demonstrationem *quia* et in demonstrationem *propter quid.* — Sed demonstrare veritatem alicuius non ex propria et immediata causa, quod pertinet ad demonstrationem *quia,* et demonstrare veritatem alicuius ex propria eiusdem causa et radice cognita ut sic, quod pertinet ad demonstrationem *propter quid,* contradictorie se habent, inter quae non datur medium. Ergo demonstratio adaequate dividitur in demonstrationem *quia* et demonstrationem *propter quid.*

Nota. Patet, longe perfectiorem esse demonstrationem *propter quid,* quae unice quietat intellectum ; cum enim scimus solum quod ita est, adhuc quaerimus cur seu propter quid.

THESIS IV.ª — **Praemissae demonstrationis propter quid debent esse ex necessariis, ex iis quae per se dicuntur, ex propriis et ex universalibus.**

812. **Praenotiones.** — I.º Praestat hic in mentem revocare *quattuor modos dicendi per se* de quibus cf. [n. 147]. Et iterum cf. S. Thomam 1. *Post. Anal.* l. 10.

II.º Praescire etiam praestat quid hic veniat nomine uni-

versalis. Igitur sciendum est quod universale, ut hic adhibetur, continet in se dici *de omni* et *per se* et *primo*.

a) " *Dici de omni* „: " Ad hoc sciendum est, quod dici de omni, prout hic sumitur, addit supra dici de omni, prout sumitur in libro *Priorum*. Nam in libro *Priorum* sumitur *dici de omni* communiter, prout utitur eo dialecticus et demonstrator. Et ideo non plus ponitur in definitione eius, quam quod praedicatum insit cuilibet eorum, quae continentur sub subiecto. Hoc autem contingit, vel *ut nunc*, et sic utitur quandoque *dici de omni* dialecticus; vel *simpliciter* et sc. omne tempus, et sic solum utitur eo demonstrator. Et ideo in definitione " *dici de omni* „ duo ponuntur, quarum unum est, ut nihil sit sumere sub subiecto cui praedicatum non insit. Et hoc significat cum dicit: " Non in quodam quidam sic, in quodam autem non „. Aliud est, quod non sit accipere aliquod tempus, in quo praedicatum non conveniat. Et hoc designat cum dicit: " Non aliquando sic, aliquando non „. — Et ponit exemplum. Sicut de omni homine praedicatur animal, et de quocumque verum est dicere quod sit homo, verum est dicere quod sit animal, et quandocumque est homo, est animal. Et similiter se habet de linea et de puncto: nam punctum est in linea qualibet et semper „. S. Thom. 1. *Post. Anal.* l. 9.

b) " *Dici per se* „ " Per se autem dicitur aliquid praedicatum per comparationem ad ipsum subiectum, quia ponitur in eius definitione, vel e converso „. S. Thom. 1. *Post. An.* l. 9.

c) " *Dici primo* „ " Primo vero dicitur aliquid praedicari de altero per comparationem ad ea, quae sunt priora subiecto continentia ipsum. Nam habere tres angulos non praedicatur *primo* de isoschele, quia prius praedicatur de priore, scilicet de triangulo ut sic „ [1]). S. Thom. 1. *Post. An.* l. 9.

III° Praedicatum *universale*, ut hic sumitur, est illud quod convertitur cum subiecto, seu quod subiecto competit secundum

---

[1]) De his locutionibus, — *dici de omni, per se* et *universale* ait: "Cognoscere enim ista est necessarium ad sciendum ex quibus est demonstratio. Hoc namque oportet observari in demonstrationibus. Oportet enim in propositionibus demonstrationis aliquid *universaliter* praedicari, quod signi-

quod ipsum. Hinc ad tale universale requiruntur tres conditiones (S. Thom. I. *Post. Anal.* l. 9) : ut nempe dicatur :

1°) De omni ;

2°) ut necessario conveniens ;

3°) convertibiliter, seu in quantum huiusmodi.

Tali modo se habet differentia ultima alicuius et alicuius propria passio. Et, ut notat S.Thom., omne praedicatum universale seu competens alicui secundum quod ipsum, est etiam *per se,* sed non omne praedicatum *per se* est alicui competens secundum quod ipsum ; et omne quod dicitur *per se* dicitur *de omni ;* sed non omne quod dicitur *de omni* dicitur *per se ;* per accidens enim esse potest quod accidentale aliquod praedicatum dicatur de omni. Unde, " sciendum est quod *universale* non hoc modo (hic) accipitur, prout omne quod praedicatur de pluribus dicitur universale, secundum quod Porphyrius determinat de quinque universalibus ; sed dicitur *hic universale, secundum quamdam adaptationem vel adaequationem praedicati ad subiectum, cum scilicet neque praedicatum invenitur extra subiectum, neque subiectum sine praedicato* (scilicet praedicatum non excedit subiectum et e converso). (S. Thom. 1. *Post. An.* l. 11). — En verba Aristotelis : " Universale autem dico (hic) quod cum de omni sit (quod esse posset etiam de eo quod est per accidens) et per se et *secundum quod ipsum est...* Per se autem et *secumdum quod ipsum* idem est ; ut per se lineae inest punctum et rectitudo ; et namque secundum quod linea est. Et triangulo secundum quod est triangulos duo recti, etenim per se triangulus duobus rectis aequalis est „. 1° *Post. An.* cap. 4 ; S. Th. *ibidem* l. 11. — Unde si recurras ad ea quae explicavimus [n. 624 seq.], intelliges statim quid hic veniat nomine *universalis ;* quod enim alicui competit secundum quod ipsum, *semper* inest ei, et cuicumque ipsum inest, eidem inest *necessario* quod ei competit secundum quod ipsum ; item quod alicui competit secundum quod

---

ficat *dici de omni ;* et *per se,* et *primo,* quod significat *universale.* Haec autem tria ex additione se habent ad invicem. Nam omne quod *per se* praedicatur, praedicatur *universaliter,* et non e converso. Similiter quod *primo* praedicatur, praedicatur *per se* sed non convertitur „.

ipsum, *ipsum non excedit* ut ibidem declaravimus. Ergo in eo quod alicui competit secundum quod ipsum, verificantur omnia quae hic Philosophus requirit ad universale, scilicet quod dicatur non solum *de omni,* sed etiam *per se,* et non *per accidens,* et quod ita adaequetur seu coaequetur subiecto ut neque subiectum tale inveniatur unquam sine tali praedicato, neque tale praedicatum unquam inveniatur nisi in tali subiecto. Quod enim competit animali in quantum est animal, et *omni animali competit semper, et animal non excedit, h. e. non competit nisi animali.* Quod autem sic alicui competit, *necessario* ei competit ut patet [1]).

IV° Postquam notificavit Aristoteles quid sit universale, in cap. 5 *Post. Anal.* 1°, assignat tres modos quibus contingit errare in acceptione universali, et regulas ad recte accipiendum universale et ad tales errores evitandos.

Modi quibus contingit errare hi sunt:

1° Quando contingat quod non existat nisi aliquod determinatum sub aliquo communi, quod tamen latius patet v. g. si non existeret triangulus nisi isoscheles, quod est trianguli in quantum huiusmodi, posset videri esse isoschelis in quantum huiusmodi, quod tamen non esset verum. Item si sensibile quod primo et per se inest animali, assignaretur ut universale primum homini, nullo alio animale existente.

2° Secundus modus est quando quidem est accipere sub aliquo communi multa inferiora, sed tamen illud commune est *innominatum.* Sicut si animali non esset nomen impositum, et sensibile quod est proprium animalis assignaretur ut universale, primum his quae sub animali continentur vel divisim vel coniunctim: ut hoc quod est *commutabiliter proportionari* si accipiatur ut demonstrabile et demonstretur de lineis seorsim vel de numeris seorsim, vel de lineis, numeris, firmis, idest corporibus et temporibus coniunctim. Omnibus istis in quantum sunt proportionalia, non est nomen commune positum. Cum autem demonstratur commutatim proportionari de singulis praedictorum divisim, non demonstratur universale. Non enim commutatim

---

[1]) Cf. *omnino* S. Th. 1. *Post. Anal.* l. 11.

proportionari inest numeris et lineis secundum quod huiusmodi, sed secundum quoddam commune. Demonstrantes autem de lineis seorsim vel de numeris, ponunt hoc, quod est commutabiliter proportionari, esse quasi quoddam universale praedicatum lineae secundum quod linea est, aut numeri secundum quod numerus est [1]).

3° Tertius modus est quando id de quo demonstratur aliquid ut *universale primum,* se habet ad quod demonstratur de eo, sicut totum ad partem. Sicut si posse videre assignaretur animali ut universale primum. Non enim omne animal potest videre. Inest autem his quae sunt in parte, idest quae particulariter et non universaliter alicui subiecto conveniant, demonstratio, idest quae demonstrari possint, et erit demonstratio de omni, non tamen respectu eius quod demonstratur. Posse enim videre demonstratur quidem de aliquo universaliter, non tamen de animali universaliter, sicut de eo cui primo insit. Sicut si quis demonstraret de lineis rectis quod non intercidant, idest non concurrant, videbitur huiusmodi esse demonstratio, scilicet universalis primi, propter hoc quod non concurrere inest aliquibus lineis rectis. Non autem ita quod hoc fiat nisi lineae rectae sint aequales, idest aeque distantes, tunc non concurrere convenit eis in quolibet, quia universaliter verum est quod lineae rectae aeque distantes, etiam si in infinitum protrahantur, in neutram partem concurrent. Adverte quod si demonstrarem v. g. quod triangulus isosceles habet tres angulos duobus rectis aequales, deinde de aequilatero seorsim, nondum scirem cuius passio propria sit habere tres angulos aequales duobus rectis ; neque de ipso isoscele scirem utrum habere duobus aequales ei competeret in quantum isoscheles est, an in quantum est triangulus ; hoc enim verificatur sive commune superius sit nominatum sive innominatum. *Et ex his habetur aperta ratio cur demonstratio debeat de proprio adaequato subiecto concludere passionem propriam quae eidem coaequetur, ipsumque non excedat h. e. competat ei secundum quod ipsum.*

4° Deinde Philosophus dat documentum quo proprie possit

[1]) Cf. *omnino* S. Th. 1 *Post. Anal.* l, 12.

accipi universale : quod est utrum aliquid sit trianguli secundum quod triangulus, aut isoscelis secundum quod est isosceles, et quando id cuius est demonstratio est primum et universale secundum hoc, idest (secundum) aliquod subiectum positum (determinatum). Manifestum est enim ex hoc quod dicam : = *Quandocumque enim remoto aliquo adhuc remanet illud quod erat assignatum universale, sciendum est quod non est primum universale illius.* = Sicut remoto isoscele vel aereo triangulo remanet quod habeat tres angulos, scilicet duobus rectis aequales : unde patet quod habere tre angulos aequales duobus rectis non est universale primum, neque isoscelis, neque aerei trianguli. Remota autem figura non remanet habere tres, nec etiam remoto termino, qui est superior ad figuram cum sit quae termino vel terminis clauditur ; sed tamen non primo convenit neque figurae, quia non convenit eis universaliter. Cui ergo conveniet primo ? Manifestum est quod triangulo, quia secundum triangulum inest aliis tam superioribus quam inferioribus. Non enim competit figurae habere tres, nisi quia triangulus est quaedam figura : et similiter isosceli, quia triangulus est, et de triangulo habere tres demonstratur. Unde est ei universale primum. (Cf. omnino S. Th. 1. *Post. Anal.* l. 12. per totum, a qua haec desumpta sunt).

His positis ad demonstrationem propositionis deveniamus.

813. Probatur 1ª pars. — *Praemissae debent esse necessariae.*

1º Praemissae debent esse *necessariae,* quia faciunt *scire* conclusionem necessariam, in hoc enim demonstratio differt ab omni syllogismo qui est in alia materia. — Ut ergo possint causare *scientiam de necessariis* debent omnino esse necessariae. Audiatur S. Thomas : " Demonstratio circa necessarium est, et demonstratum, idest *demonstrationis conclusio non potest aliter se habere.* Et hoc accipiendum est tamquam principium ad ostendendum propositum, scilicet quod demonstratio ex necessariis procedit. Cuius quidem principii veritas apparet, ut iam dictum est. Ex hoc autem principio sic argumentatur. Conclusio necessaria non potest *sciri* nisi ex principiis necessariis ; sed demonstratio facit scire conclusionem necessariam ; ergo oportet quod sit ex principiis necessariis. In quo differt demonstratio ab aliis syllogi-

smis. Sufficit enim in aliis syllogismis quod syllogizetur ex veris. Nec est aliquod genus syllogismi, in quo oporteat procedere ex necessitate : sed in demonstratione oportet hoc observare. Et hoc est proprium demonstrationis, ex necessariis procedere „. 1° *Post. Anal.* l. 13.

2° Quia de contingentibus non est scientia sed opinio. Nam, ut dictum est in definitione huius quod est *scire*, ad hoc ut aliquid sciatur, oportet quod impossibile sit illud aliter se habere. Et cur hoc est necessarium ? quia scientia importat assensum certum et firmum circa conclusiones, h. e. circa obiectum suum, per hoc enim distinguitur ab opinione. Sed si res mutabilis est, hoc est, non necessaria, stante firmitate adhesionis intellectus posset esse falsus dum dicitur sciens et sic esset simul sciens et ignorans : quod est contradictorium. — Vel dic hoc modo : Mutata re contingenti vel mutatur etiam iudicium intellectus vel non mutatur. Si mutatur, iam non fuit assensus firmus et certus : (scilicet intellectus non erat *sciens*, non habebat scientiam). Si non mutatur, evadit falsum. Ergo non potest certus et firmus scientiae assensus esse de obiecto mutabili et contingente secundum quod est mutabile et contingens. Audiatur S. Thomas : " Si quis nunc non *scit* (h. e. non habeat scientiam), cum tamen habeat eamdem rationem quam prius habuit " *et salvatus est* „ i. e. non desiit esse, " *salva re* „ i. e. re scita et non corrupta, iterum ipse non est oblitus, manifestum est quod etiam ipse non prius scivit. In hoc autem Philosophus invenit quattuor modos quibus aliquis amittit scientiam quam prius habuit. 1°) Unus modus est quando excidit a mente eius ratio per quam prius sciebat. 2°) Alius modus est per corruptionem ipsius scientis. 3°) Alius per corruptionem ipsius rei scitae, sicut si scientia sit te sedente dum sedes, te non sedente periit. 4°) Quartus est per oblivionem. Unde nullo istorum modorum existente, si aliquis nullo modo sciat aliquid, nec prius scivit. Sed ille qui habet conclusionem necessariam per medium contingens, corrupto medio contingenti, nescit medio non existente ; et tunc eamdem rationem habet, et salva est res, et non est oblitus : Ergo non prius *scivit,* quando medium non erat corruptum. Quod autem medium, quod est contingens, corrumpatur, *probat.* Quia id quod

non est necessarium, oportet quod aliquando corrumpatur. Si dicatur quod medium nondum est corruptum quia non necessarium, manifestum est quod contingit ipsum corrumpi. Posito autem contingenti, illud quod accidit, non est impossibile, sed possibile et contingens. Quod autem sequebatur erat impossibile ; scilicet quod aliquis scientiam haberet alicuius quod postea nesciret, manentibus conditionibus supra positis : quod tamen sequitur ex hoc quod est medium contingens esse corruptum : quod, etsi non sit verum, est tamen contingens, ut dictum est.

Ostendit quod licet per medium contingens non possit sciri conclusio necessaria, concluditur tamen conclusio necessaria ex medio non necessario. Dicit ergo quod nihil prohibet conclusionem necessariam esse per medium non necessarium, per hoc quod ostenditur syllogizatum syllogismo dialectico non demonstrativo, qui facit scire.

Contingit enim necessarium syllogizari ex non necessariis, sicut contingit syllogizari verum ex non vero, non tamen contingit e converso. Quia cum medium est necessarium, et conclusio erit necessaria. Sicuti ex veris praemissis semper concluditur verum „. (S. Thom. 1. *Post. Anal.* l. 13).

Probatur 2ª pars. — *ex iis quae dicuntur per se.*

1° " Ostendit quod demonstratio sit ex his quae sunt per se, tali ratione. Demonstratio est ex *necessariis* et de *necessariis*. Et hoc ideo, quia scientifica est, idest faciens scire. Ea autem quae non sunt per se, non sunt necessaria; sunt enim per accidens; et huiusmodi non sunt necessaria, ut dictum est : sed illa sunt ex necessitate circa unumquodque genus, quaecumque sunt per se, et conveniunt unicuique secundum unumquodque est. Relinquitur ergo, quod demonstratio non possit esse nisi ex his quae sunt per se, et de talibus. Ulterius autem ostendit quod etiam si praemissa essent necessaria et vera, et non per se, non tamen sciretur de conclusione propter quid, ut patet de syllogismis, qui fiunt per signa, in quibus conclusionem, quae est per se, non scit aliquis per se, neque propter quid. Sicut si aliquis probaret, quod omne elementum est corruptibile, propter hoc quod videtur ipsum antiquari; esset quidem probatio per signum, non autem per se, neque propter quid ; quia propter

quid scire, est per causam scire. Oportet ergo medium esse causam eius quod in demonstratione concluditur. Et hoc manifestum est ex praedictis ; quia oportet et medium inesse tertio propter ipsum, id est propter se, et similiter primum medio. Primum autem et tertium vocat duas extremitates. Oportet ergo medium causam esse extremorum eius quod in demonstratione concluditur „. 1. *Post. An.* l. 14.

2°. " Dicit igitur quod demonstrativa scientia non potest esse accidentium, quae non sunt per se, sicut demonstratum est de per se superius, scilicet quod accidens per se est, in cuius definitione ponitur subiectum; sicut par et impar sunt per se accidens, quia animal non ponitur in definitione eius. Quod autem de huiusmodi accidentibus quae non sunt per se, non possit esse demonstratio, sic probat. *Accidens* quod non inest per se, contingit non esse : de hoc enim accidente loquimur: si ergo demonstratio fieret de accidente quod non est per se, sequeretur quod conclusio demonstrationis non esset necessaria, cuius contrarium est supra ostensum. Quod autem, quod non est per se, non insit necessario, ex hoc potest haberi. Si enim aliquod accidens, ex necessitate et semper insit subiecto, oportet quod causam habeat in subiecto, qua posita non possit accidens non inesse. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo quando ex principiis speciei causatur; et tale accidens dicitur *per se passio* vel *proprium*. Alio modo quando accidens causatur ex *principiis individui*, et *hoc est accidens inseparabile*. Omne autem accidens quod causatur ex principiis subiecti, si debeat definiri, oportet quod subiectum ponatur in sua definitione. Nam *unumquodque* definitur ex propriis, et sic oportet etiam accidens, quod de necessitate inest subiecto esse accidens *per se*. Illa ergo quae non sunt per se, non ex necessitate insunt... » S. Th. 1. *Post. An.* l. 14. ; Cf. etiam 1. *Post. An.* l. 10.

Probatur 3ª pars. — *Ex propriis.*

Praemissae debent esse ex propriis, quia esse non potest demonstratio faciens scire propter quid aut ex praemissis *extraneis* aut ex *communibus,* utrumque enim opponitur proprio. — Non potest esse:

1°. *Ex extraneis:* nam in tantum essent extraneae praemis-

sae, in quantum *medium* extraneum esset a maiore vel minore extremitate h. e. a subiecto vel praedicato conclusionis in praemissis : si autem hoc esset, maior extremitas non praedicaretur de medio *per se,* nec medium de subiecto *per se* praedicaretur, quod est contra id quod est probatum in 2ª. parte huius thesis. — Cf. S. Th. 1. *Post. An.* l. 15. " Ostendit Propositum hoc modo.... „.

2º. *Ex communibus :* " Non debent esse *ex communibus* quia principium commune non generat scientiam rei *per se,* sed tantum per accidens, quod est dicere non simpliciter. Sic si *scirem quid sit animal, scirem solum per accidens quid sit homo; si demonstro aliquid de homine per medium quod demonstret de animali.* Unde quamvis scientiae stricte dictae assumant principia communia ad demonstrandum, v. g. idem non potest simul esse et non esse, non assumunt tamen nisi ut proportionalia illi scientiae per quod fiunt propria : v. g. idem non potest simul esse bicubitum et non esse bicubitum, vel esse animal et non esse animal etc. Metaphysica vero ita se habet ad principia *communia* sicut singulae aliae scientiae ad sua propria : quia eius subiectum est ens, quod est commune ad omnia. Cf. S. Th. 1. *Post. Anal.* l. 17 et 20.

3º. *Aliis verbis.* Quae alicui competunt per se, propria suut illi. — Per demonstrationem concluditur propria passio de proprio subiecto adhibitis principiis, oportet autem ad idem genus pertinere principia et conclusionem, scilicet eiusdem generis esse media et extrema. Etiam principia universalissima et prima in qualibet scientia adhibentur ut concernunt proprium subiectum illius scientiae, conclusiones vero cuiuslibet scientiae conformantur principiis. (Cf. S. Th. 1. *Post. An.* l. 17. 18. 19. 20). Hinc habes etiam quod praemissae debent esse de *aeternis,* de immutabilibus etc. eo sensu quo diximus universalia esse aeterna, immutabilia, ubique etc. (Cf. S. Th. 1. *Post. An.* l. 16).

Probatur 4.ª pars. — *Ex universalibus.*

Praemissae debent esse de universalibus, modo hic explicato, praecise quia debent esse de necessariis, proinde vel de essentialibus vel propriis passionibus quae dimanant a principiis essentiae. Definiuntur autem universalia non singularia

et passiones propriae consequuntur ad speciem non ad individua.

814. Dices. — Theologia habet pro conclusionibus multa contingentia, et tamen est scientia : et pariter fides ipsa divina certissima est, et tamen est etiam de multis contingentibus. Ergo non est universaliter verum quod scientia non possit esse ex contingentibus.

Respondeo. — Theologia nostra subalternatur scientiae divinae, a qua accipit principia; et quae contingentia sunt in se, habent, ut subsunt scientiae divinae, connexionem infallibilem [1]). Item fides non habet suam certitudinem et infallibilitatem ab ipsis rebus, sed a testimonio divino, et ideo potest etiam circa res contingentes versari infallibiliter [2]).

THESIS V[a]. — Demonstratio quia, ut est species sciendi opposita τῷ scire propter quid, procedere debet vel ex effectibus, vel ex causis mediatis seu remotis.

815. Praenotandum. — Causa *remota* est illa, quae non convertitur cum effectu, sed ipsum excedit ; *proxima* vero quae convertitur, dummodo formaliter utrumque accipiatur, causa scilicet ut causa est, et effectus ut talis est, *non autem* ut huiusmodi effectus est, quia tunc semper effectus convertitur cum causa. V. g. si dico : Non est animal, ergo non respirat, assigno causam remotam : si vero dico : non habet pulmonem, ergo non respirat, assigno causam proximam [3]).

816. Probatur. — " Superius dictum est quod demonstratio est syllogismus faciens scire, et quod demonstratio ex causis rei, procedit ex *primis* et *immediatis*. Quod intelligendum est de demonstratione *propter quid*. Sed tamen differt scire *quia ita* est, et propter quid ita est. Et cum demonstratio sit syllogismus faciens scire, ut dictum est ; *oportet etiam* quod demonstratio, quae facit scire *quia,* differat a demonstratione, quae facit scire *propter quid* ... S. Thom. 1. *Post Analyt.* l. 23. Atqui demonstratio *propter quid,* facit scire simpliciter, praecise ex

---

[1]) Cfr. S. Th. 1. p. q. 1.
[2]) Cfr. S. Th. 2. 2[ae] q. 1.
[3]) Cfr. S. Th. I. *Post. Analyt.* l. 24.

hoc quod est ex causis et immediatis. Ergo demonstratio *quia,* cum opponatur demonstrationi *propter quid,* procedere debet vel ex effectibus, vel ex causis mediatis seu remotis. Unde S. Thom. ait: " Dicitur dupliciter differre utrumque praedictorum (sl. demonstratio *quia*, et demonstratio *propter quid)* secundum duo, quae requirebantur ad demonstrationem simpliciter, quae facit scire propter quid, scilicet quod sit ex *causis* et sit ex *immediatis*. Uno igitur modo differt scire *quia,* ab hoc quod est scire *propter quid,* quia scire quia est, si non fiat syllogismus demonstrativus, per non medium, idest per immediatum, sed fiat per mediata (causa remota). Sic enim non accipietur prima causa, cum autem scientia, quae est propter quid, sit secundum primam causam. Et ita non erit scientia propter quid. *Alio modo* differt scire quia est, quando fit syllogismus non quidem per media, idest per mediata, sed per immediata, et non fit per causam, sed fit per convertentia, idest per effectus convertibiles et immediatos. Et ista talis demonstratio fit per notius, scilicet nobis, alias non faceret scire. Non enim pervenimus ad cognitionem ignoti nisi per aliquid magis notum. Nihil enim prohibet duorum aeque distantium, idest convertibilium, quorum unum sit causa et aliud effectus, notius esse aliquando non causam sed effectum magis. Nam effectus aliquando est notior causa quoad nos, et secundum sensum, licet causa sit notior simpliciter et secundum naturam, et ita per effectum notiorem causa, potest fieri demonstratio, non faciens scire propter quid, sed tantum quia „. S. Thom. I. *Post. Analyt.* l. 23.

Declaratur argumentum exemplis. — 1°. Demonstratio *quia* per effectum convertibilem et immediatum: " Ut si quis concludat, quod planetae sunt prope, propter hoc quod non scintillant. Non enim scintillare est causa quod planetae sint prope, sed e converso. Propter hoc non scintillant planetae, quia sunt prope. Stellae enim fixae scintillant, quia visus in comprehensione earum caligatur propter earum distantiam „. Formetur ergo syllogismus sic:

Omne non scintillans **(M)** *est prope* **(P)**
Planetae **(S)** *sunt non scintillantes* **(M)**
Planetae **(S)** *sunt prope* **(P).**

Converti potest hoc modo :

S *in planetam* **N.**
M *(non scintillans) in* **P.**
P *(prope) in* **M.**

Et habetur haec argumentatio :

Quod est prope est non scintillans :
Planeta **N.** *est prope :*
Planeta **N.** *est non scintillans.*

Quae facit scire propter quid. (S. Thom. I. *Post. Analyt.* l. 23).

2°. Demonstratio *quia* per effectum non convertibilem : " Ostendit quod fit demonstratio *quia* per effectum non convertibilem, dicens, quod illis etiam syllogismis in quibus media non convertuntur cum extremis, et accipitur, ut notius quoad nos, scilicet loco medii, quod non est causa, sed magis effectus, demonstratur quidem quia, sed non *propter quid* etc. „ (S. Thom. I. *Post. Analyt.* l. 23).

3°. Demonstratio *quia* per causam mediatam seu remotam : " Dicit primo, quod non solum in his quae probantur per effectum, demonstratur *quia,* et non propter quid ; sed etiam in quibus medium *extra ponitur.* Dicitur autem medium extraponi, quando est diversum a maiori termino, ut accidit in syllogismis negativis. Vel medium extraponi dicitur, quando medium est quasi communius, et non convertitur cum maiori termino. Quod autem per tale medium non possit demonstrari *propter quid,* probat ex hoc, quod demonstratio *propter quid* est per causam. Tale autem medium non est per causam, proprie loquendo... „ Deinde manifestat quod dixerat per exemplum. Et dicit : " Ut si quis vellet probare quod non respirat paries, quia non est animal, non demonstrat propter quid, nec accipit causam. Quia si non esse animal esset causa non respirandi, oporteret, quod esse animal, esset causa respirandi, quod falsum est. Multa enim sunt animalia, quae non respirant, sicut pisces. Oportet enim, si negatio est causa negationis, quod affirmatio sit causa affirmationis, sicut non esse calidum et frigidum in mensura, est causa quod aliquis non sanetur ; et esse calidum et frigidum in mensura est causa quod aliquis sanetur. Similiter autem e con-

verso est, quod si affirmatio est causa affirmationis, negatio sit causa negationis. In praemissis autem hoc non contingit, quia affirmatio non est causa affirmationis, quia non omne, quod est animal respirat „ [1]).

THESIS VI.a — Demonstratio a posteriori, demonstratio a priori, demonstratio per signum, demonstratio deducens ad impossibile, et si quae sunt aliae, commode reducuntur vel ad demonstrationem quia, vel ad demonstrationem propter quid.

817. Probatur per partes:

1°. " *Demonstratio a posteriori.* „ Demonstratio a posteriori est quae procedit per *medium,* quod in *essendo est posterius,* ut est omnis effectus relate ad suam causam. Sed demonstratio *ex effectu* et generatim, ex eo quod est *posterius in essendo,* est demonstratio *quia.* Ergo demonstratio a posteriori reducitur ad demonstrationem *quia.*

2°. " *Demonstratio a priori* „. Demonstratio a priori est quae procedit *per medium* quod in *essendo* est *prius,* ut est omnis causa relate ad suum effectum. Atqui demonstratio quae est per causam, si causa est *propria* et *immediata*, est demonstratio *propter quid;* si causa non est propria et immediata, sed *mediata* et remota, demonstratio est *quia.* Ergo demonstratio a priori reducitur ad demonstrationem vel *propter quid,* vel *quia.*

Hinc, ut patet, demonstratio *quia,* demonstratio *propter quid,* demonstratio *a priori*, demonstratio *a posteriori* non coincidunt, ita ut dici possit: demonstratio *quia* est *a posteriori*, et demonstratio *a priori* est *propter quid;* nam omnis demonstratio *propter quid* est *semper a priori,* et omnis demonstratio *per effectum* est *semper* demonstratio *quia;* at non omnis demonstratio *quia* est semper *a posteriori,* sed est *a posteriori* si per effectum demonstrat, *a priori* si per causam mediatam syllogizat.

3°. " *Demonstratio per signum* „. Demonstratio per signum, quamvis non sit neque per causam, neque per *effectum rei adaequatum,* est tamen demonstratio non per causam propriam et immediatam, sed per aliquid posterius in essendo, ac proinde tamquam aliquid imperfectum in genere effectuum continetur.

---

[1]) Cfr. S. Th. I. *Post. Anal.* l. 24.

Atqui demonstratio quae non est per causam propriam et immediatam, est demonstratio *quia*. Ergo demonstratio per signum reducitur ad demonstrationem *quia*.

4.° " *Demonstratio deducens ad impossibile* „. Deducendo ad impossibile procedi potest vel ex propriis et immediatis causis, unde aliquid est impossibile, vel ex effectibus aut ex causis mediatis etc. Atqui si primum contingit, demonstratio est in genere demonstrationis *propter quid;* si secundum, demonstratio est reductive in genere demonstrationis *quia*. Ergo demonstratio deducens ad impossibile reducitur ad demonstrationem vel *propter quid,* vel *quia*.

818. Nota 1ª — Demonstrationis divisio in " *a priori* „ et " *a posteriori* „ non est adaequata: nam potest fieri demonstratio quae non sit neque a priori, neque a posteriori, sed ab aliquo concomitante, sicut evenit in correlativis. Sicut si dicerem: " *si est Pater, est Filius* „. Huc revocantur demonstrationes quae deducuntur ex actibus cognitionis ut si arguam: " *homo videtur a me: ergo est* „.

819. Nota 2ª — Divisio demonstrationis in " *quia* „ et " *propter quid* „ videtur potius dicenda analoga, quia secundum prius et posterius de utraque dicitur, quod sit syllogismus faciens scire. Scire enim est per causam, ut supra dictum est. Aliqui dicunt: *forte melius* univoce utramque dici demonstrationem, *quia* utraque innititur *connexioni necessariae* inter causam et effectum; quamvis non utraque causet scientiam perfectam, quia demonstratio *quia* attingit solum *an est* quod praesupponitur ad scientiam, cum nulla scientia ex *propriis principiis* possit probare de suo subiecto *an est*. Unde fit quod demonstratio *quia* procedere debeat ex *extraneis* ab *obiecto* et *subiecto* scientiae; scientia vero perfecta nequit esse ex extraneis. Demonstratio autem *propter quid* virtualiter continet demonstrationem *quia*, unde excludi debet demonstratio dicta " simpliciter „ a Commentatore invecta, quae demonstrat simul *quia* et *propter quid;* hoc enim virtute habetur in omni demonstratione *propter quid*.

THESIS VIIª. — Demonstratio circularis ex circulo materiali potest vitio carere, non autem ex circulo formali.

820. Probatur. — Circularis demonstratio tunc habetur quando ex principiis probatur aliqua conclusio, deinde iterum ex conclusione principium. Si sub eodem respectu sumantur conclusio et principia seu sub eadem ratione formali, habetur *formaliter circulus,* si autem sub alio respectu, *circulus* est *materialis.* — Circulus materialis potest vitio carere, non autem formalis, quia non potest idem secundum idem esse altero, eodem modo semper accepto, notius simul et minus notum. Sed conclusio cognita per aliud medium, potest esse notior ipso antecedente unde primo fuit illata. Ut illata per **A** potest concludere **B** et vicissim. Nempe una propositio materialiter sumpta potest tamen multiplici medio innotescere et sic procedere a duplici antecedente, et cum regredimur ab ipsa ad illud antecedens unde probata est, revera non ab ipsa regressus incipit sed a secundo antecedente, quod est independes a primo, fit probatio prima. Ubi nullus intervenit circulus formalis. Formalis enim circulus semper vitiosus est (Cf. S. Th. 1. *Post. An.* l. 8.).

QUAESTIO QUINTA.

De medio demonstrationis.

THESIS Ia. — Medium demonstrationis propter quid debet esse definitio subiecti, vel definitio passionis perfecta per definitionem subiecti.

821. Praenotanda. — 1° Subiectum se habet ad praedicatum sicut principium ad conclusionem [1]).

2.° Quomodo definienda sint prius nota definito videas apud S. Thomam 1. p. q. 85. a. 3. ad 3m — et 1° *Phys.* l. 1.

3.° Passio definiri non potest independenter a proprio subiecto sicut simitas definiri non potest independenter a naso.

822. Probatur. — 1° Demonstratio *propter quid* debet resolvi in primam causam passionis. Atqui prima causa passionis est ipsum subiectum proprium eiusque essentia a qua propria passio dimanat ad modum resultantiae : essentiam autem subiecti, quae

[1]) Cf. S. Th. 1. p. q. 58. a. 4.

imo est ipsum proprium subiectum passionis, exhibet definitio subiecti. Ergo definitio subiecti est proprium medium demonstrationis *propter quid*. — Sic propria causa cur homo sit risibilis est quia est animal rationale. Et ratio cur triangulus habeat tres angulos duobus rectis aequales, est quia est triangulus seu figura tribus lineis rectis contenta.

2°. Medium demonstrationis *propter quid* est de quo (ut dicit Phil. 7. *Methaph.* l. 6.) non quaeritur per quaestionem propter quid, sed ipsum reducitur propter quid aliorum. Atqui de " quod quid „ subiecti non quaeritur propter quid : non enim quaeritur propter quid homo est homo, vel animal rationale ; quaeri autem potest de definitione formali passionis, puta propter quid homo est risibilis, vel aptus ad ridendum. Ergo dicendum est, quod demonstrationis medium vel est definitio subiecti, vel definitio passionis perfecta per definitionem subiecti. Cum enim subiectum sit causa passionis necesse est quod definitio passionis demonstretur per definitionem subiecti, et consequenter definitio formalis passionis non potest esse causa immediata, causa enim immediata est quae non potest per aliud medium probari.

3°. Sicut passio est demonstrabilis de subiecto, ita et definitio passionis, cum definitio et definitum realiter idem sint et ad invicem convertantur : non potest autem definitio formalis passionis demonstrari de subiecto per definitionem passionis itidem formalem, nam idem demonstraretur per idem, quare debet demonstrari per definitionem subiecti. Unde S. Thomas (1 *Post. Anal.* l. 13.) " Sciendum autem est quod cum in demonstratione probatur propria passio de subiecto per medium quod est definitio, oportet quod prima propositio cuius praedicatum est passio et subiectum est definitio *(v. g. animal rationale est risibile)* quae continet principia passionis, sit per se *quarto modo*. Secunda autem cuius subiectum est ipsum subiectum et praedicatum ipsa definitio, in *primo modo* (praedicandi per se) v. g. *homo est animal rationale*. Conclusio vero in qua praedicatur passio de subiecto *(homo est risibilis)* per se in secundo modo „ [1]).

[1]) 1° *Post. Anal.* l. 19. — Cf. etiam S. Th., op. 58. ; 1 *Post. Anal.* l. 2. ; 2. *Post. Anal.* l. 1. ; 4. *Phys.* l. 5. ; 1. p. q. 77. a. 6. ad 3.[m] ; *De Verit.* q. 2. a. 7.

Hinc paradigma demonstrationis *propter quid est* hoc :

Animal rationale est risibile — per se 4° modo
Homo est animal rationale — per se 1° modo
Homo est risibilis — per se 2° modo.

THESIS II.ª — **Medium demonstrationis et quidem propter quid, possunt esse omnia genera causarum.**

823. **Praenotandum.** — Cum dicitur quod "omnia genera causarum possunt esse medium demonstrationis *propter quid* „ non est necesse quod hoc esse possit semper et in omnibus.

824. **Probatur.** — Demonstratio propter quid dari potest per ea omnia quibus respondetur ad quaestionem propter quid. Atqui ad quaestionem propter quid responderi potest per omnes causas ; nam propter quid inquirit de causis. Ergo per omnes causas dari potest demonstratio propter quid.

Declaratur Argumentum. — Quandocumque plures causae concurrunt ad esse alicuius rei, plenissima eiusdem demonstratio illa esset quae daretur per omnes reales causas illius. Aliud quidem est esse et aliud cognoscere, unum tamen alteri proportionatur ; et proinde cum ipsa cognitio nostra a rebus cognitis dependeat tanquam a propria mensura, in perfecta alicuius rei cognitione oportet quod ita se habeat causalitas praemissarum ad manifestandam conclusionem, sicut causalitas rerum significatarum in praemissis ad id quod significatur in conclusione. Si ordo invertitur, cognitio non erit perfecta. Iamvero esse alicuius rei dependet a *subiecto* quo constat, a *forma* qua res perficitur; item in eius esse influit *agens*, quod virtute sua formam in subiectum inducit. Influit etiam *finis,* quem intendens agens operatur. Si per haec omnia fiat demonstratio, non remanet quidquid ultra quaeratur. Habetur tamen vera Scientia etiam cognoscendo unam tantum ex causis; et hoc ideo quia una etiam sufficit ad alias cognoscendas, quia omnes rei causae connectuntur in causa formali, a qua est immediate ratio essentialis ipsius rei ; ab essentia autem uniuscuiusque dimanant immediate propriae eiusdem passiones.

Exempla Aristotelis ad ostendendum omnes causas posse praebere medium demonstrationis, sive relate ad diversa, sive respectu unius eiusdemque demonstrabilis, en habes :

a) *Ex causa materiali.* — Omne compositum ex contrariis est corruptibile. Atqui lapis est huiusmodi. — Ergo est corruptibilis.

b) *Ex causa formali.* — Omne rationale est risibile. — Atqui homo est rationalis. — Ergo est risibilis.

c) *Ex causa efficiente.* — Qui iniurias aliis intulerunt, merito sunt debellati. — Sed Athenienses iniurias intulerunt Medis. — Ergo merito ab illis fuerunt debellati.

d) *Ex causa finali.* — Non eminere cibos in ore stomachi est esse sanum. Sed deambulare post coenam facit non eminere cibos in ore stomachi. — Ergo facit esse sanum. (Cf. S. Th. 2. *Post. Anal.* l. 9).

Tractatus II.us

De Scientia.

QUAESTIO PRIMA.

De notione scientiae.

825. Introductio. — Cum iam sufficienter in Tractatu praecedenti locuti simus de *actu scientiae*, ubi definitum est quid sit *scire*, hic non agemus nisi de *habitu scientiae*, scilicet de *scientia habituali*, de qua tantum intelligi debent omnia quae de scientia dicemus et probabimus.

THESIS Ia. — Scientia bene definitur " habitus intellectus iudicativus veritatis rei per propriam causam ".

826. Probatur. — Bona est definitio, quae fit per genus proximum et differentiam ultimam. Atqui allata definitio scientiae est huiusmodi. Ergo scientia bene definitur " *habitus intellectus iudicativus veritatis rei per propriam causam* ".

Probatur minor. — Nam genus proximum scientiae est " *habitus intellectus* " et differentia ultima designatur cum dicitur " *iudicativus veritatis rei per propriam causam* " : per haec verba enim, scientia cognoscitur per ordinem ad actum proprium *sciendi:*

habitus namque cognoscitur et definitur per ordinem ad actum. Quod autem scientia sit habitus, patet ex ipsa habitus definitione, quae sic exhibetur: " *habitus est qualitas difficile mobilis* „; nam, cum scientia exurgat ex processu de necessariis, et omne necessarium sit immobile, etiam scientia debet esse immobilis, vel saltem difficile mobilis, quod sufficit ad habitum constituendum [1]).

827. **Obiectiones.** — **Ob. 1ª.** Scientia, ut docet Philos. *(De long. et brev. vitae* c. 2), per se corrumpitur oblivione. Atqui quod corrumpitur oblivione est in parte memorativa tanquam in subiecto. Ergo scientia est in parte memorativa, quae est sensitiva, et non in intellectu.

Resp. *D.M.* Scientia per se corrumpitur oblivione quantum ad id, quod est materiale in habitu scientiae *C.M.*; quantum ad id, quod est formale *N.M.* — *C.m.* — *D.C.* Scientia est in parte memorativa quantum ad id, quod est materiale in ipsa *C.C.*; quantum ad id, quod est formale *N.C.* — Nam habitus scientiae partim est in viribus sensitivis, partim in intellectu, ut patet ex actibus, per quos habitus scientiae acquiritur, qui sunt per conversionem ad phantasmata in praedictis viribus habita. Sed sicut actus intellectus principaliter quidem et formaliter est in ipso intellectu, materialiter autem et dispositive est in viribus

---

[1]) " Ignorare ex operationibus circa singula habitus existere, valde stupidi hominis est. „ (Phil. III. *Eth.* c. 5). Unde cum homines rite ponant repetitos actus circa obiecta scibilia, necesse est ut habitum scientiae acquirant. Intellectus enim humanus non est tale agens in quo sit *solum principium* activum, sicut in igne est solum principium activum calefaciendi (et in tali agente non potest aliquis habitus causari ex proprio actu, unde res naturales *non possunt aliquid consuescere vel dissuescere.* 2. *Eth.*), sed est agens in quo est simul principium *activum et passivum* sui actus. Vis enim intellectiva, secundum quod ratiocinatur de conclusionibus, habet sicut principium activum propositionem per se notam. Porro in agentibus quae se habent hoc modo, possunt ex talibus actibus aliqui habitus causari, non quidem quantum ad primum activum principium actus quod movet motum. Nam omne quod patitur et movetur ab alio, disponitur per actum agentis. Unde ex multiplicatis actibus generatur quaedam qualitas in potentia passiva et moto, quae nominatur habitus: et ita habitus scientiarum causantur in intellectu, secundum quod movetur a primis propositionibus. (1. 2.ae q. 51. a. 2. c.).

inferioribus, ita et habitus scientiae, qui quantum ad id quod est formale in ipso, nullo modo corrumpitur per oblivionem sed tantum per falsam argumentationem, ut docet Philosophus (l. c.).

Ob. 2ª. Scientia, ut docet Philos. (I. *Post. Anal.* l. 7.), est tantum conclusionum, sicut intellectus est principiorum. Atqui causa rei seu medium non est in conclusione, sed in praemissis. Ergo scientia non est habitus iudicativus rei per propriam causam.

Resp. *D.M.* Scientia est tantum conclusionum, sed in conclusionibus considerat etiam principia virtualiter contenta et participata in ipsis *C.M.;* secus *N.M.* — *Cdm.* Causa rei seu medium non est in conclusione formaliter *C.m.;* non est virtualiter *N.m.* — *N.C.*

Principia demonstrationis dupliciter possunt considerari: 1° seorsim, quin considerentur conclusiones, seu secundum se ipsa et formaliter, et hoc modo considerare principia pertinet ad intellectum; 2° simul cum conclusionibus, prout principia in conclusiones deducuntur, vel quatenus causa virtualiter est in effectu et quatenus assentimur conclusioni propter principium virtualiter participatum in illa, et haec consideratio causae et principii pertinet ad scientiam.

THESIS II.ª — Scientia bene distinguitur a reliquis intellectualibus habitibus.

828. Praenotandum. — " Determinare quidem, ait S. Th. (I° *Post. Anal.* lect. 44ª) de sapientia quid sit, et quomodo se habeat, et de *scientia*, *intellectu* et *arte* (nempe de habitibus intellectualibus) pertinet aliqualiter ad Philosophiam primam. *Prudentia* vero pertinet ad considerationem moralem; *intellectus* et *ratio*, secundum quod significant potentias quasdam, pertinet ad considerationem naturalem, ut patet in libro *de anima* „. Necessarium tamen videtur aliquid de istis habitibus innuere, ut clarius appareat quid sit scientia, circa quam versatur hic tractatus. Patet autem quod ad probationem thesis sufficit ostendere quid sit proprium uniuscuiusque habitus intellectualis, et per hoc clare intelligetur in quo differat scientia a reliquis.

829. Probatur. — " Sciendum est quod Aristoteles (VI° *Eth.* lect. 3ª) ponit quinque (habitus seu virtutes), quae se habent

semper ad verum, scilicet artem, scientiam, sapientiam, prudentiam et intellectum; subiungens duo, quae se habent ad verum et falsum, scilicet suspicionem et opinionem. Prima autem quinque se habent solum ad verum, quia important rectitudinem rationis. Sed tria eorum, scilicet, *sapientia, scientia* et *intellectus,* important rectitudinem rationis *circa necessaria: scientia* quidem *circa conclusiones; intellectus* autem *circa principia; sapientia* autem *circa altissimas causas,* quae sunt causae divinae. Alia vero scilicet *ars* et *prudentia,* important rectitudinem rationis *circa contingentia: prudentia* quidem *circa agibilia,* idest circa actus, qui sunt in operante, puta amare, odire, eligere et huiusmodi, quae pertinent ad actus morales, quorum etiam est directiva prudentia; *ars* autem importat rectitudinem rationis *circa factibilia,* idest circa ea, quae aguntur in exteriorem materiam, sicut est secare et alia huiusmodi opera, in quibus dirigit ars. Hic autem addit rationem, quae pertinet ad deductionem principiorum in conclusiones „. (S. Th. Iº *Post. An.* lect. 44ª).

Hi omnes dicuntur *habitus* intellectuales, quia sunt qualitates disponentes intellectum circa suas operationes: dicuntur etiam *virtutes* intellectus, quia disponunt intellectum quantum ad bonam operationem ipsius, nempe quantum ad dicendum verum, quod est bonum intellectivae partis [1]). — Horum habituum divisio ex S. Thoma superexposita accipitur ex parte obiecti. Nam omnis intellectualis habitus vel perficit intellectum *circa prima principia,* vel perficit intellectum *circa ea, quae sunt ex principiis.* Si *circa ea quae sunt ex principiis:* vel perficit intellectum *circa necessaria,* et tunc habetur *scientia,* quae dicitur " habitus demonstrativus „ idest ex demonstratione causatus, quia demonstratio non datur nisi circa necessaria et per causas eorum; [2]) vel perficit intellectum *circa contingentia,* et tunc vel perficit *circa agibilia* (idest circa ea, quae fiunt per actionem, quae proprie est operatio immanens in ipso agente, ut videre, intelligere, velle etc.), et habetur *prudentia,* quae dicitur " habitus cum vera ratione activus „ idest dirigens operationes immanentes secun-

[1]) Cf. S. Th. in 6m *Eth.* lect. 2ª.
[2]) Cf. S. Th. in 6m *Eth.* lect. 3ª.

dum verum dictamen rationis; [1]) vel perficit *circa factibilia* (idest circa ea, quae fiunt per factionem, quae proprie est operatio transiens in exteriorem materiam ad aliquid formandum ex ea, sicut aedificare, secare etc.) et tunc habetur *ars,* quae dicitur " habitus cum vera ratione factivus „ idest dirigens iuxta verum rationis dictamen operationes in exteriorem materiam transeuntes. Contingentia namque (utpote quae talia sunt ut de ipsis veritatis certitudo omnem falsitatem excludens haberi nequeat, nisi cum cadunt sub sensu) non considerantur in ordine ad habitum intellectivum, nisi quatenus subduntur humanae operationi; intantum enim utilis est cognitio contingentium, in quantum est directiva humanae operationis, quae circa contingentia est.

Si vero habitus intellectualis perficit intellectum *circa prima principia:* vel perficit *circa prima principia demonstrationum,* quae sunt indemonstrabilia, sed statim cognitis terminis cognoscuntur (ut sunt v. g.: " idem nequit simul esse et non esse „ — " totum est maius sua parte „ etc.), et tunc habetur *intellectus,* qui hic non accipitur pro ipsa intellectiva potentia, sed pro habitu quodam, quo homo ex virtute luminis intellectus agentis naturaliter cognoscit principia indemonstrabilia, et dici potest " habitus primorum principiorum indemonstrabilium „ [2]); vel perficit intellectum *circa prima principia entium* (nempe circa primas causas entium), quae secundum se sunt notissima, quamvis aliqua illorum (scil. immaterialia) sint minus nota quoad nos, et tunc habetur *sapientia,* quae dici potest " habitus primorum principiorum entium „ seu " habitus altissimarum causarum entis „. Hic postremus habitus, inquantum habet demonstrationem de aliquibus primis entium principiis, est eminens quaedam scientia; et inquantum notificat ea principia universalissima entis, quae pertinet ad ens inquantum est ens, aliaque

---

[1]) Nota tamen quod non omnes operationes immanentes possunt dirigi a prudentia, sed tantum eae, quae sunt *dirigibiles:* sunt autem dirigibiles illae solae, quae cadunt sub consilio et *sub electione* voluntatis, seu quae sunt *eligibiles;* unde Aristoteles ait *idem esse agibile quod eligibile:* illae vero, quae sunt *necessariae,* praecise secundum quod necessitatem habent, non sunt *dirigibiles.*

[2]) Cf. S. Th. l. c. lect. 5ª.

communia (ut partem et totum, aequale et inaequale), quibus cognitis, statim innotescunt prima principia demonstrationis, est nobilissimus intellectus [1]).

830. Scholion. — *Discrimen inter scientiam et sapientiam.* Ex iis quae diximus in probatione thesis, facile colligitur quodnam discrimen intersit inter hos duos habitus intellectuales ; sed cum non sit parvi momenti illud bene animadvertere, iuverit hic referre praeclara S. Thomae verba, quibus optime indicatur. Ait ergo S. Doctor (2.ª 2.ae q. 9.ª a. 2. c.) : " In his, in quibus aliquid est perfectissimum, nomen commune generis appropriatur his, quae deficiunt a perfectissimo ; ipsi autem perfectissimo adaptatur aliud speciale nomen, ut patet in logicis... Quia ergo nomen scientiae importat quandam certitudinem iudicii..., siquidem certitudo iudicii fit per altissimam causam, habet speciale nomen, quod est *sapientia :* dicitur enim *sapiens* in unoquoque genere, qui novit altissimam causam illius generis, per quam potest de omnibus iudicare ; simpliciter autem sapiens dicitur, qui novit altissimam causam simpliciter, scilicet Deum. Et ideo *cognitio divinarum rerum vocatur sapientia* ; *cognitio vero rerum humanarum vocatur scientia* „. — Ex quibus verbis patet quod discrimen inter scientiam et sapientiam non est discrimen illud, quod interest inter opposita, sed illud quod interest inter minus perfectum et magis perfectum.

THESIS III.ª — Scientiae recte dividuntur: 1° in subalternatas et subalternantes ; 2° in speculativas et practicas.

831. Declaratur 1ª pars. — Tres modos subalternationis distinguunt auctores [2]). Quaedam scientiae subalternantur *ratione finis,* quando finis unius est sub fine alterius; quaedam *ratione principiorum,* quando principia unius accipiuntur ab alia, quae illa demonstrat per suas conclusiones (ut perspectiva accipit a geometria), quaedam *ratione subiecti,* quando subiectum unius continetur sub subiecto alterius : quod contingere potest dupliciter ut habet S. Thomas (I. *Post. Anal.* l. 25ª) vel quia subiectum unius est *essentialiter* sub alterius subiecto, vel quia subiectum

---

[1]) Cfr. S. Th. *ib.* ; et 1ª. 2ªº q. 57.

[2]) Cf. Fonseca, IV. *Metaph.* C. III. q. II.

unius est sub alio *accidentaliter* (ut perspectiva agit de linea visuali, et visuale accidit lineae).

Primus tamen modus est improprius. Aliud enim est subiici secundum imperium, quomodo subiicitur navifactiva gubernatoriae, aliud secundum manifestationem veritatis, quod pertinet proprie ad subalternationem scientiarum *ut sic,* h. e. in sciendo. — Secundus est proprius et habetur cum aliqua scientia habet principia sua non per se nota, sed in alia scientia manifestata; ut theologia nostra supernaturalis subalternatur scientiae beatorum. Tertius modus tunc inducit propriissimam subalternationem, quando subiectum inferioris scientiae addit *accidentalem differentiam* supra subiectum superioris, ut visuale supra lineam, non autem *differentiam essentialiter* (quia eadem scientia quae de genere agit, agit etiam de speciebus sub eo contentis, et sic secundum hoc non attenditur diversitas scientiarum, et ideo neque subalternatio) neque solum *propriam* aliquam *passionem,* (quia propria passio non est diversum subiectum, sed aliquid, quod de subiecto aliquo demonstratur).

Tres ergo requiruntur conditiones ad subalternationem scientiarum:

1ª) quod subiectum subalternatae contrahat subiectum subalternantis; 2ª) quod superaddat differentiam accidentalem, ita ut reddat materiam subalternatae extraneam a materia subalternantis; 3ª) quod differentia accidentalis addita sit principium specialium passionum. (Ita plures).

Declaratur 2ª pars. — " Theoricus sive speculativus intellectus in hoc proprie ab operativo seu practico distinguitur, quod speculativus habet pro fine veritatem quam considerat, practicus autem veritatem consideratam ordinat in operationem tamquam in finem; et ideo dicit Philosophus, 3º *de anima,* quod differunt ad invicem fine; et in 2º *Metaph.,* dicitur, quod finis speculativae est veritas, finis operativae sive practicae, actio. Cum igitur oporteat materiam fini esse proportionatam, oportet practicarum scientiarum materiam esse res illas, quae a nostro opere fieri possunt, ut earum cognitio in operationem quasi in finem ordinari possit. Speculativarum vero scientiarnm materiam oportet esse res, quae a nostro opere non fiunt; unde earum

consideratio in operationem ordinari non potest sicut in finem; et secundum harum rerum distinctionem, oportet scientias speculativas distingui „[1]).

THESIS IV.ª — 1º Unitas vel multiplicitas generica in scientiis desumitur ex abstractione a materia; 2º unde scientiae speculativae reales sunt tres, nempe Physica, Mathematica et Metaphysica.

832. Probatur 1ª pars. — Materia scientiae speculativae debent esse illae res quae a nostro opere non fiunt, unde earum consideratio in operationem tamquam in finem ordinari non potest: ideoque scientiae speculativae distinguuntur per differentias obiectorum. Atqui quando habitus vel potentia penes obiecta distinguuntur, per illas differentias debent distingui, quae sunt per se obiectorum inquantum sunt obiecta. Ergo scientiae speculativae dividantur oportet per differentias speculabilium, inquantum sunt speculabilia; speculabile enim enim est obiectum scientiae speculativae. Sed differentia speculabilium, inquantum speculabilia, est abstractio a materia: Ergo secundum hanc abstractionem debent dividi scientiae speculativae, seu accipi in eis unitas vel multiplicitas.

En verba S. Thomae (*in Boët. de Trinit.* q. 5. a. 1.) " Et ideo oportet scientias speculativas dividi per differentias speculabilium, inquantum sunt speculabilia. Speculabili autem, secundum quod est subiectum speculativae potentiae, aliquid competit ex parte potentiae intellectivae, et aliquid ex parte habitus scientiae, quo intellectus perficitur. Ex parte quippe intellectus competit ei quod sit immateriale, quia et ipse immaterialis est, ex parte vero scientiae competit ei quod sit necessarium, quia scientia de necessariis est, ut probatur 1º *Post.* Omne autem necessarium, inquantum huiusmodi, est immobile, quia omne quod movetur, inquantum huiusmodi, possibile est esse et non esse, vel simpliciter, vel secundum quid, ut videtur in 10º *Metaph.* Sic igitur speculabili quod est obiectum speculativae scientiae, per se competit separatio et a materia et a motu, vel applicatio;

---

[1]) S. Th. *In lib. Boëtii de Trinitate.* Q. V. a. 1. c.

et ideo secundum ordinem remotionis et a materia et a motu, scientiae speculativae distinguuntur „.

Probatur 2ª pars. — Unitas vel multiplicitas in scientiis speculativis desumi debet, ut probatum est ex abstractione a materia. Ergo tot erunt scientiae speculativae reales, quot sunt abstractiones a materia. Atqui hae sunt tantum tres. Ergo tres tantum debent dari scientiae speculativae reales, sl. Physica, Mathematica et Metaphysica.

Probatur minor. — Abstractio fieri potest vel eorum quae dependent a materia *secundum esse et intellectum* et hoc modo habetur scientia Physica, quae etsi praescindat ab hac materia signata, et individuali, tamen eius obiectum cum sit *ens mobile* non invenitur nisi in hac materia.

Alia abstractio est eorum, quae dependent a materia *secundum esse et non secundum intellectum,* et haec pertinet ad Mathematicam, quae praescindit ab omni materia sensibili; nam definitio circuli e. g. vel lineae, non valet tantum pro illo circulo qui est signatus in auro vel in argento, sed pro quocumque circulo in quacumque materia signatus. Ergo Mathematica etsi possit intelligi sine ulla reflexione ad materiam, tamen quod in ea demonstratur non invenitur nisi in materia, nam eius obiectum est *ens quantum.* Tertia abstractio est eorum, quae non dependent a materia *neque secundum esse, neque secundum intellectum,* sive simpliciter ut Deus et Angelus, sive praecisive, ut substantia, qualitas, actus et potentia et alia huiusmodi, et de his agit Metaphysica, cuius obiectum est *ens ut sic,* et eius demonstrationes valent pro omni ente.

Praeter has abstractiones eorum, quae speculari possunt, nempe a materia individuali, a materia sensibili, et tandem ab omni materia, impossibilis est, ut patet, alia abstractio entis realis quae sub his non contineatur. Ergo praedicta divisio est omnino adaequata.

833. Scholion. I. *De Logica et Morali.* — Scientiis supra enumeratis adiungendae sunt aliae duae, Logica scilicet et Moralis. Logica est quidem scientia speculativa, sed non fuit posita in priore scientiarum speculativarum divisione, quia differt ab illis propter subiectum; illae enim versantur circa ens reale, haec

vero quaerit tantum passiones entis rationis, et si quando agit de entibus realibus, hoc est omnino per accidens ; nihil autem distinguendum est ab eo quod ei convenit per accidens, sed ab eo quod competit per se.

Moralis vero est scientia peculiaris, et nullo modo potuit censeri inter praedictas : quamvis enim eius obiectum sit perquam reale, non tamen est speculativa, sed practica, ut ea quae ordinatur ad dirigendos actus volontatis, ut homo possit bene recteque vivere, religiose ea munera complendo quae Deo, sibi ipsi et humanae societati debet.

834. Scolion 2°. — Relate ad abstractionem mathematicorum, ex S. Thoma haec sunt notanda. — S. Th. 1. p. q. 40. a. 3. : " Duplex fit abstractio per intellectum. Una quidem secundum quod universale abstrahitur a particulari (h. e. a singulari vel a minus universali) ut animal ab homine. Alia vero secundum quod forma abstrahitur (per intellectum tantum) a materia ; sicut forma circuli abstrahitur per intellectum ab omni materia sensibili. Inter has autem abstractiones haec est differentia, *quod in abstractione quae fit secundum universale et particulare, non remanet id a quo fit abstractio.* Remota enim ab homine differentia rationali non remanet *in intellectu* homo sed solum animal. *In abstractione vero quae attenditur secundum formam a materia* (en habes abstractionem formalem) *utrumque manet in intellectu.* Abstrahendo enim formam circuli ab aere, remanet seorsum in intellectu nostro et intellectus circuli et intellectus aeris „.

Et II *Phys.* lect III : " Quia mathematicus considerat lineas et puncta et superficies et huiusmodi accidentia eorum, non in quantum sunt *termini corporis naturalis,* ideo dicitur abstrahere a materia sensibili et naturali. Et causa quare possunt abstrahere est ista : quia *secundum intellectum sunt abstracta a motu.* Ad cuius causae evidentiam considerandum est quod *multa sunt coniuncta secundum rem, quorum unum* non est de intellectu alterius, sicut album et musicum coniunguntur in aliquo subiecto et tamen unum non est de intellectu alterius ; et ideo potest unum *separatim intelligi* sine alio. Et hoc est *unum intellectum esse abstractum ab alio.* Manifestum est autem quod

posteriora non sunt de intellectu priorum, sed e contra. Unde priora possunt intelligi sine posterioribus et non e contra: sicut patet quod *animal est prius homine* et *prius est homo hoc homine; nam homo se habet ex additione ad animal, et hic homo ex additione ad hominem,* et propter hoc, homo non est de intellectu animalis, nec Socrates de intellectu hominis: unde animal potest intelligi absque homine, et homo absque Socrate et aliis individuis, *et hoc est abstrahere universale a particulari.* Similiter autem et inter accidentia omnia, quae adveniunt substantiae, primo advenit ei quantitas et deinde qualitates sensibiles et actiones et passiones et motus consequentes sensibiles qualitates. Sic igitur *quantitas non claudit in suo intellectu qualitates sensibiles,* vel passiones vel motus, claudit tamen in sui intellectu substantiam (materialem, quae intelligibilis est, non sensibilis). Potest igitur intelligi quantitas sine *materia subiecta motui et qualitatibus sensibilibus* non tamen absque substantia (ac proinde sine materia importata per ipsam naturam corpoream quae ut sic intelligibilis est non sensibilis, sensibilis enim est per sensibiles qualitates quae sunt posteriores quantitate). Et ideo huiusmodi quantitates et quae eis accidunt, sunt secundum intellectum abstracta *a motu et a materia sensibili, non autem a materia intelligibili,* ut dicitur in 7° *Metaph.* Quia igitur sic sunt abstracta a motu secundum intellectum quod *non claudunt in suo intellectu materiam sensibilem subiectam motui,* ideo mathematicus potest abstrahere a *materia sensibili;* et nihil differt quantum ad veritatem considerationis utrum sic vel sic considerentur „.

Haec perpende diligenter ut semel pro semper intelligas quid sit abstrahere a materia signata, a materia sensibili, ab omni materia etiam intelligibili, quod est abstrahere etiam ab ipsa substantia materiali quae subtracta quantitate remanet intelligibilis non quasi non involvat in suo conceptu materiam sed quia praescindit ab omnibus per quae materialis substantia sub sensu cadere potest [1]).

---

[1]) Unitas in principiis unius scientiae habetur ex subordinatione omnium ad unum primum in illa scientia quod tandem (ut diximus agentes

835. Obiectiones. — **Ob. 1ª.** Communiter Philosophia dividitur in septem artes liberales. Atqui inter has non continentur Metaphysica neque Physica. Ergo Metaphysica et Physica non sunt partes scientiae speculativae, sive Philosophiae.

Resp. *D.M.* Artes liberales sunt veluti quaedam viae, quibus preparatur animus ad alias philosophicas disciplinas *C.M.;* dividunt adaequate Philosophiam *N.M.* — *C.m.* — *N.C.* — Artes liberales non dividunt sufficienter Philosophiam, imo plures ex ipsis neque pertinent ad eam stricte sumptam, sed sunt tantum viae quaedam, per quas vivax animus ad secreta Philosophiae ingreditur. Numerantur inter eas etiam Logica et Mathematica quia (ut dicit Hugo de S. Victore, *Didascalon* 3°) his primum erudiebantur, qui Philosophiam discere volebant: Logica quidem quia docet modum omnium scientiarum, et modus sciendi debet quaeri aute scientias; Mathematica vero et non Physica, quia facilior est, et etiam a pueris potest sciri, dum contra Physica, cum requirat experimentum, non tam facile ab ipsis addiscitur. Hae autem inter alias scientias vocantur artes, quia praeter cognitionem habent etiam opus aliquod, quod est immediate ipsius rationis, ut construere, syllogizare, orationem formare, numerare etc. : et contra aliae scientiae vel non habent opus ut Metaphysica, sed cognitionem tantum, et tunc nomine artis gaudere non possunt; vel habent opus corporale, ut Medicina et huiusmodi, et tunc non possunt dici artes *liberales,* quia huiusmodi actus sunt hominis ex parte illa, qua non est *liber*, scilicet ex parte corporis [1]).

Ob. 2ª. Totum non debet dividi contra partem. Atqui Me-

---

de criteriis) est ipsa definitio subiecti, ex quo et prima principia et conclusiones immediatae, melius dixeris, proximae, usque ad remotas procedunt. Principium enim subordinatum alteri, desumit ab ipso virtutem. Et principia sunt lumen illud sub quo scientia attingit conclusiones. Hinc intelliges etiam quae dicit S. Th. (I. IIae q. 54 a. 2. ad 2m) " Tota virtus demonstrationis, quae est syllogismus faciens scire.., dependet ex medio (quod est definitio subiecti) et ideo diversa media sunt sicut diversa principia activa secundum quae habitus scientiarum diversificantur „.

[1]) Ita P. Alamannus *Log.* q. XXXVI. a. ad 2m.

taphysica est totum repectu Physicae et Mathematicae; nam subiecta istarum sunt partes subiecti illius, quod est ens, cuius partes sunt substantia mobilis, quae consideratur a Physica, et quantitas quae consideratur a Mathematica. Ergo scientia speculativa non debet dividi in Metaphysicam, Physicam et Mathematicam sicut in partes.

Resp. *C.M.* — *D.m.* Est totum respectu Physicae et Mathematicae, quia istae habent idem subiectum materiale *Tr. m.;* quia habent idem subiectum formale, et idem obiectum formale *N.m.* — *D. rat. ad.* Subiecta Physicae et Mathesis sunt partes subiecti Metaphysicae materialiter inspecti, *C.m;* formaliter *N.m.* — *N.C.* — Licet subiecta scientiarum sint partes entis, quod est subiectum Metaphysicae, non tamen oportet, quod aliae scientiae sint partes eius; accipit enim unaquaeque scientia unam partem entis secundum specialem modum distinctum a modo, quo consideratur ens in Metaphysica. Unde proprie loquendo subiectum aliarum scientiarum, licet materialiter inspectum sit pars entis, quod est subiectum Metaphysicae, tamen non est pars ipsius subiecti inspecti formaliter, et secundum hanc rationem Metaphysica est specialis scientia aliis condivisa [1]).

Ob. 3.ª Sicut dantur entia coniuncta materiae secundum esse et non secundum rationem, ut entia Mathematica; et secundum esse et rationem, ut Physica; et secundum neutrum, ut Metaphysica; ita possunt dari entia coniuncta materiae secundum rationem et non secundum esse, et de his erit quarta scientia speculativa. Ergo divisio scientiae speculativae in tres non est sufficiens.

Resp. *N.A.* — Nam, cum intellectus, quantum est de se, sit immaterialis, est absurdum quod detur aliqua res, quae dependeat a materia secundum rationem sive secundum intellectum, non vero secundum esse. Ergo neque quarta scientia speculativa potest dari praeter praedictas.

Ob. 4.ª Esse abstractum, vel non abstractum, sunt differentiae accidentales rebus, quae sciuntur; animatum vero vel

---

[1]) Cf. *ibid.* ad 4m.

inanimatum esse, sunt essentiales. Atqui scientiarum distinctio ab essentialibus differentiis sumi debet. Ergo scientiae non distinguuntur ex abstractione.

Resp. *D.A.* Esse abstractum, vel non abstractum, sunt differentiae accidentales rebus, quae sciuntur, materialiter inspectis *C.A.;* rebus formaliter inspectis sub ratione scibilium *N.A.* — *C.m.* — *N.C.* — Esse abstractum vel non abstractum sunt differentiae essentiales rerum, in quantum sunt scibiles [1]).

Ob. 5ª. Numeri, dimensiones et figurae, de quibus agit Mathematica, ita sunt in materia sicut reliqua accidentia et qualitates, de quibus tractat Physica. Sed Physica bene distinguitur a Mathematica. Ergo scientiae speculativae non distinguuntur per abstractionem a materia.

Resp. *D.M.* Entia mathematica sunt in materia, ita ut non possint considerari sine materia affecta quantitate (quae dicitur materia intelligibilis), quin tamen oporteat considerare materiam sensibilem, nempe materiam subiectam qualitatibus sensibilibus (calido, frigido, duro etc.) quae consideratur a Physica *C.M.;* debet considerare etiam materiam sensibilem *N.M.* — *C.m.* — *N.C.* [2]).

Ob. 6ª. Scientiae, secundum Philosophum, distinguuntur secundum diversa principia et media. Atqui haec consequuntur diversas rerum naturas, non diversas abstractiones. Ergo.

Resp. *D.M.* Distinguuntur secundum media et diversa principia in genere scibili, idest secundum abstractionem a materia *C.M.;* in genere rei *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* [3]).

THESIS V.ª — 1° **Unitas vel distinctio specifica scientiarum sumitur ex unitate vel distinctione specifica principiorum intra idem genus scibilis, nempe ex unitate obiecti formalis;** 2° **non autem ex subiecto neque ex obiecto materiali.**

---

[1]) Cf. P. Alamannus l. c. a. 2. ad 2m.

[2]) Cf. *ibid.* ad 4m.

[3]) Cf. *ibid.* ad 5m.

836. Praenotandum. — Ad rectam intelligentiam thesis, in memoriam revocanda sunt, quae diximus in Logica Minori [nn. 1, 2, 3] de obiecto et subiecto scientiarum. *Subiectum* scientiae est illud, de quo in conclusionibus dicuntur praedicata: *Obiectum* est id, quod per scientiam demonstratur, idest quod infertur ex principiis eiusdem scientiae. Hoc autem obiectum potest esse formale et materiale: *obiectum formale* sunt conclusiones pronti illuminantur a principiis, vel (ut alii dicunt, et verum est dummodo recte intelligatur [Cfr. Log. Min. n. 3 in nota]) sunt ipsa principia; *obiectum vero materiale* sunt conclusiones ipsae materialiter inspectae. Nunc ergo volumus probare quod scientiae distinguuntur inter se non per diversitatem subiecti, sed per diversitatem conclusionum formaliter inspectarum, vel per diversitatem principiorum, ex quibus conclusiones in qualibet scientia deducuntur; quod intelligimus brevius dicendo scientiarum diversitatem sumi ex diversitate obiecti formalis.

837. Probatur 1ª pars. — *Unitas vel distinctio specifica cuiuslibet scientiae sumitur ex obiecto formali.* — Nam processus cuiuslibet scientiae est quasi quidam motus rationis. Atqui unitas et species cuiuslibet motus consideratur ex termino principali [1]). Ergo unitas et species cuiuslibet scientiae consideratur ex termino ipsius. Sed terminus principalis scientiae sunt principia, ex quibus deducuntur conclusiones, vel ipsae conclusiones non materialiter inspectae, sed formaliter prout illuminantur a principiis. Ergo unitas et species cuiuslibet scientiae desumitur ex obiecto formali.

Declaratur. — Terminus alicuius motus potest considerari materialiter et formaliter: materialiter sumptus est res ad quam tendit motus; formaliter vero, est ratio, secundum quam illa res terminat motum; ut v. g. terminus materialis motus lapidis cadentis in terram vel aquam, est terra vel aqua prout sunt huiusmodi; formalis vero, est terra vel aqua non in quantum huiusmodi, sed quatenus sunt deorsum. Eodem modo terminus motus scientifici materialiter sumptus sunt conclusiones,

---

[1]) Arist. 5 *Phys.* text. 35, c. 6.

quae de subiecto probantur, sed in se consideratae, v. g. quod terra sit rotunda etc.; formaliter vero sumptus, sunt conclusiones ipsae prouti deducuntur a talibus principiis v. gr. quod terra sit rotunda, prouti hoc probatur per principia Astronomiae vel Physicae. Patet ergo quod sicut motus lapidis cadentis non habet unitatem et speciem ex hoc, quod lapis movetur in terram vel aquam, sed ex hoc quod movetur deorsum et cadit in terram vel in aquam quia deorsum sunt; sic scientia non desumit unitatem et speciem ex hoc, quod *talem* deducit *conclusionem* (alioquin quia Astronomia et Physica in eandem conclusionem conveniunt, quod nempe terra sit rotunda, deberet dici quod non sint duae scientiae satis distinctae, sed unica scientia, quod manifesto absurdum est), sed ex hoc, quod talem conclusionem deducit *ex talibus principiis,* nempe ex unitate obiecti formalis.

Probatur 2ª pars. — *Scientiae non desumunt speciem ex subiecto neque ex obiecto materiali.* Patet ex hoc, quod si diversitas subiecti sufficeret ad diversitatem scientiarum, pro singulis rebus singulae scientiae haberentur, dum contra videmus quod una scientia optime plures res materialiter disparatas considerat, quae tamen unificantur in aliquo respectu sub quo a tali scientia considerantur: sic v. g. Metaphysica non plures modo, sed omnino universas res considerat, sub ratione tamen communi *entis ut entis* [1]).

Sed dicimus quod neque diversitas *obiecti materialis* sufficit ad diversificationem scientiarum. Nam quantumcumque diversae sint inter se conclusiones materialiter inspectae, si tamen unificantur in principiis, nempe si defluunt ex iisdem principiis, et illuminantur omnes ab ipsis, pertinent ad unicam scientiam [2]).

---

[1]) Quidam dicunt quod scientia specificatur a *subiecto formali:* sed patet quod subiectum formale est subiectum sub illa determinata ratione secundum quam attingitur a tali scientia: ratio autem diversae attingibilitatis pendet a diversitate principiorum uniuscuiusque scientiae. Unde ultimo specificatio adhuc est ab obiecto formali.

[2]) "Sicut autem formalis ratio visibilis sumitur ex lumine, per quod color videtur, ita formalis ratio scibilis accipitur secundum media, quae

Patet ergo quod tantum ex diversitate *principiorum* sive *obiecti formalis* diversificantur scientiae. Nam, ut diximus, etiam conclusiones diversae si procedunt ex unicis principiis alicuius scientiae, pertinent ad illam scientiam, cuius sunt principia: dum contra una et eadem conclusio potest ad diversas scientias pertinere, si deducitur ex diversis principiis. Sic v. g. conclusio quod terra sit rotunda est unica, et tamen potest pertinere tum ad Astronomiam tum ad Physicam, quia utraque illam demonstrat per principia omnino diversa.

838. Obiectiones. — **Ob. 1.ª** Dicit Philosophus (3° *De Anima* text. 38, c. 8) quod scientiae secantur sicut res. Ergo quaelibet scientia habet suam unitatem a subiecto, circa quod versatur.

Resp. *C. Text.* et *D. sens.* Scientiae secantur sicut res, nempe dividuntur per res, ut scibiles sunt, seu per ordinem ad medium, per quod conclusio deducitur de tali re *C. sens.;* dividuntur per res materialiter sumptas, nempe ut res sunt *N. sens.* — *N.C.* — Sensus Philosophi est quod scientia et sensus condividuntur in res, idest dividuntur in actum et potentiam, sicut et res, quia nimirum sensus et scientia in potentia ordinantur ad sensibilia et scibilia in potentia; sensus vero et scientia in actu ordinantur ad sensibilia et scibilia in actu.

Ob. 2.ª Unitas scientiarum sumitur ex unitate principiorum, et diversitas scientiarum ex diversitate principiorum. Atqui principia consequuntur res. Ergo scientiae sumunt unitatem vel diversitatem a rebus, ut res sunt.

Resp. *D.M.* Unitas scientiae sumitur ex unitate principiorum, et diversitas scientiarum ex diversitate principiorum *in*

---

sunt activa principia, per quae aliquid scitur. Et ideo quantumcumque sint aliqua diversa scibilia per suam naturam, dummodo per eadem principia sciantur, pertinent ad unam scientiam, quia iam non erunt diversa in quantum sunt scibilia, sunt enim per sua principia scibilia; sicut patet, quod voces humanae multum differunt secundum suam naturam a sonis inanimatorum corporum, sed quia secundum eadem principia attenditur consonantia in vocibus humanis et inanimatorum corporum, eadem est scientia musica, quae de utrisque considerat „ (S. Th. I° *Post. An.* lect. 41ª).

genere scibilis C.M.; ex unitate vel diversitate principiorum simpliciter, nempe si principia considerantur materialiter *N.M.* — *Cdm.* — *N.C.* — Sicut ad unitatem scientiae non sufficit unitas primorum principiorum simpliciter, sed requiritur unitas in eodem genere scibilis, quae oritur ex modo uniformi cognoscendi; ita ad distinctionem requiritur diversitas principiorum in genere scibilis, quae oritur ex diverso modo cognoscendi.

Ob. 3.[a] Ununquodque intantum est scibile inquantum est ens. Atqui scientia habet unitatem ab obiecto scibili. Ergo habet unitatem ab obiecto inquantum est ens.

Resp. *D.M.* Unumquodque intantum est scibile materialiter inquantum est ens *C.M.:* intantum est scibile formaliter *Sbd.:* inquantum est ens a materia et a motu separatum *C.M.,* inquantum est ens in materia subsistens *N.M.* — *Cdm.* Habet unitatem ab obiecto formaliter scibili *Cm.;* materialiter scibili *N.m.* — *N.C.*

APPENDIX A.

De Analogia principiorum.

Agentes de Analogia, notavimus [n. 550] quomodo usus analogiae extendatur ad ipsa principia. Sed quia consideratio ista, summi est momenti in intelligentia S. Thomae, praesertim in re metaphysica, ideo aliquam ulteriorem declarationem hic subiicimus.

Exemplo sit principium illud "*primum in unoquoque genere est causa* (vel *mensura*) *ceterorum*„. — In hoc principio omnia analoganda sunt, scilicet ipsum "*primum*„ quod a nobis in numeris forte prius attenditur seu in numerando, et deinde analogari debet ad omnes modos prioritatis, ordinis, naturae, secundum se, quoad nostram cognitionem etc. Analogari debet "*genus*„ quod scilicet non intelligitur solum de genere stricte dicto, sed de genere analogo et de analoga specie, de omni scilicet genere in quo attendi possit prius et posterius; quod proprie intervenit tantum in analogis, si sermo sit de rationibus essentialibus. — Item analogari debet illud quod dicitur "*causa*„ vel "*mensura*„ pro diversitate enim generis in quo fit applicatio principii haec omnia variantur simpliciter et toto caelo. Sic etiam illud "*ceterorum*„ tantae subest analogationi quanta est analogatio generum in quibus primum consideratur.

Certitudo metaphysica maxima est prae certitudine, ut diximus, aliarum scientiarum, quia ex paucissimis procedit et non habet subiectum suum ex additione. Cum descendis tamen ex altitudine illa speculationis analogicae tam late se extendentis quam late se porrigit ipsum ens, et generalissima axiomata applicas seorsim huic vel illi generi determinato, nisi in analogando sis sagax, ex defectu tuo incerta putabis aut etiam falsa ea quae perspicax intellectus, in uno plurima pervidens (seu potius quam in uno, secundum proportionem ad unum) non modo ut certa, sed ut per se ipsa evidentia in terminis, sine ulla probatione statim admittit [1]).

1) Cfr. S. Th. *Met.* II lect. 3.

Sed dicis: quomodo iste miles qui est primus in agmine est causa omnium militum? quomodo primum pomum quod apparet in arbore est causa omnium aliorum quae oriuntur post? quomodo prima sella quam artifex fecit est causa omnium sellarum? Primus sapiens nostri temporis omnium aliorum causa? — Sic descendendo tot instantias quidam inveniunt ut principia universalissima a sapientissimis asserta, brevi suo ingenio, falsa prorsus esse decernant. Defectus autem totus ex parte eorum est, qui vim analogiae non tenent; sicut enim in analogis idem est nomen, id vero quod per nomen significatur in analogatis est simpliciter diversum, ita principium aliquod universalissime prolatum, unum quidem est in se, sed diversissimam habet applicationem seu analogationem (si ita loqui fas est ratione terminorum qui analogantur) ad plura. — Consideras primum militem in agmine. — Memento ergo quod non consideras hic rationem *primi* secundum naturam, vel secundum generationem, vel secundum dignitatem, vel secundum staturam, vel secundum tempus, etc. sed secundum prioritatem ordinis in linea illa militum quae se extendit usque ad ultimum illum qui ibi est. Hoc posito, quid quaeris quod sit causa ceterorum v. gr. secundum generationem, vel secundum dignitatem, etc.? Hoc profecto stultum est. — Primus ille, est solummodo *primus in linea illa* militum; en genus in quo sumis primum; quaere ergo in eodem omnino genere quomodo sit causa (vel mensura) et videbis omnino principium evidenter verificari. Primus in linea est causa quod secundus in linea sit secundus in linea, tertius in linea sit tertius in linea, etc. usque ad ultimum. Et si vis probationem: ablata causa tollitur effectus. Tolle primum illum militem, et secundus in linea non erit amplius secundus, vigesimus non erit amplius vigesimus, etc. et secundus factus primus, causa erit simili modo quod tertius jam sit secundus et vigesimus jam sit undevigesimus. — Sed en transis mihi ad poma quae apparent in arbore. Primum pomum quod apparet quomodo est causa ceterorum? — Quo modo hic accipis primum? in quo genere? — Suppono *temporis;* hoc anno vere ineunte. Si hoc pomum hoc anno in hac arbore *tempore tantum* primum est, causa erit omnibus aliis quod sint, hoc quidem quod postea oritur, tempore secundum, hoc tertium etc. non quidem in situ ut milites in linea, sed quantum ad prioritatem vel posterioritatem temporis in apparendo.

Si dicis: Primus homo Adam fuit causa omnium hominum, vides quod sumis primum in generando; et sic est causa secundum generationem. — Vides analogari etiam modum causalitatis; sic respectu sellarum prima sella non solum utpote prima tempore fuit causa quod aliae essent tempore posteriores sed etiam causa exemplaris esse potuit omnium aliarum, etc. etc.

Et qui sagaci sit ingenio in analogando non indiget descendere ad singula sed *ex consideratis in uno aliquo genere, statim videt id quod in hoc genere suo modo valet, id ipsum suo modo valere in omni prorsus ge-*

nere. Sicut etiam apertissime videt, in quocumque genere datur magis et minus, hoc dari non posse sine habitudine ad aliquid quod sit maxime tale, et etiam evidentius quod ubicumque datur prius et posterius debet dari etiam primum. — Et sicut in quolibet particulari genere est causa ceterorum omnium quae in illo genere continentur, ita primum in genere universalissimo entium debet esse causa omnium entium et quidem in quantum sunt entia. — Nec fieri potest quod non sit primum in entibus, cum ratio entis de pluribus dicatur non eodem modo sed secundum prius et posterius. — Et quia prioritas haec et posterioritas accipitur in ipso ordine entis, primum illud erit maxime ens et causa omnis entis. Et quia prioritas in ordine entis attenditur secundum nobilitatem, perfectionem, etc. primum ens erit maxime nobile, et perfectissimum, etc. — Sic etiam in logica consideravimus in ordine cognitionis nostrae primum; et quidem primum in toto ordine cognitionis sive sensitivae sive intellectivae, et in ordine scientificae cognitionis et in ordine etiam principiorum immediatorum et simplicium apprehensionum: et ascendimus ad Deum ipsum ut ad primam causam et mensuram omnium intellectuum et omnium rerum. Et vidimus etiam in illo ordine quo modo aliquid est primum, eodem modo illud esse aliorum causam et mensuram et in eodem ordine. — Saepe accidet quod idem aliquid sub multiplici respectu et in multiplici ordine sit primum (ut Rex in regno, dignitate, potestate, etc.) et tunc secundum diversas considerationes diversis modis causandi (exemplariter, finaliter, efficienter; aliae enim causae sunt intrinsecae et non se habent ad cetera seu nequeunt esse ceterorum causae immediate) diversis, inquam, causandi modis seu in diverso causalitatis genere erit causa et mensura ceterorum. — Sic unitas quae primum est in genere numeri, licet non sit numerus, est causa numerorum omnium et mensurat omnes numeros (numerus enim est multitudo mensurata per unum) etc.

Haec sufficiat indicasse. In praxi curabimus, dum de metaphysicis agemus, perpendere analogationem quae assidue habetur in omnibus. Et hoc praesertim notabimus in S. Thoma, cuius metaphysicam totam, in qua perexcellens est, pervadit analogia. — Quo enim altius se attollit humanus intellectus et altiora speculatur, eo magis ad plura analogando extendit ea quae in inferioribus intuetur, non enim aliter ad ea assurgere possumus quae supra nos sunt. — Quamvis etiam ad ea quae intra nos sunt saepissime ex magis notis in nobis ipsis analogando quodammodo descendamus.

Consideremus aliud principium S. Thomae ab Aristotele desumptum *" Quando aliqua plura ordinantur ad unum, oportet unum eorum esse regulans sive regens et alia regulata sive recta "*. Considera quam multipliciter possint aliqua plura ordinari in unum, quam diversa esse possint quae sic ordinantur, in quam diversis generibus accipi possint, quam diversimode accipi possit illud unum ad quod ordinantur, quam diversus conse-

quenter esse possit modus regendi et regulandi et quam ample analogetur; et perpende etiam pluralitatem illam et unitatem quae tangitur in effato, quam varia esse possit; possunt enim plura accipi ut plures partes in uno toto, quae erunt plura secundum quid, et plura entia quae sint plures totalitates. Sit. e. gr. unio animae et corporis, quae duo faciunt unum simpliciter et anima regit corpus suo modo, totaliter seu simpliciter diverso a modo quo sessor equum; sed etiam equus et sessor ordinantur in unum et sessor regit equum. Ordinantur in unum horologii rotae et in horologii partibus unum se habet ut regulans, alia ut recta. Et secundum unam considerationem regulans erit hoc, regulatum hoc aliud, secundum aliam aliud regulans, aliud regulatum. — Sic in omnibus machinis. Sic fundamentum regit aedificium aliter quam gubernatur navim; etc. Item habes exemplum in ipsis viribus animae, in quibus primus regulans est intellectus. Idem dic de pluribus hominibus in unam familiam, vel civitatem, vel in unum regnum adunatis. Idem dic de virtutibus pluribus in una anima sive agas de naturalibus et aquisitis sive de supernaturalibus et infusis. Transeas si vis ad astrorum et maxime planetarum motus et iterum idem percipere poteris. — Ad mathematica transeas. — Uno verbo ad omnia; dummodo modum regendi et regulandi et reliqua quae in principio continentur callide analogare scias, videbis etiam in hoc exemplo quam magna in huiusmodi effatis sapientia lateat; et quomodo sic in uno plurima et fere dixerim infinita videre sapientis sit et extendendo considerationem ad omnia deveniens ad primum regens totius universi *Deum*.

Atque illud etiam in huiusmodi accidit, quod talium quae sic asseruntur veritatem percipiat quilibet etiam mediocris ingenii vir, sed quantum distabit a sapientia eius qui non modo veritatem talium principiorum in paucis quibusdam percipiat, sed extentionem etiam eorum intellectu comprehendat. Quippe tanto quisque sapientior *quanto plura in uno*, videt; quod sine peritia analogandi fieri non potest — qui autem hoc callet principia universalissima ita extendit ad omne ens ut *in uno* quodammodo non modo *plura* sed omnia videat, quippe ens ad omnia se extendit.

Atque inde est, quod notamus saepissime dum legimus angelici Doctoris altissimas speculationes, apud eumdem in diversissimis materiis, eadem principia recurrere, quae forte ne suspicatus quidem fueras ad talia genera rerum posse applicari. Quia scilicet veritatem quidem eorum in aliquo genere pervideras etiam evidenter, analogationem vero amplissimam talium principiorum, forte ne suspicatus quidem fueras. Et sunt qui incerta omnia putent quando transferuntur quaedam ad genus totaliter aliud ab eo in quo ipsis solummodo principia illa sunt nota, propter parvitatem ingenii et analogationis ignorantiam. Sed is qui in lectione S. Thomae sit assiduus, plene talium principiorum vim penetrare poterit.

APPENDIX B.

De Veritate Relativa.

Scribit P. Semeria (*Scienza e Fede* 51. 52.): "Per sapere se noi conosciamo la cosa, come è in sè, converrebbe che noi potessimo apprenderla in due modi, ossia come la cosa è in sè indipendentemente da ogni nostra cognizione, e come la cosa appare a noi, per potere così fare il confronto. Ora ciò è assurdo ed impossibile. Dunque noi non possiamo sapere se la nostra cognizione corrisponde alla realtà „.

Considera ergo quam sophistica sit talis argumentatio: supponit enim illud ipsum quod probare contendit: in tantum enim ad cognoscendam rem ut *est in seipsa* requireretur praedicta duplex cognitio, in quantum supponitur quod *aliter est res in se independenter a nostra cognitione,* et aliter est res *ut apparet nobis.* Patet enim quod si res ut est in se, esset *illa ipsa quae apparet nobis,* ridicula esset ipsa positio praedictae duplicis cognitionis. Porro ex ipsa natura, certissimi sumus quod nostrae facultates cognoscitivae referunt nobis *res ipsas* ut sunt, non autem *apparitiones* earumdem. Ergo, nisi quis sit veneno Kantiano prorsus imbutus, concludere debet quod ipsa positio P. Semeria est in se falsa et contradictoria.

Verum est quod ad habendam cognitionem perfectam debemus cognoscere formam quam de re apprehendimus *esse in re:* sed hoc ipsum est quod nos obtinemus per iudicium. Per iudicium enim nos cognoscimus conformitatem nostrae apprehensionis de re, cum ipsa re; et hoc exprimimus per affirmationem qua formam apprehensam de re (praedicatum) asserimus esse in re (in subiecto).

Adverte autem quomodo contra huiusmodi fautores *veritatis relativae* optime procedi possit eo modo quo procedere solemus contra Scepticos, ad quos tandem et isti pseudophilosophi reducuntur.

Detur namque quod omnis veritas sit relativa. Optime sane. Erit ergo relativa haec ipsa veritas quod — *omnis veritas est relativa.* — Si hoc non conceditur, ergo falsum est quod omnis veritas sit relativa: datur enim aliqua veritas absoluta, haec ipsa nempe quod — *omnis veritas*

est relativa. — Quod si concedatur et istam veritatem esse relativam, iterum inquirimus utrum hoc saltem sit verum absolutum: — *quod sit verum relative, omnem veritatem esse relativam.* — Et hoc modo procedendo, hoc unum forte certissime et absolute verum ostendes: — *veritatem relativam, ad absolutam amentiam ducere.*

Valde quoque notanda sunt sequentia: Ausonio Franchi, adhuc *rationalista* haec scribebat: "Una conoscenza *assoluta* della verità, in qualunque ordine di cose reali, eccede intrinsecamente, essenzialmente le facoltà dello spirito umano „. (*Del Sentimento* p. 269). In *Ultima Critica* vero, relatis praedictis verbis, subiungit: "Ah! ci siamo: ecco l'Achille del razionalismo! pe'l quale da Kant e massime da Comte in poi, l'*orrore dell'assoluto* fa la parte che una volta faceva l'*orrore del vuoto* o piuttosto la paura del folletto, dell'orco e della versiera. Basta la parola *assoluto,* sustantivo o aggettivo che sia, a fargli perdere la testa, a segno tale da spacciar l'assoluto per qualche cosa di assolutamente inconoscibile, inconcepibile, impossibile, mentre lo ha di continuo in bocca e lo ficca in ogni discorso, e ne parla o ne ciancia più che ogni altra cosa. Or bene quella proposizione, *a cui il razionalismo appicca ormai il valore di un assioma,* e con cui sentenzia impossibile una cognizione assoluta della verità, *è il più bel caso di sofisteria* che possa immaginarsi. L'abbiamo già provato poc'anzi: ma dacchè si ripete la fallacia, conviene rifare od ampliare la confutazione etc. „. Et post plura subdit: "Ed il sistema che condanna la ragione ad aggirarsi perpetuamente in questo labirinto dell'errore, si chiama razionalismo! e si vanta salvatore della scienza! e si gloria d'averla liberata dalla servitù del dogmatismo cristiano!..... S'adempie quindi nell'ordine logico la legge eterna di giustizia come nell'ordine morale: *Per quae quis peccat, per haec et torquetur* (Sap. XI. 17). La ragione che ha negato Dio, dee rinegare sè stessa. Dove sognava il trionfo, trova il suicidio! „ Aurea verba, numquam satis ponderanda!

APPENDIX C.

Confirmatio doctrinae de veracitate sensuum [n. 626 sq.].

Placet confirmare doctrinam quae late exposita est circa veracitatem sensuum in percipiendis rebus in propria ratione obiectiva, et circa naturam sonus etc., hoc testimonio S. Thomae:

" Omnis alteratio fit secundum qualitatem sensibilem, quae est tertia species qualitatis. Secundum illa enim alterantur corpora, quibus corpora ab invicem differunt: quae sunt sensibiles qualitates, ut gravitas vel levitas, durities et mollities quae percipiuntur tactu, sonus et non sonus qui percipiuntur auditu. Sed tamen si *sonus in actu accipiatur, est qualitas in aere, consequens aliquem motum localem:* unde non videtur secundum huiusmodi qualitatem esse primo et per se alteratio: si vero sonus in aptitudine accipitur, sic per aliquam alterationem fit aliquid sonabile vel non sonabile. (Item) *albedo* et *nigredo* quae pertinent ad visum: *dulcedo* et *amaritudo* quae pertinent ad gustum etc.„. (VII *Phys.* l. IV).

Unde mens Angelici, in hac quaestione, satis est manifesta: nullam autem percipiebat difficultatem S. Thomas in hoc quod plures qualitates inveniantur in uno medio, et in unitatem quamdam reducantur (la risultante): nullam item difficultatem in hoc quod qualitates istae *consequantur motum localem* et ideo proportionentur ipsi, et se habeant *ad modum alicuius fluentis* consequenter ad fluentem propagationem ipsius motus per idem medium. Eo modo ergo quo vibrationes propagantur per medium, et qualitates analogae propagari, nullo modo repugnat.

P. Semeria (*Scienza e Fede* 49-50) sic scribit: " Questo dubbio, se cioè le nostre sensazioni corrispondano a qualche cosa di esterno, prendeva maggior forza per una teoria od ipotesi generale, la quale si presentava, se non proprio sicurissima, tanto seducente da indurre negli animi la certezza. Il medio evo aveva creduto senza discussione alla realtà delle qualità secondarie dei corpi, calore, sapore, suono: aveva creduto che i colori, i suoni fossero fuori di noi, in sè, quel che sono per noi... Ecco anche qui farsi nella concezione scientifica una grande rivoluzione. Alla vecchia teoria della emissione si sostituisce la teoria delle vibrazioni: la

luce non è luce, è moto, ed i colori sono anche essi indipendentemente dal nostro occhio nient'altro che moto: solo il nostro occhio elabora quel moto e lo trasforma in colore, mentre l'orecchio alla sua volta elabora le vibrazioni dell'aria trasformandola in suono. Talchè se non ci fossero orecchi al mondo e non ci fossero occhi, non si avrebbero nè armonie nè colori „. Haec ille: et ex hac doctrina ad *scepticismum* et ad *veritatem relativam* statim procedit.

Quod quidem confirmatur ab Ausonio Franchi (*Ultima Critica* I. n. 149) ubi manifeste ostendit quomodo ex dicta doctrina ad plenum agnosticismum facilis atque logicus est processus.

Concludamus ergo hisce praeclaris verbis P. Mattiussi: (*Veleno Kanziano* p. 182): "Dunque sia fermo: nemmeno un punto di quello che l'intelletto conosce di dover attribuire alle cose, è da ritenere invero come impressione soggettiva. Prender gli errori a metà non fa che aggiunger incoerenza, con la vanità di andare avanti ad occhi chiusi, senza vedere le conseguenze che non si vogliono. Ma il danno è eguale, perchè la logica inesorabile trascina all'estremità, fuggita invano: e l'acqua entra per una fessura, più lenta, ma certa portatrice di rovina, come se la nave fosse spaccata. Dite che qualche parte di ciò che sembra obbiettivo è invece soggettiva? Or rispondete, quanto è cotesto? Se ammettete anche un pochissimo, non vi è ragione di negare il di più, non c'è motivo di fermarsi prima di conceder tutto, poichè s'è tolto vigore all'assoluto principio che la mente è fatta pel vero: che per sè la natura è buona. Che se è cattiva, errando per sè, non v'è altro con che portarle salute. Ove si rinunci a un sol punto naturalmente certo, è impossibile escludere qualunque altro assurdo, e qui tosto viene l'universale negazione d'ogni certezza. *Parvus error in principio magnus est in fine,* e ogni goccia di veleno Kanziano corrompe tutta la mole delle umane cognizioni „.

Nota. Si quis putaret quaestionem praedictam parvi esse momenti et totam reduci ad lusum verborum, facile patet talem non assecutum fuisse statum quaestionis; non enim quaestio est utrum nomen lucis tribuendum sit vibrationibus aetheris vel motibus magneticis etc., sed utrum *existat* in rerum natura hoc ens quod est lux, sonus etc., an e contra existat in rerum natura extra sentientem *causa tantum* huius entis quod denominatur lux, sonus etc., quod ens consequenter *primo* resultabit tantum in oculo respective et in aure etc. Porro contendimus quod si hoc secundum asseritur, de veracitate sensuum nostrorum actum est.

APPENDIX D.

De ratione erroris.

Quamvis ea quae dicta sunt [n. 655] ex S. Thoma circa propriam naturam erroris, sint de se omnino manifesta, tamen ut omnis ratio dubitandi praecludatur, haec quoque in confirmationem dictorum, addimus.

Manifestum est quod ut praesumptio habeatur in iudicio, omnino requiritur quod qui iudicat, sententiam de ignoratis ferat *absolute,* idest non *iuxta allegata.* Patet enim quod si quis sententiam fert secundum quod exigunt allegata, tunc nulla praesumptio habetur, et consequenter nullus error *formalis,* quamvis iudicium materialiter inspectum non sit conforme veritati rei. Et haec est procul dubio mens Angelici Doctoris. Nam 2.ª 2.ae q. 67. a. 2. explicite dicit: "iudicare debent iudices veritatem *iuxta ea quae fuerunt sibi proposita*„ et iterum "iudicare pertinet ad iudicem secundum quod fungitur publica potestate; et ideo informari debet in iudicando non secundum id quod ipse novit tanquam privata persona, sed *secundum id quod sibi innotescit tanquam personae publicae* etc.„ et (ad 2.m) ad difficultatem "homo in iudicando debet divino iudicio conformari... sed *iudicium Dei est secundum veritatem* ut dicitur Rom. 2. 2... Ergo iudex non debet *secundum ea quae* coram ipso probantur, sententiam ferre contra ea quae ipse novit„ sic respondet:... "dicendum quod Deo competit iudicare secundum propriam potestatem: et ideo in iudicando informatur secundum veritatem quam ipse cognoscit, *non secundum hoc quod ab aliis accipit...* Alii autem iudices non iudicant secundum propriam potestatem; et *ideo non est similis ratio*„; et iterum "... in his quae pertinent ad publicam potestatem, debet homo informare conscientiam suam *secundum ea quae in publico iudicio sciri possunt* etc.„ (ad 4.m) et adhuc: "iudex non peccat, *secundum allegata* sententiam ferens„ (q. 64. a 6. ad 3.m). Et ex his locis sufficienter patet quomodo iuxta mentem S. Thomae, tunc tantum committitur *error formalis* quando *absolute,* idest *non iuxta ea quae hic et nunc allegantur,* de ignoratis sententia fertur. Unde manifestissime patet quomodo in causa Galilei, ut *ibid.* notatum est, attentis sapientissimis normis iuridicis Tribunalis S. I. et attentis allegatis,

nullus error formalis in praedicto Tribunali deprehendi potest. Imo error formalis tunc revera fuisset si absque sufficientibus probationibus *demonstrativis,* iudices, contra normas iuridicas dicti Tribunalis, sententiam contrariam protulissent.

Contra praedictam doctrinam S. Thomae arguunt quidam dicentes quod falsum numquam potest veris argumentis probari: unde etiam iudicando iuxta allegata, formalis error haberi potest: et hoc accidit, addunt, in causa Galilei.

Sed hoc nihil est. Nam in primis *argumentum retorquetur.* Hoc ipso enim quod falsum nunquam potest veris argumentis probari, sequitur quod numquam *iudicando iuxta allegata,* seu *iuxta vim argumentorum quae afferuntur*, formalis error haberi potest. Patet enim quod si, ut dicitur, falsum non potest veris argumentis necessario comprobari, ille qui iudicat *iuxta realitatem argumentorum* quae afferuntur, vel non iudicabit falso, si deprehenderit argumenta non esse probativa, vel si deprehenderit argumenta non habere nisi aliquam probabilitatem, iudicabit *non absolute,* sed *ut ferunt argumenta allata* seu cum aliqua probabilitate (itaque admittens probabilitatem oppositi), et consequenter in errorem formalem non incurret. — Ex ipsa ergo obiectione confirmatur doctrina S. Thomae.

Sed praeterea non sine manifesta ignoratione elenchi, argumentum praedictum urgeri potest in causa Galilei. Nam ibi nullo modo aliqua sententia vel doctrina falsa, ut vera declarata est: non enim declaratum seu definitum est quod sol moveatur vel aliquid huiusmodi. Sed hoc unice declaratum est " non esse recedendum a sensu litterali S. Scripturae propter rationes allatas a Galileo „. Atqui tunc solum talis sententia potuisset esse falsa quando rationes allatae a Galileo fuissent *apodictivae seu demonstrativae;* et dico *demonstrativae,* non tantum quomodocumque *probabiles.* Nam, iuxta sapientissimas normas dicti Tribunalis, ob rationes *mere* probabiles, a litterali sensu non est recedendum. Ergo sententia dicti Tribunalis, et tunc et nunc *ut vera* haberi debet.

Quod si ultimo dicis: — debuisset saltem dictum Tribunal permittere ut sententia Galilei doceretur ut probabilis, — adhuc, ut patet, laboras ignorantia elenchi, quasi hoc fuisset inter attributiones dicti Tribunalis. Nam ut dictum est norma est talis Tribunalis, ut propter rationes mere probabiles a sensu litterali non recedatur. Quod si quis hanc ipsam normam impugnare velit, ad Theologiam Sacram erit remittendus; et interim temeritatis notam non vitabit.

APPENDIX E.

De modo quo intellectus et voluntas influant in actum fidei.

Summa: 1. *Virtus unius actus manet in sequenti.* 2. *Duplex intimatio.* 3. *Ad assensum fidei requiritur intimatio una motione, nempe imperium.* 4. *Quomodo se habeant motiva voluntatis.* 5. *Non specificant actum fidei, sed accidentaliter se habent.* 6. *Discrimen inter assensum scientificum et assensum fidei quantum ad meritum: cur assensus fidei non meritorius tribuatur evidentiae credibilitatis.* 7. *Ratio confusionis apud auctores.* 8. *Cur fides meritoria non tribuitur evidentiae: explicantur verba Christi D. ad Thomam Ap.*[m]. 9. *De Fide Beatissimae Virginis.* 10. *Quid dicendum de fide coacta.* 11. *Cur fides daemonum non sit univoca sed analoga Fidei Fidelium.*

Dictum est [n. 722 sq.] quod fides est actus intellectus secundum quod movetur a voluntate: sed praestat hoc ulterius declarare et ostendere quomodo voluntas diversimode influat in ipsum actum Fidei.

1. Praesupponendum ergo est, quod actus voluntatis et rationis supra se invicem possunt ferri; unde contingit, actum voluntatis praeveniri ab actu rationis et e converso. Et quia virtus prioris actus remanet in actu sequenti, contingit quandoque quod est aliquis actus voluntatis, secundum quod manet virtute in ipso aliquid de actu rationis, et e converso aliquis actus rationis, secundum quod virtute manet in ipso aliquid de actu voluntatis.

2. Ulterius autem considerandum est, quod *imperium* est quidem actus rationis *essentialiter:* imperans enim ordinat eum cui imperat ad aliquid agendum intimando seu denunciando; ordinare autem hoc modo est rationis. Sed ratio potest intimare seu denunciare *dupliciter:* uno modo *absolute,* quae intimatio exprimitur per verbum indicativi modi, sicut si aliquis alicui dicat: *hoc est tibi faciendum;* aliquando autem ratio intimat aliquid alicui *movendo* ipsum ad hoc: et talis intimatio exprimitur per verbum imperitivi modi, puta cum alteri dicitur: *fac hoc.* In primo ergo casu, intimatio est mere opus rationis; sed in secundo casu, importat motionem voluntatis. Primum enim movens in viribus animae, est voluntas: cum ergo secundum movens non moveat nisi in virtute primi mo-

ventis, sequitur, quod hoc ipsum quod ratio movet imperando, sit ei ex virtute voluntatis.

3. Positis ergo motivis credibilitatis, intellectus necessario videt hoc enunciabile: *hoc est credendum:* et ad hoc videndum nulla requiritur motio voluntatis: haec est enim intimatio *absoluta,* quae ut dictum est, nullam involvit motionem voluntatis. Sed nondum habetur actus fidei, ut patet, quia nondum habetur assensus *in ipsam rem credendam.* Pariter positis praemissis evidentibus, intellectus videt necessario hoc enunciabile: *huic rei est assentiendum:* sed hoc interest inter processum fidei et processum scientiae, quod cum processus scientificus seu demonstrativus illuminet ipsam rem, impossibile est quod intellectus videat necessitatem assentiendi et non assentiat: necessario enim ab ipso obiecto iam determinatur intellectus. In processu demonstrativo ergo, intimatio absoluta omnino sufficit ad assensum.

Sed contra, in processu fidei, cum nempe agitur de *re credenda* seu *non visa,* intimatio absoluta non sufficit ad assensum: talis enim processus non illuminat ipsam rem, sed tantum credibilitatem eius: intellectus ergo *ab ipsa re* non adhuc movetur, porro assensus deberet terminari directe *ad ipsam rem,* et non tantum ad credibilitatem seu credenditatem ipsius. Requiritur ergo *secunda intimatio* seu intimatio quae involvit motionem voluntatis, et est proprie *imperium: crede.*

4. Nunc autem considerandum est quomodo voluntas moveat intellectum ad assensum, seu qua ratione voluntas inducatur ad movendum ipsum intellectus. Sed hic non iam quaerimus de eo quod *primo* constituat ipsam rationem fidei: quomodocumque enim voluntas intellectum moveat ad assensum rei non visae, iam habetur perfecte *ratio fidei:* sed inquirimus de rationibus quae, licet intrinsece afficiant ipsum actum fidei, et sub aliqua indeterminatione dici debeant ipsi essentiales (impossibile enim est quod voluntas moveat sine aliqua ratione sufficienti), tamen non constituunt primo, sed potius determinant fidem ut sit huius vel illius rationis.

5. Ubi tamen notandum est quod, proprie loquendo, differentiae quae se tenent ex parte voluntatis, in actu fidei, non diversificant fidem secundum speciem. "Cum enim fides sit perfectio intellectus, illud *per se* ad fidem pertinet, quod pertinet ad intellectum: quod autem pertinet ad voluntatem, non per se pertinet ad fidem, ita quod per hoc fidei habitus possit diversificari„. (2.ª 2.ae q. IV a 4.).

Porro motivum voluntatis potest esse vel obsequium praestandum ei cui creditur (et sic si agitur de fide quae praestatur Deo, est ex ordine voluntatis in bonum): vel ipsum bonum seu perfectio intellectus, quae acquiri potest adhaerendo alicui vero quamvis non viso. In utroque casu, motivum formale fidei est *auctoritas* (et sic semper habetur actus fidei): sed motivum voluntatis ad determinandum intellectum ut *assentiat propter autoritatem,* potest esse vel ordo voluntatis in bonum, vel bonum

ipsius intellectus qui convincitur ad hoc quod iudicet esse credendum, propter evidentia signa: bonum enim tunc apparet adhaesio rei non visae. (2.ª 2.ae q. 5. a 2.) — Unde apparet quod illi auctores qui dicunt dari posse fidem *propter evidentiam credibilitatis* et non propter auctoritatem, manifeste confundunt motivum intellectus cum motivo voluntatis. Assignant nempe tanquam motivum ipsius intellectus id quod, in aliquo casu, est motivum voluntatis: dum contra, motivum intellectus in quacumque fide, semper est idem, *auctoritas* nempe loquentis: et, agendo de fide divina, semper est *auctoritas Dei.* — Ex diversitate autem motivi voluntatis, diversificatur fides ut sit *laudabilis, meritoria, coacta,* quae tamen differentiae non constituunt proprie species diversas, quia non respiciunt ipsum motivum formale, ut dictum est: sed accidentaliter se habent.

6. Hinc etiam intelliges quomodo, praesupposita aliqua evidentia credibilitatis (quae semper requiritur ad actum fidei), motivum voluntatis ad determinandum intellectum ut adhaereat propter auctoritatem, nempe ut credat, adhuc potest esse vel ipsa perfectio intellectus, vel ordo in bonum: unde etiam illi qui habent evidentiam credibilitatis, possunt adhuc ponere actum fidei laudabilem et meritorium: ex motivo enim voluntatis, non vero ex motivo intellectus (quod semper est idem) pendet moralitas actus. Et in hoc patet discrimen inter assensum scientificum et assensum fidei: nam assensus scientiae non subiicitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum propter efficaciam demonstrationis, et ideo assensus scientiae non est meritorium (quamvis consideratio actualis rei scitae possit esse meritoria): sed in fide utrumque subiacet libero arbitrio, nempe et *consideratio* et *ipse assensus,* unde secundum utrumque potest homo mereri (2.ª 2.ae q. II. a. 9 ad 2m). Non solum enim intellectus humanus posita quacumque evidentia credibilitatis, adhuc non assentit sine libera motione voluntatis, sed adhuc potest voluntas moveri ad determinandum assensum vel propter ordinem voluntatis in bonum vel propter *solum* bonum intellectus; in hoc secundo casu motio voluntatis tribuitur evidentiae credibilitatis, non quasi ipsa evidentia moveat voluntatem, sed quia evidentia credibilitatis ostendit bonum quod est in adhaesione vero non viso, quod bonum in hoc casu est unicum *motivum voluntatis.* (Iterum adverte quod dico — *motivum voluntatis:* semper enim motivum formale intellectus in assensu fidei est *auctoritas;* secus fides nullo modo haberetur). In *primo casu* vero, motio voluntatis non tribuitur evidentiae credibilitatis, non quasi evidentia credibilitatis non praerequiratur, sed quia motivum voluntatis in determinando assensum, non est amplius bonum ipsius intellectus formaliter (quamvis et hoc concomitanter et habeatur et intendatur) sed bonum alterius ordinis, nempe bonum obsequii praestandi personae, v. g. Deo loquenti.

7. Et ista est ratio propter quam aliqui auctores dicunt quod in fide debemus avertere mentem a motivis credibilitatis: confundunt nempe *moti-*

vum formale ipsius fidei, cum motivo inducente voluntatem ad credendum ; et cum videant quod voluntas, in actu fidei meritoriae non movetur ex evidentia credibilitatis sed ex ordine ad bonum, deducunt quod evidentia credibilitatis impediat actum fidei, ideoque ab ipsa intellectus sit avertendus. — Sed contra, a) *evidentia credibilitatis numquam est motivum formale fidei ;* b) *item numquam est motivum ipsius voluntatis imperantis actum fidei* (proprie loquendo) ; sed c) *si motivum voluntatis est unice bonum intellectus* (ut dictum est), *fides tribuitur ipsi evidentiae credibilitatis, et fides non est laudabilis nec meritoria ;* d) *cum quo tamen optime stat, quod posita evidentia credibilitatis, voluntas potest moveri non a bono ipsius intellectus formaliter, sed a bono alterius ordinis, puta a bono divino ; ita tamen ut bonum ipsius intellectus concomitanter et intendetur et habeatur.*

8. Hinc etiam intelliges cur communiter fides meritoria non tribuatur evidentiae credibilitatis, et Christus Dominus dixerit Thomae : *" Quia vidisti me, Thoma, credisti : beati qui non viderunt et crediderunt „ Jo.* 20. 29. — Per hoc enim nullo modo insinuatur quod evidentia credibilitatis possit esse motivum formale fidei, quod est absurdum : neque quod evidentia credibilitatis obstet actui fidei ; sed tantum quod fides ipsa (assensus propter auctoritatem Dei) in aliquo casu potest non esse bona nec laudabilis : quando nempe motivum voluntatis est *unice bonum proprium :* quod ostenditur per hoc ipsum quod quis sufficientibus motivis credibilitatis non est contentus, sed imponit, ut ita dicam, Deo, quasdam conditiones sine quibus non vult credere seu exigit a Deo determinata signa credibilitatis, sicut fecerat Thomas : hoc enim ostendit nullam in tali fide inveniri propensionem animi in bonum divinum, sed totaliter hominem intendere bonum proprium : quod est malum et peccatum.

9. Ex alia vero parte, cum perfectissima evidentia credibilitatis, optime stat quod voluntas, determinando intellectum ad assensum, intendat obsequium seu bonum divinum : et sic Beatissima Virgo Maria, *Virgo* vere *fidelis,* licet procul dubio evidentissima habuerit motiva credibilitatis circa ea quae sunt fidei, tamen perfectissime meritum fidei habuit.

10. Ultimum dubium remaneret, utrum in casu quod fides sit *coacta* propter evidentiam signorum, adhuc possit absolute loquendo attendi meritum. S. Thomas, ut vidimus, loquitur de fide coacta tantum agendo de daemonibus ; et quamvis dicat quod Angeli boni ante confirmationem, necessario habuerunt fidem, non tamen dicit quod fides eorum fuerit coacta (2.ª 2.ae q. 5. a. 1) : et tamen videtur quod angeli boni ante confirmationem habere potuerunt evidentiam credibilitatis non secus ac daemones habeant post lapsum. Videtur ergo dicendum quod secundum S. Doctorem fides semper possit esse meritoria non tantum *ratione actualis considerationis* sicut de scientia dicitur, sed etiam ratione ipsius *assensus.* Quamvis enim secluso ordine voluntatis in bonum, voluntas debeat dici coacta ad assensum, et ideo assensus non possit amplius cadere sub merito, tamen videtur quod si voluntas sit in bonum, nempe in Deum ordinata, ad ipsum

bonum divinum fortiori modo moveri possit quam ad ipsum bonum naturae propriae; et ideo fides non esset coacta et adhuc caderet sub merito. — Haec tamen opinative dicimus, arguendo ex verbis S. Doctoris: ceterum quaestio haec mere est ordinis speculativi, cum de facto numquam fides humana esse possit coacta, et ideo semper assensus fidei, inter homines, cadat sub merito.

11. Adverte denique quod, ut vidimus cum S. Doctore, differentiae quae attendi possunt in fide ex parte voluntatis, non diversificant *per se* fidem ipsam, et tamen ex alia parte, idem S. Doctor dicit quod fides daemonum analogice dicitur fides si comparetur cum fide Fidelium: ex quo deducitur quod differentia inter fidem fidelium et daemonum se teneat ex parte ipsius obiecti formalis: et re quidem vera, fides fidelium, utpote supernaturalis, habet pro obiecto formali auctoritatem Dei *formaliter ut Auctoris ordinis supernaturalis:* contra, fides daemonum habet pro obiecto formali auctoritatem Dei tanquam Entis Summe Sapientis et Summe Veracis *in ipso ordine naturali.* Contra fides peccatoris, quamvis informis, habet idem obiectum formale ac Fides iusti, unde fides formata et fides informis non sunt diversi habitus; et eadem fides informis, per charitatem fieri potest formata (2.ª 2.ae q. 4. a. 4. c. ar. 1).

12. Et cum his principiis S. Thomae, habes unde tibi iudicium rectum formare possis in hac quaestione sane difficili, quae tamen hisce praesertim temporibus, maximi est momenti. Hoc nempe modo facile repelles fallacias Immanentistarum qui loquuntur de fide quae praescindat a motivis credibilitatis, a quocumque processu rationali (" *la fede non sta sulla punta d' un sillogismo „)* et ab ipsa obiectiva veritate rei quae creditur: facile quoque refutabis errorem illorum qui exagerando influxum voluntatis in actum fidei, vel confundentes dispositiones illas quae quomodocumque reddunt hominem magis propensum ad amplectenda dogmata fidei, omnia fere quae ad fidem pertinent *bonae voluntati* attribuunt: facile denique vitabis deceptionem illorum qui putantes evidentiam credibilitatis quomodocumque obstare actui fidei, transferunt obscuritatem quae propria est obiecto materiali fidei ad ipsum obiectum formale, et sic ad omnes errores facilem viam aperiunt. — Et ita manifeste patet quomodo principia S. Thomae, ad omnes errores profligandos, aptissima sint.

APPENDIX F.

De valore hypothesis apud rerum physicarum cultores.

Cum saepissime cernamus illas, quae a physicae praesertim cultoribus hypotheses dicuntur, plurimum his temporibus usurpari ; haec pauca adnotanda esse censuimus.

Quidam sunt e physicis qui asserunt quod optima methodus in scientia est illa qua nos, postquam plura facta animadvertimus semper eodem proportionali modo se habentia, positis iisdem circumstantiis ; deducimus legem aliquam *empiricam* (ut ipsi vocant), experimentalem, et inde plures leges experimentales veluti contrahimus ad pauca principia e quibus legitime possint deduci vel exacte vel proportionali modo et leges plures experimentales et ipsa facta singularia. Quidam ergo affirmant quod illa principia adhibenda sunt ut hypotheses ; quae ergo nihil sint nisi comprehensio plurium legum experimentalium sed theorico modo exposita, veluti imago vel expressio symbolica plurium veritatum physicarum. En quae dicit P. Duhem in " *Revue des questions scientifiques* „ – Tome I. - Janvier 1892 - p. 146. — " La méthode idéale et parfaite consisterait à ne pas prendre d' autres hypothèses que la traduction symbolique, en langage mathématique, de quelques-unes des lois expérimentales dont on veut représenter l' ensemble. Dans ces conditions, le dévellopement de la thèorie serait lui-même, tout entier, la traduction symbolique, en langage mathématique, d' un raisonnement susceptible d' être formulé en langage ordinaire ; ce raisonnement prendrait pour principes les lois expérimentales, qu' ont symbolisées les hypothèses ; il aurait pour conclusions les lois expérimentales que symbolisent les conséquences de la théorie. L' analyse mathématique ne jouerait d' autre rôle que celui d' abréger, d' alléger le langage.... „. Cf. *ibidem.*

Patet quod huiusmodi hypotheses (quae revera non sunt nisi artificiosae collectiones seu ordinationes factorum) non pertinent ad *scientiam* physicam *proprie* dictam : non enim ordinantur ad inquisitionem naturae causarum talium phaenomenorum, et ideo recedunt a processu scientifico proprie dicto. Valde tamen utiles esse possunt ad progressum cognitionum

empiricarum, quae nunc abusive *scientiam* constituere dicuntur : dum contra meram *historiam rerum naturalium* simpliciter non excedunt. Sed quidquid sit de nomine, tales hypotheses ad philosophum, utpote qui processum vere scientificum tantum considerat, non pertinent.

Plerique tamen physici sequentes instructum naturae rationalis quae vult indagare causam rerum, non instituunt meras coordinationes factorum, sed per hypotheses, veram causam talium factorum assignare contendunt. Sic e. g. prosequitur praedictus auctor : " Mais nous l' avons dit, les hypothèses sur lesquelles repose une théorie ne sont jamais la traduction exacte des lois expérimentales. Toutes, elles résultent d' une modification plus ou moin profonde imposée à des lois expérimentales par l'esprit du théoricien. Or, de ce que les hypothèses sur lesquelles repose une théorie renferment quelque chose qui n' était pas dans les lois expérimentales par lesquelles elles ont été suggérées, il suit que la certitude et l' exactitude de ces lois ne se retrouvent pas tout entières dans les conséquences de la théorie. Les lois physiques que symboliseraient les conséquences de la théorie peuvent ne pas être toutes exactes. On peut mettre en fait que, quelque vaste et sûre que soit une théorie physique, lorsqu' on la pousse suffisamment loin, elle aboutit toujours à des conséquences contraires à l' expérience „. L. c. p. 149. et iterum : " Mais en réalité..., toutes les hypothèses.... sont le résultat d' une transformation imposée à la loi expérimentale par l' esprit du physicien ; et c' est par là qu' elles sont modifiables ; deux physiciens différents peuvent faire subir à une même loi expérimentale une transformation différente, par conséquent énoncer deux hypothèses différentes, construire deux théories différentes, aboutir à des conséquences différentes „. L. c. pag. 153. Cf. *ibid.*

Dicendum est ergo quod tales hypotheses admitti possunt sub maiori vel minori probabilitate, dummodo verificent illas conditiones de quibus dictum est [n. 798].

Presertim attendendum ne unquam aliqua hypothesis admittatur quae in se aliquid manifeste falsum seu absurdum includat. Talis enim hypothesis omnino est reiicienda, ut ibidem declaratum est. Cavendum iterum ne ex positione consequentis arguatur ad certam positionem antecedentis : talis enim processus est illegitimus cf. [n. 800].

Et sub his conditionibus, hypotheses physicorum ad processum vere scientificum valde utiles esse possunt.

De Epist. Cath. B. Iudae Apost.

" . . . Charissimi, memores estote verborum quae praedicta sunt
„ ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi: qui dicebant vobis quo-
„ niam in novissimo tempore venient illusores.... Hi sunt qui se-
„ gregant semetipsos.... Spiritum non habentes — nubes sine aqua,
„ quae a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosae,
„ bis mortuae, eradicatae: fluctus feri maris, despumantes suas con-
„ fusiones, sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est
„ in aeternum. — Vos autem, charissimi, superaedificantes vosme-
„ tipsos sanctissimae vestrae fidei... vosmetipsos in dilectione Dei
„ servate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in
„ vitam aeternam. Et hos quidem arguite iudicatos: illos vero sal-
„ vate, de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore: odientes
„ et eam, quae carnalis est, maculatam tunicam. Ei autem, qui po-
„ tens est vos conservare sine peccato, et constituere ante conspectum
„ gloriae suae immaculatos in exultatione in adventu Domini no-
„ stri Iesu Christi, Soli Deo Salvatori nostro, per Iesum Christum
„ Dominum nostrum, gloria et magnificentia, imperium et potestas
„ ante omne saeculum, et nunc, et in omnia saecula saeculorum.
„ Amen „.

Virgini Deiparae.

Quas modo, late scrutantes arcana Sophiae,
Primitias laeti carpsimus, alma Parens;
Has Tibi nunc retulisse iuvat, quae turpe retectos
Detegis una dolos, iudiciumque regis.

INDEX RERUM

in utraque Logica contentarum.

Nota. — Indicantur numeri marginales; *N.* significat Notam in corpore libri positam; *n.* notam in calce.

Abstractio. — Duplex abstractio, composita et simplex, 471, ob. 4ª. — Universalitas non praecedit sed consequitur abstractionem, 482, *b*). — Natura in statu abstractionis non est de se universalis, sed potest recipere intentionem universalitatis, 493, Th. XI.ª - Universale materiale fit per simplicem abstractionem intellectus possibilis, 502, 503. — Obiectiones solvuntur, 504. — Per quam abstractionem habeantur nomina abstracta, 510, 512, 513, 514, 515, 516, 517, 518: Cfr. **Praedicabilitas.** — Abstractio est ratio constitutiva rerum in ordine intelligibilium, 520, Vm.

Accidens. — Quid sit, 142, V. — Accidens "*logicum*„ sive "*praedicabile*„ *ib.* — Accidens "*metaphysicum*„ sive "*praedicamentale*„ 157. — Quid significet "praedicari per accidens„ 140, 158. — Totum universale per accidens, 211. — Triplex eius divisio, 212. — Unum per accidens, 213. — Cfr. **Divisio, Totum.** — Non constituitur praedicabile in oppositione ad substantiam, sed in oppositione ad essentiam et ad ea, quae eam necessario consequuntur, 542. — Eius definitiones probantur, 543. — Quomodo separetur per intellectum accidens inseparabile, 544. — Est universale tantum relate ad subiecta, quae denominat accidentaliter, 545.

Aequipollentia. — Proprietas enunciationis, 311, *in fine.* — Aequipollentia absolutarum, 325. — Eius definitio, *ib.* — Tres Regulae aequipollentiae, 326. — Quid de subcontrariis advertendum, *ib., N.* — Versiculi pro aequipollentia syncategorematum 327. — Aequipollentia modalium, 328. — *Purpurea, Iliace, Amabimus, Edentuli*, 329. — Notae, *ib.*

Aeternitas. — Proprietas universalium, 509. — Quomodo sit intelligenda, 519, 1º. — Nullo modo est positiva, 520, IIm.

Affectus. — Non potest esse supremum veritatis criterium, 751, 752, 754, 756.

Agnosticismus. — 631; 659, III, 2º, *n.*; 668, *n.*; 682, *n.*; 751; App. **C** (p. 552).

Alienatio. — Termini proprietas, 74. — Quid sit, 132.

Ampliatio. — Termini proprietas, 74. — Quid sit, 128. — Vocatur *extensio* si non excludit tempus impor-

tatum per verbum ; *distractio* si excludit, *ib.* — Quid si terminus est singularis, 129 ; — et quid si est communis, *ib.*

Analogia. — Quid sit terminus analogus, 65. — Analogia attributionis et proportionalitatis, 66, 67, 68. — Cfr. **Terminus**. — Quanti momenti sit quaestio de Analogia, 550. — In omni analogia habetur proportio sive habitudo ad unum, 551 ; 552, 1ª p. — Analogia unius ad alterum, duorum ad tertium, 552, 2ª p. — Analogia nominum dictorum de Deo et creaturis est semper unius ad alterum, *ib.*, 3ª p. — Princeps analogum potest considerari secundum impositionem nominis, vel secundum rem, *ib.*, 4ª p. — Obiecta solvuntur 553. — Illud unum, ad quod analogata dicunt ordinem, debet poni in definitione omnium, 554. — Nota de Nominibus divinis, 552, 2ª p., *n.* ; 555. — Analogia importat diversitatem simpliciter et identitatem secundum quid, 556. — Quid sit analogia physica a logica distinguenda, 557. — Scholion, 558. — Explicatur et probatur divisio analogiae in analogiam " secundum intentionem tantum et non secundum esse „ et in analogiam " secundum intentionem et secundum esse „ 559, 560, 561. — Unum et idem potest esse (secundum diversam rationem) analogum attributionis et proportionalitatis, 562. — Analogum stat semper pro famosiori significato, 563. — Obiectiones solvuntur, 564. — Ratio per nomen significata in analogia attributionis est intrinsece in uno, et extrinsece in aliis ; sed in analogia proportionalitatis est intrinsece in omnibus, 565. — Nota de analogia metaphorica, 566. — Quomodo ratio analoga distinguatur ab analogatis in utraque analogia, 567. — Tantum analogum proportionalitatis propriae est medium demonstrationis, 568. — Quomodo ratio analoga abstrahi possit ab analogatis, 569. — Obiectiones solvuntur, 570. — Divisio analogiae logicae est adaequata, et analogi in analogata, 571. — Cui analogiae competat per prius ratio communis (analogiae), *ib., n.* — Obiectiones solvuntur, 572. — Quomodo communitas attendatur in univocis et analogis, 573. — Nullum nomen dicitur analogum vel univocum nisi respectu ad ea, de quibus dicitur, 574, — *De Analogia principiorum*, Appendix **A** (pag. 545, 546, 547, 548).

Angeli. — Quomodo cognoscant res et quomodo loquantur inter se, 37, *n.* — Quomodo habeant veritatem sine compositione et divisione, 609, ob. 4ª. — Cognitio matutina et vespertina, 697, ob. 1ª. — Ob perspicaciam intellectus angelici, angeli mali coguntur assentire rebus revelatis, nempe voluntas cogitur ad hoc ut moveat intellectum ad credendum, 726, IV°, *n.*, 2°. — In Angelis bonis ante confirmationem fuit fides, 733, ob. 6ª, *n.*

Antepraedicamenta. — Quid et quaenam sint, 143, 546. — *Primo :* ens dicitur " analogice „ de praedicamentis, superiora " univoce „ in quolibet praed., unum praed. de alio " denominative „ 144. — *Secundo :* quid sit " dici de subiecto „ et " esse in subiecto „ 145. — *Regula antepraedicamentalis*, 146. — Appendix : De quatuor modis dicendi *per se*, 147. — De iisdem brevius, considerando cum S. Th. varios usus praepositionis " *per* „ 148. — Declaratur definitio *Aequivocorum, Univocorum, Denominativorum,*

547. — Scholion de denominativis, 548. — Obiectiones solvuntur, 549. — De **Analogia** vide suo loco. — De *complexis* et *incomplexis*, 575. — Utrum Aristoteles bene dividat ea, quae sunt, in quatuor membra, 576. — Utrum verae sint duae *regulae antepraedicamentales*, 577, 578.

Appellatio. — Termini proprietas, 74. — Quid sit, 134.

Argumentatio. — Eius definitio, 337. — Quid antecedens, consequens, et consequentia, 338. — Forma argumentationis, 339. — Consequentia formalis et materialis, 340. — Argumentatio bona et mala, 341. — Argumentationis materia, 342. — Utrum dentur consequentiae, quae argumentationes non sint, 343. — Divisiones argumentationis, 344. — Eius regulae communes, 345. — Quot sint eius species, 346, et *n.* — Cfr. *singulae suis locis, praesertim* **Syllogismus** *et* **Inductio**.

Ascensus et Descensus. — Termini proprietas, 74. — Cur de iis agatur ante Regulas suppositionum, 105. — Quid sit *Descensus*, et quotuplex, 106. — 1° Copulativus, 107. — 2° Copulatus, 108. — 3° Disiunctivus, 109. — 4° Disiunctus, 110. — Quid sit *Ascensus*, 111; — et quotuplex, 112. — 1° A terminis "copulative„ acceptis ad terminum supponentem confuse distributive, *ib.* — 2° A terminis "copulatim„ acceptis ad supponentem confuse collective, 113. — 3° A terminis "disiunctive„ acceptis ad supponentem determinate 114. — 4° A terminis "disiunctim„ acceptis ad supponentem confuse tantum, 115. — — Observationes: I. Ascensus et descensus proprie non habentur nisi in suppositione accidentali, 116. — II. De "signis„ seu syncategorematis terminorum communium ascensus et descensus cognitionem iuvantibus, 117. — Syncategorema significat extensionem suppositionis ad inferiora, 118, 1°. — Syncategoremata universalia, particularia, mixta, *ib.*, 2°. — Quid dicendum de numeris totam communitatem non exprimentibus, *ib.*, 3°.

Auctoritas. — Quid sit, et quid requiratur ad eam habendam, 714, 716. — Est obiectum formale fidei, 715. — Quomodo credere propter auctoritatem testis sit honorare ipsum, 730, ob. 1.ª — Non est signum demonstrativum, nempe visionis, rei creditae, 731, 732, 733. — Auctoritas plurium testium non est merus cumulus probabilitatum, 738, 1° et 2°.

Cartesius *Renatus*. — 457; 472; 627, IV°, *n.*; 647; 659, III°, 3°, et *n.*; 666, *n.*; 702. — Refutatur eius dubitatio methodica, quia innititur falso supposito, illogice procedit, sibi contradicit aut circulum vitiosum committit, quaestioni non satisfacit, imo logice duceret ad scepticismum etiam circa res fidei, 740, 741, 742. — 745; 750, 8.°; 768.

Categoriae *Kantianae*. — Quid sint et quot, 665, VIII. — Dum applicantur sensibilibus, exsurgunt *schemata, ib.*, IX. — Quid cognoscatur per hanc elaborationem, *ib.*, X. — Reiiciuntur simul cum schematis et ideis, 677. — Obiectiones solvuntur, 678.

Certitudo. — Eius definitio, 650. — Importat perfectam determinationem ad unum, ideoque aliquam necessitatem saltem hypotheticam, 698, 699. — Admittit gradus, et dividitur in metaphysicam, physicam et mo-

ralem, 700. — Obiectiones solvuntur, 701. — *De Criteriis certitudinis,* 702 et seqq.: Cfr. **Criterium, Evidentia, Fides**. — Certitudo fidei supernaturalis excedit omnem aliam certitudinem etiam metaphysicam, 734, 735, 736. — Potest haberi aliquando omnimoda certitudo etiam ex solo testimonio hominum, 737.

Cognitio. — Perfecta et imperfecta, 697, ob. 1ª. — Matutina et vespertina in Angelis, *ib.* et *nn.* — Utrum cognitio per species infusas possit esse simul cum visione intuitiva, *ib.*, ob. 4ª. — Prima intrinseca mensura cognitionis nostrae intellectivae sunt prima simplicia apprehensa, 706; — mensura extrinseca est apprehensio sensuum, et res ipsae a divino intellectu mensuratae, 707. — Modus acquirendi cognitionem, 762, 763 et seqq.: Cf. **Demonstratio, Scientia.**

Compositio et Divisio. — Secunda mentis operatio, 27. — Cfr. **Iudicium**.

Conceptualismus. — 458; 474. — Conceptualismus Kantii: Cfr. **Kant**.

Conceptus. — Quid sit, 30. — Formalis et obiectivus, 31. — Quomodo etiam vocetur conceptus formalis, *ib.*, *n.*; 502. — Utrum plures in eadem re dari possint conceptus obiectivi, 32. — Utrum sit idem ac *ratio*, 33. — Utrum sit in re, 34. — Tripliciter se habet ad rem, quae est extra animam, *ib.*

Conclusio. — Aliquando cognoscitur statim ac apprehenditur minor formaliter ut minor, 767. — Debet praecognosci secundum quid ante demonstrationem, 768, 769. — Causatur a praemissis tanquam a causa efficienti, 772, 773, 774, 775, 776. — Obiectiones solvuntur, 777.

Conscientia. — Quid sit, 643, IV.º — Eius testimonium ut indubium haberi debet, 644, 645. — Obiectiones solvuntur, 646. — Non potest esse supremum veritatis criterium, 751, *sub. fin.*; 758.

Conversio. — Enunciationis proprietas, 311, *in fine.* — Conversio absolutarum, 330. — Eius definitio, *ib.* — Conversio simplex, per accidens, per contrapositionem, 331. — Harum usus, 332. — Regulae conversionis singularium, 333. — Animadversio de valore logico illationum in conversionibus, *ib., n.* — Conversio modalium, 334. — Regulae transpositionis dicti, 335.

Criterium. — Quanti momenti sit quaestio *de criteriis certitudinis,* 702. — Utrum dari possit criterium generale veritatis, *ib., sub fin.* — Opus est criterio tantum in iis, circa quae intellectus potest deficere, 703. — Primum criterium sunt principia indemonstrabilia, et praecipue principium contradictionis, 704. — *Falsa criteria Veritatis,* 740 et seqq.: Cf. **Cartesius, Ontologismus, Traditionalismus, Subiectivismus.**

Critica seu **Criteriologia**. - 456.

Critica rationis. — Quid sit, et cur vocetur a Kantio *transcendentalis,* 665, I et II. — Probatur quod est intrinsece absurda, 666. — Obiectiones solvuntur, 667.

Criticismus. — 659, III°, 4°: 663 et seqq.; 750, 8°. Cfr. **Kant.**

Daemones. — Quomodo sit fides in ipsis, 726, IV°. — Est vera fides, sed coacta propter evidentiam signorum credibilitatis, *ib., n.* — Utrum honorent Deum, Ipsi fidem praestando, 730, ob. 1ª.

Definitio. — Utrum pertineat ad primam mentis operationem, 173. — Eius natura, 174. — Cur saltem duobus vocibus constare debeat, *ib.* — Utrum recte sumatur pro tota enunciatione in qua sit etiam definitum, 175. — *Eius divisio :* I. Definitio quid nominis, quid rei, 176. — Utrum definitio " quid nominis „ sit proprie, vel tantum analogice definitio, 177. — II. *Essentialis :* quae sit, 178. — Quomodo fiat, 179. — Cur bene definiatur per genus et differentiam, *ib.* — Utrum bona sit definitio per genus proximum et differentiam ultimam, *ib.* — Genus et differentia non sunt partes rei definitae, 180 ; 200, *n.* — Utrum sufficiat sola ultima differentia, 180. — Definitio essentialis vocatur etiam metaphysica, *ib.* - III. *Descriptiva,* sive " descriptio „ 181. — Eius divisio : 1° Propria 182 ; — 2° Accidentalis, 183, 184 ; — 3° *Causalis,* 185 ; — quae est : 1° extrinseca, 186 ; — 2° intrinseca, 187 ; — 3° genetica, 188. — Definitio analogorum, 189. — Praecepta ad bene definiendum : 1° sit clarior definito ; 2° illud non contineat ; 3° ne superflua sit aut diminuta ; 4° essentialis fiat per genus proximum et differentiam ultimam ; 5° sit terminus finitus ; 6° sit convertibilis cum definito, 190. — Utrum bene dicatur definitio " bona „ vel " mala „ 191 ; -- et " vera „ vel " falsa „ *ib.* — Methodus venandi definitionem, 192 : — *A*) Methodus divisiva, *ib.* ; — *B*) collectiva, 193. — Quaenam seligenda, 194.

De Definito : 1° Proximum et remotum, 195. — 2° Subiacet definitioni secundum quod concipitur, 196. — *Leges definiti :* 1° Sit unum per se, 197 ; — 2° universale, 198 ; — 3° hoc non est nisi " species „ 199 ; — 4° debet esse compositum, 200. — Duo modi considerandi definitionem relate ad definitum iuxta S. Th., 200, — *n.* 5° Definitum definitionis essentialis non est nisi " substantia „ 201 ; — 6° figmenta rationis definitione " quid rei „ carent, 202 ; — 7° omnia cognoscibilia definiri possunt saltem descriptive, 203.

Deus. — Quomodo praedicetur *Deus,* et quomodo *divinus,* 55. — Utrum bene dicatur : " Homo factus est Deus „ 97. — Est in pluribus locis, sed immultiplicatus, 469, 1°. — Quomodo sint ideae in Deo, 484. — Utrum convertantur in praedicatione " Deus „ et " Deitas „ 516, I°. — Refutatur opinio Scoti, qui tribuit esse diminutum rerum essentiis, quod consistat in hoc, scil. " esse cognitum a Deo „ 520, II^m^. — Omnia nomina dicta de Deo et creaturis sunt analoga, 552, 553. — Quid dicendum de perfectionibus simplicibus et mixtis, 552, 2^a^ p., *n.* — In Deo ordo naturae est sine prioritate, 595, *N.* — Quomodo sit veritas perfectissime in Intellectu divino, licet non componat et dividat, 609, ob. 4^a^. — Etiam veritas rei importat relationem ad intellectum, nempe ad Intellectum divinum, 610, *n.* — Nullo modo in rebus est falsitas relate ad Intellectum divinum, 618, 619. — Iuxta Kant est tantum idea rationis, noumenon, postulatum rationis practicae, 665, XIII, XIV, XV ; 679. — Intellectus divinus est prima omnium mensura, 707, 3^a^ p. — Utrum perfectum Dei dominium constituat auctoritatem, propter quam Ei fidem praestamus, 716, *N.* 2^a^. — Auctoritas Dei revelantis, non motiva credibilitatis, mensurat firmitatem

adhaesionis in Fide supernaturali, 723, IV°. — Quomodo daemones Deum honorent in fide, 730, ob. 1ª. — Existentia Dei demonstratur, sed non Trinitas, 733, ob. 2ª et 3ª. — Deus, Veritas Prima, causat assensum Fidei, ideoque hic assensus est certissimus prae omnibus, 734, 735, 736. — Utrum bene probetur Eius existentia a Cartesio, 741, 742. — Essentia divina non potest esse criterium veritatis, 743, 744. — Neque divina Revelatio, 745, 746, 747, 748, 749 : Cfr. **Traditionalismus**.

Demonstratio. — Argumentatio demonstrativa, 344, VI°. — Syllogismus demonstrativus, 348, 429. — De libris Aristotelis circa demonstrationem, 761. — Ad demonstrationem habendam oportet procedere ex aliqua praeexistenti cognitione, 762, 763. — Praecognoscenda sunt aliquo modo : de subiecto, quia est et quid est ; de principio, quia est ; de passione, quid nominis, 764, 765. — Difficultates solvuntur, 766. — *Maior* praecognoscitur conclusioni natura et tempore ; *Minor* semper est prior natura, sed saepe non tempore, 767. — Etiam *Conclusio* debet praecognosci secundum quid ante demonstrationem, 768, 769. — Refutantur difficultates Stuart Mill contra syllogismum et vim deductivam, 770. — Obiectiones solvuntur, 771. — Praemissae sunt causae efficientes conclusionis, 772. — Animadversiones, 773, 774, 775, 776. — Obiectiones solvuntur, 777. — Bene definitur descriptive : " Syllogismus scientialis, idest faciens sire „ 806 ; — essentialiter autem : "Syllogismus procedens ex veris, primis etc. „ 808, 809. — Solvuntur obiectiones, 810. — Adaequate dividitur in demonstrationem *quia* et *propter quid*, 811. — Haec ultima est perfectior, et est ex necessariis, ex dictis per se, ex propriis, et ex universalibus, 812, 813, 814 : — alia contra procedere debet vel ex effectibus, vel ex causis mediatis seu remotis, 815, 816. — Aliae demonstrationes (a priori vel a posteriori, per signum, deducens ad impossibile etc.) reducuntur ad alterutram ex praedictis 817, 818, 819. — Demonstratio circularis ex circulo materiali potest vitio carere, non autem si est ex circulo formali, 820. — Medium demonstrationis propter quid debet esse definitio subiecti, vel definitio passionis perfecta per definitionem subiecti, 821, 822. — Omnia genera causarum possunt esse medium demonstrationis propter quid, 823, 824.

Descensus. — Termini proprietas 74, 106, et seq. — Cfr. **Ascensus et Descensus**.

Dialectica. — Hoc nomine a pluribus vocatur Logica, 13, *n.* — Quid intelligat Aristoteles hoc nomine, 22, *n.* 3ª.

Dialecticus. — Quid eius proprium sit iuxta Aristotelem, 22.

Differentia. — Unum ex praedicabilibus : quid sit, 142, III ; 521. — Constituit tertium praedicabile prouti dicitur per se et propriissima, 532, 533. — Probantur eius definitiones, 534. — Est universale per ordinem ad inferiora speciei, 535, I^m. — Differentiae supremae, subalternae, infimae, *ib.*, II^m et III^m. — Superior non continet inferiores, et vicissim, *ib.*, IV^m. — Quo sensu cum genere componat speciem, *ib.*, V^m. — Est nobilior genere, sed non semper trahit genus ad naturam nobiliorem, *ib.*, VI^m.

Dilemma. — Quid sit, 428. — Notae et leges, *ib.*

Diminutio. — Termini proprietas, 74. — Quid sit, 131.

Discursus. — Tertia Mentis Operatio, 27, 336. — Cfr. **Ratiocinium.**

Disputatio Scholastica: 452. — Leges disputantibus communes, 453. — Partes defendentis, 454. — Partes arguentis, 455.

Distinctio. — Quid sit, 488, I°. — Opponitur unitati, *ib.*, II°. — Distinctio realis et rationis, *ib.*, III°.; — rationis ratiocinatae et ratiocinantis, *ib.*, IV°.; — in quo differant, *ib., n.*; — rationis ratiocinatae maior et minor, *ib.*, V°. — Distinctio actualis seu formalis ex natura rei (Scotistica): quid sit, 492; — refutatur, *ib.* — Obiecta solvuntur, 493.

Divisio. — Quid sit, 204; — quotuplex, 205. — Divisio *totius universalis,* sive subiectiva, 208; — *integralis, ib.;* — *potentialis, ib.* — *Schema* divisionis, *post* n. 221. — Praecepta ad bene dividendum, 223, 224. — Modus arguendi circa divisionem, 225, 226. — Modus loquendi circa eandem, 227. — Cfr. **Totum.**

Divisio et Compositio: Secunda Mentis Operatio, 27, 228. — Cfr. **Iudicium.**

Dogmatismus. — 663; 680, 1°; 723, I°.

Dubitatio methodica *Cartesii.* — Quid sit, 740, 741. — Refutatur, 742. — Quantum differat a methodico dubio S. Thomae et Scholasticorum, *ib.*, p. 5ª, *n.* — Cfr. **Cartesius.**

Dubium. — Quid sit, 650.

Ens. — Terminus transcendens, 63. — Habet tantum unitatem analogicam, 465, *n.* ad ob. 3ᵐ. — *Hoc ens* continet in potentia omnia praedicata, sicut principium omnes conclusiones, 632, *n.*

Ens rationis. — Quid sit, 6, 7. — Utrum habitus intellectuales et conceptus sint entia rationis, 8. — Eius divisio: negatio vel relatio, 9. — Utrum omnis relatio rationis sit etiam intentio secunda, et vicissim, 12. — Ens rationis est subiectum Logicae, 14. — Sed non quodlibet, 15. — Cfr. **Intentio.** — Tantum relationes sunt *mere* entia rationis, 632, *n.*

Enthymema, 433. — Cfr. **Syllogismus.**

Enunciatio. — Est extrema expressio Iudicii, et nequit uno verbo constare, 229. — Eius definitio, 250. — Notae in definitione, 251, 1° et 2°. — Utrum definitio data sit essentialis, *ib.*, 3° et 4° — Refutantur aliae definitiones, 252. — *Enunciationis divisio:* " *Una* „ et " *Multiplex* „ 253. — Quid *enunciatio una,* et quomodo dividatur, 254.

Enunciatio categorica. — Quid sit, 255; — et quotuplex, 256: — 1° *Absoluta seu de inesse:* eius definitio, 257. — Forma, 258. — Materia, 259: — ratione materiae proximae quomodo dividatur enunciatio, 260; — an sit idem " esse necessariam „ et " esse in materia necessaria „ *ib., n.;* — regulae harum enunciationum, 261: — ratione materiae remotae quomodo dividatur enunciatio, 263; — nota de " *non* „ infinitante, 262. — Quantitas, 264: — quid advertendum de illa, 265. — Qualitas, 266: — quomodo dividatur enunciatio ratione qualitatis intrinsecae, 267; — de infinita et negativa, 268; — differentia infinitae ab aliis, 269, 270; — prioritas affirmationis, 271; — *nota* de hac divisione, 272; — ratione qualitatis extrinsecae

quomodo dividatur enunciatio, 273; — quibus modis varietur enunciatio secundum permixtionem divisionum eius praedictarum, 274. — 2° *Modalis:* — Quid sit, 275. — Quid *Modus* generatim, 276; — et quid in enunciatione, 277. — Quot modi in enunciatione, 278. — Quotuplex modalis enunciatio, 279. — Quomodo se habeat haec divisio enunciationis in negationibus, *ib., n.* — *Dictum* et *modus,* 280. — Modus nominalis et adverbialis, 281. — Forma, materia, qualitas, quantitas modalium, 282, 283, 284, 285, 286, 287. — Notandum de quantitate modalium, 288. — *Sensus compositus et divisus,* 289.

— *hypothetica.* — Quid sit, 290. — Eius partes immediate constitutivae, 291. — Est una, 292. — Eius proprium significatum, 293. — Forma, 294. — Materia, 295. — Quantitas, 296. — Qualitas, 297. — De consequentia inter consequens et antecedens, 298, *N.* I[a]. — Conditionalis de *futuro contingenti, ib., N.* II[a]; - refutatur obiectio quaedam contra doctrinam S. Th., *ib., n.* — Triplex modus hypotheticae, 299: — Connexum, *ib.,* I.; — Coniunctum, *ib.,* II.; — Disiunctum, *ib.,* III. — Corollaria, 300.

— *Multiplex.* — Eius definitio, 301; — absolute et simpliciter, 302. — *Copulativa,* 303. — *Disiunctiva* 304. — *Rationalis,* 305. — *Causalis,* 306. *Adversativa,* 307. — *Relativa,* 308. — *De extremo coniuncto,* 309. — Nota de "complexis„ enunciationibus, 310. — *Exponibilis,* 311: — exclusiva, *ib.,* I.; — exceptiva, *ib.,* II.; — reduplicativa, *ib.,* III.; — comparativa, *ib.,* IV.; — *Schema Enunciationis, post* n. 311. — *Proprietates* Enunciationis, 312, *et seq.* — Cfr. **Oppositio, Aequipollentia, Conversio.**

Epicherema, 425.

Error. — Eius definitio, 650. — Quomodo differat a nescientia et ignorantia, 651. — Numquam est physice necessarius humano intellectui, sed semper a voluntate oritur, 653, 654. — Propterea semper habet rationem deordinatae actionis, 655. — Obiectiones solvuntur, 656. — *De ratione erroris,* Appendix **D** (pag. 553, 554).

Ss. Eucharistia. — Nullo modo multiplicatur Adorabile Corpus Christi, 465, ob. 2[a], *n.* — Quomodo fiat apparitio Pueri vel Sanguinis etc. in Sacramento, 628, ob. 15[a].

Evidentia. — Duplex est: veritatis et credibilitatis, 702, *sub fin.* — *Evidentia veritatis* potest esse criterium veritatis, 708, 710, 711. — Quaenam revera vocentur evidentia (adiect.), 709. — Solvuntur difficultates, 712. — *Evidentia credibilitatis* potest inducere veram certitudinem, 713. — Utrum evidentia veritatis possit stare cum fide, 720, 721. — Evidentia credibilitatis numquam est motivum formale fidei, 723, 724; — tamen praerequiritur ad assensum, 723, 725; — sed optime potest esse simul cum perfecta obscuritate rei creditae, 723, 726; — et cur, 727. — Reprobatur distinctio inter evidentiam in attestante et evidentiam credibilitatis, 726, I°, *n.* — Evidentia credibilitatis non ingreditur ipsum obiectum formale fidei, 728. — Numquam evidentia est extrinseca obiecto, cui per evidentiam assentimus, 724, 3°; 728. — Obiectiones solvuntur, 730.

Fallacia. — Quid sit, 434. — *Fallaciae in dictione: a)* aequivocationis,

434 bis ; — *b)* amphibologiae, 435 ; — *c)* sensus compositi ac divisi, 436 ; — *d)* accentus, 437 ; — *e)* figurae dictionis, 438. — *Fallaciae extra dictionem : A)* accidentis, 439 ; — *B)* dicti simpliciter et secundum quid, 440 ; — *C)* ignorationis elenchi, 441 ; — *D)* petitionis principii, 442, 443 ; — *E)* consequentis, 444 ; — *F)* non causae ut causae, 445 ; — *G)* plurium interrogationum ad modum unius, 446.

Appendix : Exempla sophismatum exercitationis gratia resolvenda, 447.

Falsitas. — Per prius est in intellectu, 617. — In rebus non est simpliciter, nisi per ordinem ad intellectum illum, a quo pendent in esse, *ib.* — Res artificiales quomodo possint esse falsae simpliciter et per se, 618. — In naturalibus non est falsitas simpliciter, quia non possunt esse falsae per comparationem ad Intellectum divinum, *ib.* — Quid dicendum de peccatis, 619. — Res naturales possunt esse falsae secundum quid relate ad intellectum humanum, *ib.* — Quomodo hoc fiat, 620. — Verum et falsum opponuntur ut contraria, et non ut contradictoria, 621. — Obiectiones solvuntur, 622. — Utrum sensus circa propria sensibilia possint esse falsi, 623, 624. — Intellectus in iudicio potest per se habere falsitatem, 634, 635 ; — et potest eam cognoscere, etiam sine iudicio reflexo, 636, 637, 638. — Etiam in intellectu simpliciter apprehendente potest per accidens esse falsitas, quatenus admiscetur aliquid de iudicio, 639.

Fides. — Non potest esse in eodem circa idem simul cum scientia, 696, 697, 717, 718, 721. — Eius definitio probatur, 714, 715. — Eius obiectum materiale est res credita ; obiectum formale, scientia et veracitas testis, 714, 715, 716. — Obiectum materiale debet esse obscurum, 717, 718. — Difficultates solvuntur, 719, 720, 721. — Fides est actus intellectus sed imperatus a voluntate, 722. — Praerequiritur ad assensum fidei evidentia credibilitatis, quamvis numquam sit ipsius motivum formale, 723, 724, 725. — Haec evidentia nullo modo tollit fidem, 726. — De fide daemonum, *ib.* IV°, *n.* — Quomodo fides hominum sit libera, *ib.* [n. 4.°]. — Stultum est dicere quod praesupponitur fides ad quamcumque cognitionem, 729. — Obiectiones solvuntur, 730. — Certitudo Fidei supernaturalis superat omnem aliam certitudinem etiam metaphysicam, 734, 735. — Animadversiones, 736. — Confirmantur omnia auctoritate Concilii Vaticani, *ib., N.* 3ª. — Quomodo saepe sit necessaria fides ad consortium humanum, 739. — Refutatur opinio Iouffroy, qui ponit fidem caecam ut criterium supremum veritatis, 751, 755. — Nullum verum dissidium esse potest inter scientias et Fidem, 803. — *De modo quo intellectus et voluntas influunt in actum Fidei,* Appendix '' (pag. 555, 556, 557, 558, 559).

Formae sensibilitatis. — Quid sint et quot iuxta Kant : *spatium* et *tempus,* 665, VII. — Reiiciendae sunt, 673, 674. — Obiectiones solvuntur, 675.

Genus. — Unum ex praedicabilibus : eius definitio essentialis, 142, I. — Probantur definitiones eius sive essentialis sive descriptiva, 523, 524. — Solvuntur obiectiones, 525. — De inferioribus praedicatur ut totum, non

ut pars metaphysica, 526. — Obiecta solvuntur, 527. — Quo sensu "corpus, animal„ etc. sit genus, et propterea totum ; et contra quo sensu sit pars, 528. — Ad genus constituendum non sufficit una species, 530.

Gradus metaphysici. — Quid sint, 488, VI.° — Non distinguuntur realiter, 490, *Sch.*

Hypothesis. — Eius definitio, 798, 1° — Maxime inservit cultoribus scientiarum positivarum, et praesertim ad incrementum scientiae physicae, dummodo debitis conditionibus sit instructa, 798, 2° ; 799. — Quomodo contingat hypothesim ad explicanda phaenomena assumptam falsam esse, 800. — Nunquam veritas hypothesis probatur certe per verificationem conditionati, nisi hoc sit connexum cum conditione sicut proprium cum essentia, 801, 802. — Si non est proprium, aliquando verificatio conditionati dabit probabilitatem, sed numquam certitudinem, 804. — Obiectio solvitur, 805. — *De valore Hypothesis apud rerum physicarum cultores,* Appendix **F** (pag. 560, 561).

Idea. — Ideae Platonicae sive separatae, 481, 482, 483. — Quomodo ponendae sunt Ideae in Deo, 484. — Explicatio S. Augustini in Ioann. I, 3-4, *ib., n.* — Ideae divinae non possunt esse criterium veritatis, 743, 744.

Ideae Kantianae. — Quid sint et quot, 665, XIII. — Quem valorem habeant, *ib.,* XIV. — Refutantur, 677, 3ª p. — Obiecta diluuntur, 678.

Idealismus. — 627, IV°, *n.,* 2° ; 680, 2° ; 750, 8°.

Ignorantia. — Quid sit et quid importet, 650. — Differt a nescientia et errore, 651. — Eius causa est limitatio intellectus humani, et etiam natura ipsa quorundam obiectorum, *ibid.* — Aliae causae praecipuae, 652.

Immanentia. — Quid sit in systemate Modernistarum, 681. — Quid significet contra, sensu Scholasticorum, *ib., n.* — Theoria Immanentiae corrumpit cognitionem intellectivam, tollit veritatem, reddit impossibilem demonstrationem efficacem, 682, 684. — Obiecta solvuntur, 683, 685. — Reiicitur ut irrationalis Pragmatismus anti-intellectualis, qui est pars theoriae Immanentiae, 685, Thes. II.ª ; 686. — Obiectiones solvuntur, 687. — 723, I° ; 729.

Immutabilitas. — Proprietas universalium, 509. — Quomodo intelligenda, 519, 3ª. — Quo sensu universalia dicantur ingenerabilia et incorruptibilia, 520, IV.ᵐ

Imperativum categoricum. — 679, I° et III° ; 751. — Non potest esse fundamentum obligationis moralis, nec norma actionis, 759.

Individuum. — Eius definitio si sumitur primo-intentionaliter, 530, *N.* 2ª ; — *item* si secundo-intentionaliter, *ib.*

Inductio. — Quid sit, 344, VII° ; 448. — Eius divisio in apodicticam, dialecticam et sophisticam, 449. — Differentia inter eam et syllogismum, 450, 451. — Non admittitur a Kant, 665, V, VI ; 668, IV°. — Omnia principia haberi debent inductione : analytica inductione late dicta ; synthetica, inductione stricte dicta, 786, 787, 788. — Quaenam experientia competat brutis, et quaenam homini, 789. — Est vera argumentatio conveniens cum syllogismo in genere, sed differens in specie, 790. — Obie-

ctiones solvuntur, 791. — Inductio sive completa, sive incompleta sed perfecta causat veram certitudinem, 792, 793. — Incompletae praesupponitur principium analogiae, 794. — Obiectiones solvuntur, 795. — Inductio materialiter accepta potest reduci ad syllogismum, sed nullo modo si formaliter accipitur, 796. — Recentiores iniuria gloriantur de inductione, tanquam de inventione sua, antiquis ignota, 797. — Cf. etiam **Hypothesis.**

Intellectus. — Quomodo intelligat et abstrahat 502. — Intellectus agens et possibilis, *ib.* — Intellectus debet attingere etiam singularia, sed indirecte, 601, 2°, 3°. — Ingreditur in rationem cuiuscumque veri, et veritas dicitur semper per ordinem ad ipsum, 603, 604, 605. — Quomodo se habeat intellectus simpliciter apprehendens ad veritatem, et quomodo intellectus componens et dividens, 601, 602, 606, 607, 608, 609, 610, 611. — Est subiectum inhaesionis relate ad veritatem, 612. — Quomodo debeat aequari rei, 613, et *n.* : Cfr. **Veritas.** — Circa quodquid est non decipitur, 632. — Obiectiones solvuntur, 633. — In intellectu iudicante potest per se esse falsitas, 634, 635. — Falsitas potest cognosci ab intellectu sicut et veritas, 636, 637 ; — quin tamen requiratur semper iudicium reflexum, 638. — Cognoscere falsitatem pertinet ad perfectionem intellectus, *ib.*, *N.* 2ª. — Etiam in intellectu simpliciter apprehendente potest per accidens esse falsitas, prouti iam aliquid de iudicio admiscetur, 639. — In cognitione simplicium vel est verus, vel nihil intelligit, 640, 641. — Corollaria, 642. — Quid sit *intellectus* sumptus in oppositione ad rationem, 643, I.° — Denominationes diversae, quas sumit potentia intellectiva secundum diversos actus, 643. — Circa ea, ad quae ex natura sua intellectus determinatur ad unum, deficere non potest, 703. — Credere est actus intellectus, sed debet determinari a voluntate, 722. — Obiectiones solvuntur, 730, 733. — Utrum admittenda sit distinctio inter necessitatem logicam et physicam assensus intellectus, 731, *n.* — Male distinguitur a quibusdam a ratione, 665, XIII ; 677, 3ª p. ; 754. — Quomodo necessitetur a praemissis necessariis, 778, 779.

Intelligentia. — Quid sit, 643, III.°

Intentio. — Quid generatim significet, 10. — Formalis et obiectiva, *ib.* — Prima et secunda, 11. — Utraque est vel formalis vel obiectiva, *ib.* — Utrum omnis intentio secunda *obiectiva* sit ens rationis, et vicissim, 12. — Utrum omnes intentiones secundae sint subiectum Logicae, 15.

Judicium. — Secunda mentis operatio, 228. — Eius definitio, *ib.* — Dicitur etiam *Compositio et Divisio, Affirmatio et Negatio, Assensus et Dissensus, ib.* — Proprie tantum in iudicio habetur veritas, 602. — Cfr. **Intellectus** (componens et dividens).

Judicia synthetica a priori. — Quid sint iuxta Kant, et quomodo sint possibilia, 665, V, VI. — Omnino excludenda esse probatur, 670, 671. — Obiectiones diluuntur, 672.

Kant *Emmanuel.* — 457, 458, 476, *n.* — Eius sententia de universalibus, quod nempe sint formae subiectivae a priori, refutatur, 479. — Obiectiones solvuntur, 480. — 497, 4.° ; 498, ob.

2ª et 3ª; 584, *N.*; 613, *n.;* 625; 627, IV°, *n.;* 628, ob. 2ª, *n.;* 631; 632; 659, III°, 1°, et 4°. — *Eius Systematis expositio,* 663; 665. — Eius historia et opera, 664. — *Confutatio Systematis* Kantii, 666 et seqq. — Quot tristes effectus produxerit hoc Systema, 680. — Cfr. praecipua puncta huius Systematis suis locis exposita: **Critica rationis; Iudicia synthetica a priori; Ratio practica; Noumena; Categoriae,** etc. — 681; 682; 683; 702; 723; 750, 8°; 751; 754. — Eius subiectivismus aliis argumentis reiicitur, 759. — 768; 785, I°, *n.;* App. B (pag. 550).

Logica. — Quid sit, et quo tendat, 13. — Eius obiectum et subiectum, 14, 15, 16, 17. Cfr. etiam: **Intentio, Obiectum, Subiectum.** — Eius definitio, 19. — Utrum bene definiatur in ordinem ad secundas intentiones directivas intellectus operationis, *ib.* — Eius divisio: Naturalis et Artificialis, 20. — *Docens* et *Utens,* 21. — Utrum haec munera importent duos habitus diversos, *ib.* — Quomodo sumatur haec divisio a recentioribus, *ib., n.* — Utrum sit *docens* etiam in parte *dialectica* et *sophistica,* 23. — Utrum sit *utens* tantum in iisdem partibus, 22. — an etiam in parte *demonstrativa.* — Quid requiratur ut Logica dicatur *utens,* 23, *in fine.* — Utrum haec divisio sit arbitraria, *ib., n.* 2.ª — Logica artificialis est *scientia,* 24. — Utrum talis sit in quavis sua parte, *ib.* — Utrum talis sit prouti est utens, *ib.,* et 23. — Utrum sit simpliciter scientia *speculativa,* 25. — an possit vocari *practica* et *ars, ib.* — Eius necessitas, 26. — Cur incipiatur ab ipsa, *ib.* — Eius divisio respondenter ad triplicem intellectus operationem, 27. — In quibus libris tractetur ab Aristotele, 28.

Logica Minor, seu *Isagoges,* vel *Summulae.* — Quid sit et quid tractet, *ib.*

Logica Maior, sive *Logica proprie dicta.* — Quid tractet, et cur a *Minori* dividatur, *ib.*

Materialismus. — Quid sit, 659, III°, 2°, *n.* — Ponit sensum ut supremum veritatis criterium, 760, *n.* — Breviter refutatur, *ibid.*

Medium. — De inventione Medii, 409. — Debet praecognosci ante conclusionem, 764, *n.* — Est definitio subiecti, vel definitio passionis perfecta per definitionem subiecti, 765, 2ª p.; 821; 822. — Possunt esse medium demonstrationis omnia genera causarum, 823, 824.

Metaphysica. — Differentia inter subiectum eius et Logicae, 456. — Irridetur a Kant, 664. — Quid dicendum de ipsa in systemate Kantii, 665, XII.

Modernismus. — 456; 663.

Natura. — De se in nullo statu est universalis, 493, ad Th. XI.am — Eius triplex consideratio, *ib., n.* — Universalitas constituitur tantum in natura obiective existenti in intellectu, *ib.,* ad prob. 2ae p. — Ratio universalitatis non competit naturae 1°) ut existenti in pluribus individuis, 494, I°; 2°) neque in praecisione ab existentia, *ib.,* II°; 3°) neque in statu possibilitatis, *ib.,* III°; 4°) neque ut uni formaliter in pluribus, *ib.,* IV.° — Obiectiones solvuntur, 495. — Natura absoluta, sive solitaria est illa, quae praedicatur, sed debet accipi in intel-

lectu, *ib.*, ob. 5ª, 6ª. — Ratio speciei competit naturae praecise ut est in intellectu, *ib., n.* — Quomodo natura non communis secundum rem, possit accipi ut communis secundum rationem, 531, ob. 2ª.

Nescientia. — Eius definitio, 650. — Differt ab ignorantia et errore, 651. — Eius causae : limitatio intellectus nostri, et natura quorumdam obiectorum, *ibid.*

Noëtica seu **Ideologia.** — 456.

Nomen. — Eius definitio, 231. — Cur melius " vox „ dicatur, quam " signum vocis „ *ib., n.* — Explicatio definitionis, 232, 233, 234, 235, 236, 237, 238. — An partes nominis compositi separatae significent, 235, *n.* — Ex se pertinet ad primam mentis operationem, 245, 4º. — An sumi possit primo vel secundo intentionaliter, *ib.*, 5º. — Notanda circa nomina abstracta et concreta, 510, IIº. — Quomodo praedicentur, 511 et seqq. : Cfr. **Praedicabilitas.**

Nominalismus sive purus, sive moderatus est reiiciendus, 472, 473, 474. — Obiectiones solvuntur, 475. — Nominalismus Positivistarum : Cfr. **Positivismus.**

Notae individuantes. — Quid sint, 488, VIIº. — Non distinguuntur realiter ab universali, 489, 490. — Obiectiones solvuntur, 491.

Noumena. — Quid sint, 665, X. — Debent cognosci, imo ab ipso Kantio, dum dicit esse incognoscibilia, cognoscuntur, 676.

Obiectum. — Quid sit obiectum scientiarum, 1. — Adaequatum et inadaequatum, *ibid.* — Materiale et formale, 3. — Quomodo dicatur a S. Thoma, 4 ; — et ab aliis, 3, *n.*, et 5. — *Obiectum Logicae,* 18.

Ontologismus. — In illum incidunt qui ponunt divinam Essentiam esse supremum veritatis criterium, 744, 4ª p. — Animadversio, *ib., n.* — Obiter refutatur, 760, *sub fin.*

Opinio. — Eius definitio, 650. — Est ei essentialis acceptio unius cum formidine alterius, 688. — Proprie opponitur scientiae, non certitudini, 689. — Est actus intellectus, sed imperatus a voluntate, 690. — Opinio probabilis et improbabilis ; licet adhaerere opinioni probabili, quamvis probabilior credatur opposita, 691, 692. Consistit in adhaesione determinata, licet cum formidine, 693. — Etiam si est maxime probabilis, nondum est certitudo, 694. — " Opiniones servandae sunt „ (" rispettar le opinioni „), 695. — Non potest esse in eodem circa idem simul cum scientia, 696. — Obiectiones solvuntur, 697.

Oppositio. — Enunciationis proprietas, 311, *in fine.* — Eius necessitas, 312. — *Contradictio,* 313. — *Contrarietas,* 314. — Aliae oppositiones, 315.

— *categoricarum seu de inesse :* Definitio et divisio oppositionis, 316. — Schema, *ib.,* 317. — Quid advertendum si subiectum sit nomen commune indefinite sumptum, et quid si singulare, 318. — Veritas et falsitas in oppositis, 319.

— *reliquarum enunciationum : Modalium,* 320. — Regula generalis, 321. — *Hypotheticarum,* 322. — *Multiplicium :* animadversiones generales, 323. — Exempla de singulis, 324.

Oppositio Terminorum. — 71, 72. — Cfr. **Terminus.**

Oppositio Postpraedicamentalis. — 164, 165, 166, 167, 168. — Eius definitio probatur, 586. — Probatur

eius quadruplex divisio, 587, 1ª p. — Oppositio prima est contradictoria, maxima vero differentia contraria, *ib.*, 2ª et 3ª p. — Contrarietas est differentia perfecta, 588, 1.º — Plura non possunt esse contraria uni, *ib.*, 2º — Principium contrarietatis est privatio et habitus, *ib.*, 3.º — Contrarium requirit determinatam dispositionem in subiecto, non vero privatio, *ib.*, 4.º — Privatio est quaedam contradictio, *ib.*, 5.º — Inter contradictoria non datur medium; dari potest inter contraria, relativa et privativa; sed non necessario, 589, 590. — De duplici modo relationis, 590, 2ª p., *n.* — Corollaria, 91. — Cfr. **Postpraedicamenta.**

Oratio. — Eius definitio, 246. — Explicatio definitionis, *ib.*, 247. — An detur pars alicuius orationis, quae non ut dictio significet, 248, 1.º — An termino opponatur, *ib.*, 2º, an dictioni, *ib.*, 3.º — Oratio perfecta et imperfecta; enunciativa et non enunciativa, 249. — De qua in Logica agendum est, *ib., sub fin.*

Organon Aristotelis. — Quid sit et cur ita vocetur, 28. — Eius partes, *ib.*

Pantheismus. — 682, *n.*

Passio. — Saepe pro Proprio: Cf. **Proprium.** — In demonstratione debet praecognosci de ipsa saltem quid nominis, 764; 765, 4ª p.

Philosophia actionis. — Cfr. **Pragmatismus.**

Philosophus. — Antonomastice pro *Aristotele, passim;* — pro Metaphysico, 22. — Quid eius proprium sit, *ib.*

Pietismus. — 664.

Polysyllogismus, 427. — Cfr. **Syllogismus.**

Positivismus. — Dogma fundamentale: Sensibile solum est obiectum cognitionis, 476. — Notiones universales non sunt ergo nisi collectivae, *ib.* — Quis invexerit nomen Positivismi, et quid significet, *ib., n.* — Refutatur ista opinio de universalibus, 477, I.º — Solvuntur obiectiones, 478. — 659, III.º, 2º, *n.* — 650, 8.º — Ponit sensum ut supremum veritatis criterium, sed absurdissime, 760, *n.*

Postpraedicamenta. — Quid sint, 162; 585. — Quot sint et quales, 163; 585. — I.º *Oppositio:* quid sit et quotuplex dividatur, 164. — relativa, 165. — contraria, 166. — privativa, 167. — contradictoria, 168. — Cfr. *Oppositio Postpraedicamentalis.* — II.º *Prius et posterius:* 1º tempore; 2º a subsistendi consequentia; 3º ordine; 4º dignitate; 5º natura et causalitate, 169; 592. — Prioritas naturae est quadruplex, 593, 594. — Ordo naturae non est confundendus cum prioritate naturae, 595, 596. — III.º *Simul:* 1º tempore; 2º natura, 170; 597. — IV.º *Motus:* augmentum, decrementum, alteratio (a non subiecto in subiectum " generatio „ : a subiecto in non subiectum " corruptio „) et latio, 171; 598. — V.º *Habere* (distinctum a praedicamento " habitus „), 172. — Modi praecipui, quibus aliquid habet aliquid, 599.

Praedicabilia. — Praenotandum: Utrum consideratio universalium pertineat etiam ad Logicam, et non tantum ad Metaphysicam, 135. — Cur et quomodo considerentur a Logica, *ib.* — Quid ex iis a Logica Minori, *ib.* — Definitio *Universalis,* 136. — Eius divisio: 1º Universale " in causando „; 2º " in repraesentando „;

3° " in significando „ ; 4° " *in essendo* „ ; 5° " *in praedicando* „ *ib.* — Logica tantum de duobus postremis agit, *ib.* — *Universale in essendo* : quod existat patet ex modo loquendi et ex experientia, 137. — Materiale et formale, 138. — Quid *Praedicabile,* 139. — Praedicabilium divisio : " per se „ et " per accidens „ 140, 521. — Quomodo etiam possit idem exponi, 141. — *De singulis praedicabilibus V. suo loco.* — Cfr. etiam **Universalia**.

Praedicabilitas. — Proprietas universalium, 509. — Animadversiones circa ipsam, 510. — Quomodo praedicentur ad invicem concreta accidentalia et substantalia, 511 ; — an et quomodo abstracta substantiae de inferioribus, 512, 513 ; — et abstracta accidentium de inferioribus, 514. — An praedicentur abstracta de concretis, 515. — Notanda de transcendentibus et divinis, 516. — An et quomodo praedicentur abstracta secundae intentionis de concretis primae, vel concreta secundae de abstractis primae et vicissim, 517. — An et quomodo praedicentur ad invicem abstracta et concreta secundae intentionis, 518.

Praedicamenta (*κατηγορίαι*). — Quid sint, 149. — Discrimen inter Praedicamentum Metaphysicum et Logicum, 150. — Logicum quomodo definiatur, 151. — Discrimen inter *Praedicamentum Logicum* et *Praedicabile*, 152. — Utrum eaedem rationes obiectivae induere possint rationem " praedicatorum „ et " praedicabilium „ et " praedicamentorum „ 153. — *Schema* Praedicatorum essentialium, sive " *Arbor Porphyriana* „ 154. — Divisio Praedicamentorum, 155. — *Vide singula suis locis.* — Quando aliquid conveniat subiecto *per se primo,* 159. — Triplex modus essendi in praedicamento ; 1° directe ; 2° indirecte ; 3° reductive, 160. — Quid requiratur ut aliquid sit directe in praedicamento : I. Ens " completum „ ; II. " logice univocum „ ; III. aliquid " simpliciter finitum „ ; IV. " unum per se „, 161. — Divisio entis realis in decem suprema genera est adaequata, 579 ; 580, 1ª p. — Utrum haec genera recte vocentur Praedicamenta, et comprehendant omnia creata, 580, 2ª et 3ª p. — Obiecta solvuntur, 581. — Prospectus Praedicamentorum, *ib.* — Praedicamenta formaliter sumpta pertinent ad logicam, 582. — Obiectiones solvuntur, 583. — Differentia inter praedicamenta metaphysica et logica, 584.

Praedicatum *propositionis.* — Quid sit, 42. — Cfr. **Terminus**.

Praemissae. — Quo ordine praecognoscantur conclusioni, 767. — Quantum ad vim illativam habent rationem causae efficientis, 772, 773. Quomodo possint dici causa formalis, 774. — Praemissae necessariae formaliter ut cognitae, necessitant intellectum ad assensum, 778, 779. — Quaenam debeant esse praemissae demonstrationis *propter quid* et *quia,* 812, 813, 814, 815, 816, — Cfr. etiam **Demonstratio**.

Pragmatismus *anti-intellectualis.* — Quid doceat 685, Thes. II.ª — Reiicitur ut irrationalis, 686. — Solvuntur obiectiones, 687. — Cf. **Immanentia**.

Principia. — Cur non probentur nec demonstrentur a S. Thoma, 624, *n.* — Intellectus principiorum semper est rectus, 642, III.° — Sunt primum

veritatis criterium, 704. — Distinguuntur in *analytica* et *synthetica*, 705. — Ad acquirendam scientiam vel cognitionem quamcumque oportet procedere ab aliquibus principiis praesuppositis, 762, 763. — Debent praecognosci conclusioni, 764, 768; — nempe quia sunt, scil. quia vera sunt, 765, 3ª p. — *De Principiis:* quid sint, et quomodo dividantur, 780. — Quid *Positio* et *Dignitas, ib.*, II.° — Quid *Postulatum* et *Definitio, ib.*, III.° — Admittenda sunt quaedam principia indemonstrabilia, 781, 782. — Sunt priora et notiora conclusione, 783. — Primum et certissimum est principium contradictionis, 784. — Solvuntur obiectiones, 785. — Omnia principia habentur ex inductione: *Analytica*, ex inductione late dicta; *synthetica*, ex inductione stricte dicta, 786, 787. — Differunt principia analytica et synthetica a iudiciis analyticis et syntheticis, 786, I°, *n.* — Diversum est principium fundamentale syllogismi a principio inductionis 790, 4°. — Quid principium analogiae, 794. — *De Analogia Principiorum*, Appendix **A** (pag. 545, 546, 547, 548).

Probabilitas. — Gradus admittit in opinionibus; sed maior non destruit minorem, 692, 693, 694.

Proprium. — Unum ex praedicabilibus: quid sit, 142, IV. — Proprium praedicabile est tantum illud, quod opponitur communi, et convenit omni, soli et semper, 536, 537. — Debet manare a principiis essentialibus, 537, *N.* 2ª. — Probantur eius definitiones, 538. — Proprium strictissime sumptum non convenit nisi speciei infimae, 539; — et constituitur universale relate ad inferiora speciei, 541. — Proprietates physicae et reales, logicae et attributales, 540.

Ratio. — Quid intelligatur hoc nomine in re philosophica, 33. — Utrum significet ipsam conceptionem, *ib.* — Quo sensu dicatur esse in re, 34.

Ratio. — Quid sit, si sumitur in oppositione ad intellectum, 643, II.° — Quid in systemate Kantiano, 665, 666, 677.

Ratio practica Kantiana. — Eius primatus, 665, XV. — Nihil salvat, 679, 759.

Ratiocinium. — Tertia mentis Operatio, 27, 336. — Cfr. **Argumentatio, Demonstratio.**

Rationalismus. — 663.

Remotio. — Termini proprietas, 74. — Quid sit, 133.

Res. — Terminus transcendens, 63. — Utrum universale sit in rebus, 469, 470, 471. — Utrum detur natura aliqua universalis separata a rebus singularibus, 481, 482, 483. — Utrum natura sit una in rebus eo modo, quo in intellectu, 485, 486, 487. — Utrum admittenda distinctio formalis ex natura rei, 492, 493. — Quomodo verae dicantur res, 603. — Veritas rebus competit secundario, 603, 604, 605. — Quomodo ingrediatur res in definitione veritatis, 612, 613, 614. — In rebus non est falsitas simpliciter, nisi in artificialibus, 617, 618, 619, 620. — Res sunt veluti mensura extrinseca intellectus nostri, et mensurantur ab Intellectu divino, 707.

Restrictio. — Termini proprietas, 74. — Quid sit, 130. — Haec coarctatio termini fit: 1° per coniunctionem adiectivi; 2° per appositionem relativi; 3° per additionem obliqui;

4° per appositionem substantivi inferioris, *ibid.*

Revelatio divina. — Non potest esse supremum veritatis criterium, 745, 746, 747, 749. — Obiectiones solvuntur, 750.

Scepticismus. — 627, IV°, *n.*, 2.° — Quam turpis et gravis error sit, 657. — Eius notio, 658. — Eius historia, 659. — Ex principiis propriis non potest refutari, quia neque prima principia admittit; sed est intrinsece absurdus ita, ut cogitari non possit, et, dum profertur, seipsum destruat, 660, 661. — Obiectiones solvuntur, 662. — 680, 4°; 682, *n.* — Dubitatio methodica Cartesiana logice duceret ad scepticismum, 742, 6ª p. — 751; 752; App. **C** (pag. 552).

Scientia. — An sit possibilis iuxta Kant, 665, III. — Quid requiratur ad scientiam, *ib.*, IV. — Quomodo acquirantur iudicia scientifica, *ib.*, V. — Quaenam scientia sit possibilis, *ib.*, XI. — Quid dicendum de Metaphysica, *ib.*, XIII. — Probatur quod systema Kantii destruit possibilitatem cuiuscumque cognitionis, et multo magis cuiuscumque scientiae, 668. — Obiecta solvuntur, 669. — Non potest esse in eodem circa idem simul cum opinione, 696, 697, 717, 718, 721. — Omnis scientia fit ex praeexistenti cognitione, 762, 763. — Quaenam sint eius causae, 776. — Non habetur sola inductione, 789. — Quam insipienter ponantur scientiae, ut aiunt, *parallelae,* 803. — Probatur eius definitio, 825, 826. — Obiecta diluuntur, 827. — Bene distinguitur ab aliis intellectualibus habitibus, 828, 829. — In quo discriminetur a sapientia, 830.

Scientiae. — Recte dividuntur: 1° in subalternatas et subalternantes; 2° in speculativas et practicas, 831. — Earum unitas vel multiplicitas generica desumitur ex abstractione a materia; unde speculativae reales sunt tres tantum, nempe *Physica, Mathematica,* et *Metaphysica,* 832. — Quid dicendum de *Logica* et *Morali,* 833. — De abstractione mathematica, 834. Obiectiones solvuntur, 835. — Earum unitas vel multiplicitas specifica sumitur ex unitate vel multiplicitate obiecti formalis, nempe principiorum, et non ex subiecto vel ex obiecto materiali, 836, 837. — Obiectiones solvuntur, 838.

Scire. — Quid sit, 761. — Quid sibi velit "scire simpliciter„ 806, 807. — Quomdo differat *scire quia* a scire *propter quid,* 816.

Ven. Scotus Duns *Joannes,* O. M. F. — 459. — Eius distinctio formalis ex natura rei seu actualis refutatur, 492, 493. — 497, 7.° — Refutatur eius opinio de aeternitate quodammodo positiva universalium, 520, II.ᵐ — 596; 794, *n.*; 796, 2ª p., *n.*

Sensismus — Quid sit, et quomodo differat a reliquis speciebus scepticismi moderati, sive empirismi, 659, III°, 2°, *n.* — 680, 3.°

Sensus. — Non est in iis proprie veritas formalis, 616. — Non possunt esse falsi circa propria sensibilia, nisi per accidens (v. gr. propter indispositionem organi) et in paucioribus, 623, 624. — Obiectiones solvuntur, 625. — Non possent dici veri nisi apprehenderent res sicuti sunt, ideoque refutatur opinio quaedam, quae ponit non esse colorem, lucem, sonum etc., nisi dum videtur vel auditur etc. 626, 627. — Quam facilis sit transitus a dicta opinione ad subiectivi-

smum etc., 627, IV°, *n.* — Obiectiones solvuntur, 628, — Circa sensibile commune et per accidens, possunt falli etiam si sint bene dispositi, 629, 630. — Confirmatur doctrina de veracitate sensuum per dialogum quendam familiarem sed sapientem, 631. — *Confirmatur doctrina de Veracitate sensuum,* Appendix **C** (pag. 551, 552).

Sensus Communis. — Quid sit, prouti est medium consequendae veritatis, 643, V.° — Dantur iudicia quaedam sensus communis a falsitate immunia, non tamen prolata ex caeco naturae instinctu, 647, 648. — Obiectiones solvuntur, 649. — Non potest esse supremum veritatis criterium, 745, 746, 748, 750; 753.

Sensus moralis. — Ponitur a Jacobi supremum veritatis criterium, 751; — sed perperam, 754.

Signum. — Quomodo definiatur a S. Thoma et a S. Augustino, 35. — Utrum proprie importet rem *sensibilem,* an etiam ad res immateriales latiori significatione extendatur, *ib.* — Eius definitio hac *latiori* significatione, *ib.* — Quid sit de ratione signi, 36. — Eius divisio : *instrumentale* et *formale*, 37. — Utrum etiam signo formali competat proprie definitio, *ib.* — Utrum admittatur signum formale a S. Th., *ib., n.* — Divisio signi *instrumentalis :* ratione suae causae, 38, *a) ;* — temporis adsignificati, *ib., b) ;* — officii, *ib., c) ;* — efficaciae, *ib., d) ;* — Signum naturale potest esse medium demonstrativum, 731, II. — Testificatio non est signum demonstrativum, 731-733.

Simplex apprehensio. — Quid sit 27, 29. — In ipsa non est proprie Veritas, 601 : Cfr. **Veritas.** — Est prima mensura intrinseca cognitionis intellectivae, 706 : Cf. **Cognitio.**

Sophista. — Quid eius proprium sit, 22. — Cfr. **Logica** *utens.*

Sorites, 426.

Species. — Unum ex praedicabilibus, 142, II; 521. — Species tantum essentialiter definitur, 199. — Eius definitiones probantur, 529. — Una species non sufficit ad efficiendum genus, sed unum individuum potest sufficere ad constituendam speciem, 530. — Obiecta solvuntur, 531.

Species impressa, 502; — *expressa,* 31 *n.;* 502. — Cfr. **Conceptus.**

Status. — Termini proprietas, 74. — Quid sit et quomodo definiatur, 126. — Terminus est accipiendus cum statu, tantum quando praedicatum ipsi competit accidentaliter, non vero essentialiter aut consequenter ad essentiam, 127.

Subiectivismus. — 611; 627, IV°; 668, *n.;* 681. — Expositio systematis et praecipui eius sectatores, 751. — Refutatur argumento generali, 752. — Refutantur singillatim praecipui subiectivistae, *a* 753 *ad* 760.

Subiectum. — Quid sit subiectum scientiarum, 2. — Materiale et formale, 3. — Adaequatum et inadaequatum, *ib.* — Per se et per accidens, *ib.* — Quomodo vocetur a S. Th., 4; — et ab aliis, 5. — *Subiectum Logicae :* quodnam sit, 14, 456. — Utrum sit quodlibet ens rationis, vel omnes intentiones secundae, 15. — Quid subiectum materiale et formale, per se et per accidens, in Logica, 16. — Utrum ipsi actus rationis sint proprie subiectum Logicae, 17. — Subiectum inhaesionis et praedicationis, 602, 2°, *N.*

Subiectum propositionis. — Quid

sit, 42 : Cfr. **Terminus**. — Primum subiectum est singulare signatum, 602 2°. — Subiectum se habet ad praedicatum ut principium ad conclusionem, *ib.*, 3°. — In demonstratione debet praecognosci de ipso, quid est, et quia est, 764, 765.

Substantia. — Primum ex decem praedicamentis, 155. — Eius definitio — Substantia universalis *dicitur* de subiecto, sed *non est* in subiecto, 145, 1° ; — particularis *neque dicitur, neque est, ib.*, 4°. — Schema praedicatorum essentialium in genere substantiae, 154.

Summulae. Cfr. *Logica Minor*.

Suppositio. — Quotuplex eius significatio, 75. — Eius definitio, 76. — *Notanda in definitione :* 1° Quid sibi velit " *supponi* pro aliis, *supponere* pro aliis, *supponere* alia, 77. — 2° Quid significet " *acceptio* „, 78. — 3° Utrum suppositio sit vere termini proprietas, 79. — 4° Utrum terminus *non significativus* habeat suppositionem, 80. — 5° Utrum recte addi possit vox " *significativi* „ voci " *termini* „, 81. — 6° An necesse sit addere " *in propositione* „ 82. — 7° An bona sit definitio Toleti, 83 ; — 8° vel Petri Hispani, 84 ; — 9° vel Javellii, 85. — *Divisio Suppositionis :* I. Absoluta et relativa, 86. — II. Propria et impropria, 87. — III. Formalis et materialis, 88. — IV. Naturalis et accidentalis, 89. — V. Naturalis discreta et communis, 90. — VI. Indefinita et determinata, 91. — VII. Particularis et confusa, 92. — VIII. Confusa tantum et confusa universalis, 93. — IX. Accidentalis discreta et communis, 94. — X. Accidentalis realis et logica, 95. — Cur non fiat haec divisio etiam in supp. naturali, *ib., n.* — Utrum etiam entia rationis supponere possint naturaliter vel accidentaliter, realiter vel logice, *ib.* — XI. Accidentalis communis, *simplex* et *personalis*, 96. — Utrum ratio distinguendi inter suppositionem simplicem et personalem sit in praedicatis essentialibus, an in accidentalibus, 97. — Quid sufficiat ut verificetur suppositio personalis, *ib., n.* — Quomodo accipiatur a S. Thoma haec divisio, 97. — Modus faciliter cognoscendi utrum terminus supponat simpliciter vel personaliter, *ib.* — *Advertendum* de sensu, quo accipitur ab aliquibus haec divisio, *ib. sub finem*, et *n.* — XII. Determinata et confusa, 98. — XIII. Confusa tantum et confusa universalis, 99. — XIV. Mobilis et immobilis, 100. — XV. Distributiva et collectiva, 101. XVI. Distributiva mobilis et immobilis, 102. — XVII. Absoluta et accomoda, 103. — XVIII. Pro singulis generum et pro generibus singulorum, 104.

Suppositionum Schema, post n. 105.

Suppositionum Regulae. — I. Propositio habens subiectum naturaliter supponens, semper aequivalet propositioni universali, 120. — II. Eiusmodi propositio semper vera esse debet, 121. — III. Cum praedicatum concernit aliquam ex tribus operationibus intellectus, subiectum supponit accidentaliter logice, 122. — IV. Si subiectum supponit accidentaliter logice, propositio est singularis, 123. — V. Subiectum tantum in prop. universali, praedicatum tantum in negativa supponit confuse distributive mobiliter, 124. — Corollarium, 125. — Cfr. **Ascensus et descensus.**

Suspicio. — Eius definitio, 650.

Syllogismus. — Argumentationis

species, 346. — Eius definitio, 347. — Materia et forma, *ib. sub finem.* — Eius divisiones, 348.

— *communis,* 349. — Eius Materia, 350, — et Forma, 351. — *Figurae Syllogismi,* 352-354. — Dignior locus, 354.bis — Corollarium, 355. — Conclusio directa et indirecta, 356. — Figurarum ordo dignitatis, 357. — Figura galenica, 358. — *Modi Syllogismi,* 359, 360. — Quinam Modi utiles in singulis figuris, 388-392. — Versiculi, quibus continentur, 393. — Eorum exempla, 394. — Cur modi indirecti IIae et IIIae figurae sint innominati, 395. — Solvuntur obiectiones contra modos indirectos, 396, 397. — Notandum, 398. — Corollarium, 399. — Principia syllogistica, 361. — Principia logica, 362; — metaphysica, 363. — *Regulae Syllogismi:* versiculi, 364. — Explicatio 1ae Reg., 364-366, et *nn.;* — 2ae Reg., 367, 368; — 3ae Reg. 369; — 4ae Reg., 370, 371; — 5ae Reg., 372, 373; — 6ae Reg., 374, 375; — 7ae Reg., 376-378; — 8ae Reg., 379, 380. — Regulae singulis figuris propriae, 381-387. — Syllogismus perfectus et imperfectus, 400. — Quinam perfecti, 401; — quinam imperfecti, 402. — *Reductio imperfectorum,* 403: — ostensiva, 404; — indirecta seu ad impossibile, 405. — Scholion: quomodo dignosci possit modus, ad quem reducendi sunt indirecte modi imperfecti, 406. — Reductio per expositionem, 407. — Nota, 408. — *De inventione medii,* 409.

— *expositorius,* 410.

— *de obliquo, et exponibilis,* 411, 412.

— *modalis,* 413.

Syllogismus unus secundum quid, 414: — I° *hypotheticus,* 415; — hypotheticus ex toto, 416, 417; — et ex parte, 418, 419. — Refutatur opinio Cevolani cuiusdam de irreducibilitate syllogismi hypothetici in categoricum 417, *n.*

— *disiunctivus,* 420-422. — Nota, 423. — Animadversio de syllogismo disiunctivo improprio, *ib., n.*

— *mixtus,* 424.

Syllogismus demonstrativus seu *apodictus,* 429; — *dialecticus* 430-432; — *sophysticus,* 434, et *nn.* Cfr. **Fallacia**; **Demonstratio**. — Refutantur difficultates Stuart Mill, 769.

Synderesis. — Quid sit, 643, V°. — Differt a *synesi, ib., n.*

Terminus. — Eius definitio, 39. — *Notanda* in definitione: Utrum definiatur subiectum suscipiens rationem termini, an ipsa *ratio termini logicalis,* 40, 1°. — Utrum haec ratio exhibeatur in abstracto vel *in concreto, ib.,* 2°. — Quomodo possit definiri in abstracto, *ib.,* 3°. — Utrum terminus sit res significata per nomen, aut ipsa vox vel nomen, *ib.,* 4°. — Utrum ratio termini eadem sit ac subiecti et praedicati, *ib.,* 5°. — Utrum bene definiatur " extremum propositionis „ *ib.,* 6°. — Quaenam sint quae suscipiunt rationem termini, *ib.,* 7°. — Utrum ipsa ratio termini proprie dividi possit, 41. — Quo sensu intelligatur *termini divisio, ib.* — Dividitur: in subiectum et praedicatum, 42; — in mentalem, scriptum et vocalem, 43; — Terminus *vocalis* maxime in Logica Minore attenditur 44. — Hic est: I. Significativus et non significativus, 45. — II. Categorematicus et Syncategorematicus, 46. — III. Incomplexus et complexus, 47. — IV. Primae intentionis et secundae, 48. — V. Primae impositionis et secundae, 49. —

VI. Finitus et infinitus, 50. — VII. Positivus et privativus, 51. — VIII. Abstractus et concretus, 52. — IX. Absolutus et connotativus, 53. — Huc reincidit divisio termini in " substantivum „ et " adiectivum „ *ib.* — Quo sensu terminus absolutus significet " ad modum substantiae „ 54. - Quanti momenti sit in re theologica distinctio termini in absolutum et connotativum, 55. — X. Absolutus et relativus, 56. — Significans cum tempore et sine tempore, 57. — XII. Denominativus et denominans, 58. — XIII. Communis et singularis, 59. — XIV. Collectivus et distributivus, 60. — XV. Collectivus ex una specie, ex pluribus speciebus, totius, 61. — XVI. Singularis determinatus et indeterminatus seu vagus, 62. — XVII. Communis transcendens et non transcendes, 63. — XVIII. Proprie communis seu univocus et improprie communis seu aequivocus, 64. — Aequivocus a consilio seu analogus, et a casu, 65. — Analogus attributionis et proportionalitatis, 66 ; — " duorum ad tertium „ et " unius ad alterum „ *ib.* — Cur speciali ratione attendatur haec divisio in analogia attributionis, 67, 1°. — Quid sit primum in analogia proportionalitatis, *ib.*, 2°. — Analogus proportionalitatis propriae et metaphoricae, 68. — Termini *inter se comparati* sunt : Pertinentes, impertinentes, 69. — Convertibiles seu aequales, reciproci, et non convertibiles seu inaequales, non reciproci, 70. — Disparati et oppositi, 71. — Contrarii, Contradictori, Privativi, Relativi, 72. — Utrum inveniri possit terminus ut dividens in pluribus divisionibus, 73. — *Termini Proprietates,* 74 et seq. : Vide singulas suo loco.

Testificatio. — Quid sit, 714, II°. — Nunquam, qua talis, est signum demonstrativum rei testificatae, 731, 732. — Obiectiones solvuntur, 733. — In quibusdam adiunctis testificatio hominum potest inducere omnimodam certitudinem, 737. — Saepe necessarium est fidere testimonio aliorum, 739.

Totum. — Ratione perfectionis, et ratione constitutionis, 206. — *Universale, Integrale, Potentiale,* 207. — Eorum divisio, 208. - Quomodo unumquodque praedicari possit de suis partibus, 209. — I. Subdivisiones Totius universalis, 210 : — analogum et per accidens, 211. — Triplex totum accidentale, 212. — II. Subdivisiones totius integralis, 213. — Quotupliciter possit intelligi " unum per se „ 214 : — essentiale, 216 ; — quantitativum, 217 ; — logicum, morale, physicum, 218. — III. Subdivisiones Totius potentialis, 219 ; — proprie dictum, 220 ; — improprie dictum, 221 ; 527, ob. 2ª, *n.* — Quid intelligat S. Th. cum dicit : " partes... *non habent esse actu* ante divisionem „ *ib., n.* — *Schema, ib.* — Relationes inter diversa tota, 222. — Cfr. **Divisio.**

Traditionalismus. - Quid sit, 745. — Refutatur tum argumento generali, tum argumentis particularibus quoad Revelationem divinam, et consensum generis humani, 746-748. — ReiiciturTraditionalismus moderatus, 749. — Obiectiones solvuntur, 750.

SS. Trinitas. — Quomodo de Ipsa arguebat Roscellinus, 458. — Non est nomen simpliciter collectivum, 468, *n.* — Essentia divina est immultiplicata in pluribus, 494, IV°, *n.* — Cur non possit dici quod Homo-Deus (Christus D.) sit Trinitas, 577, *N.* 2ª. — Intellectus Eam non videt nisi ut

summe credibilem ob revelationem divinam, 730, ob. 4ª, et *n.; ib.*, ob. 6ª, 7ª. — Nullo modo potest demonstrari scientifice, 733.

Ubiquitas. — Proprietas universalium, 509. — Quomodo intelligenda, 519, 2ª.

Unitas. — Unitas formalis requiritur ad universale, 463; 469, 1°. — Unitas communitatis est praecipua conditio ad hoc ut habeatur universale, 469, 1°. — Unitas formalis non sufficit ad universale habendum, 494, IV°. — Quid intelligatur cum dicitur in una re esse unitas formalis, individualis, et universalis, *ib., n.*

Universalia. — *Quae dicta sunt de ipsis in Logica minori videas sub titulo:* **Praedicabilia.** — Quanti momenti sit quaestio de Universalibus, et quot errores oborti sint ex eorum prava intelligentia, 457-459. — Quaenam opinio sit recta et tenenda, 460. — Tractationis divisio, *ib.*, 461. — Universalis definitio probatur, 462, 463, 464. — Obiectiones solvuntur, 465. — Universale in essendo aliquo modo admitti debet, 466, 467. — Obiectiones solvuntur, 468. — Universale materiale est reale, 469, 470. — Obiectiones solvuntur, 471. — Universale non distinguitur realiter a singulari, 489, 507; — sed distinctione rationis ratiocinatae, 490. — Solvuntur obiecta, 491. — Non distinguitur neque distinctione formali ex natura rei seu actuali (Scotistica), 492. — Obiectiones solvuntur, 493. — In quo statu competat naturae ratio universalitatis, *ib.*, ad Th. XIᵐ; 494, 495. Cfr. **Natura.** — Circa naturam universalium omnes errores nati sunt ex confusione inter id, quod convenit rebus secundum se, et secundum quod sunt in intellectu, 496, 497. — Refutantur omnes simul, *ib.*, " *At contra* „. — Solvuntur obiectiones, 498. — Universale formale est accidens rationis, seu relatio rationis, 499. — Eius definitio praecise sub istam rationem, 500. — Obiectiones solvuntur, 501. — Universale materiale fit per abstractionem simplicem intellectus possibilis, 502, 503. — Solvuntur obiecta, 504. — Universale formale fit per comparationem simplicem intellectus possibilis, 505-507. — Obiecta solvuntur, 508. — *Proprietates Universalium:* Cfr. singulas suis locis. — Quo sensu universalia sint priora singularibus, et quo sensu posteriora, 520, IIIᵐ. — Quo sensu dicantur incorruptibilia et ingenerabilia, *ib.*, IVᵐ. — Universalia sunt tantum quinque, nec plus nec minus, 521, 1ª p.; — relate ad ipsa universale formale se habet ut genus ad species, *ib.*, 2ª p.; — ista divisio est univoca relate ad rationem universalitatis, analoga relate ad subiecta, infima, *ib.*, 3ª, 4ª, 5ª p. — Obiectiones solvuntur, 522. — Cfr. *singula universalia suis locis.*

Verbum. — Eius definitio, 239. — Explicatio definitionis, 240-243. — Utrum copula dici possit verbum, stricte loquendo, 244, I, III; — an sufficiat copula ad habendam enunciationem, *ib.*, II. — Propositio de secundo vel de tertio adiacente, 245, 1°. — Quo sensu sumantur hic actio et passio, *ib.*, 2°. — Quo differat verbum a nomine, *ib.*, 3°. — An revera respondeat primae mentis operationi, *ib.*, 4°. — An sumi possit primo vel secundo intentionaliter, *ib.*, 5°.

Veritas. — Quanti momenti sit

quaestio de veritate, 600. — Proprie non est in simplici apprehensione, 601; — sed tantum in iudicio, 602. — In ratione cuiuscumque veritatis ingreditur intellectus, unde bene notificatur veritas per conformitatem intellectus et rei, 603, Thes. I[a]. — Veritas primario est in intellectu, secundario in rebus, *ib.*, Thes. II[a]. — Ratio veritatis est analoga, 604. — Obiecta solvuntur, 605. — Veritas formalis proprie est tantum in intellectu componente et dividente, 606-608, IV°. — Quid dicendum de iudiciis circa universale aliquod vel ens rationis, 608. — Obiectiones solvuntur, 609. — Intellectus simpliciter apprehendens est verus ut res; et veritatem formalem habet tantum secundum quid, 610. — Quomodo etiam in rebus veritas sit relatio ad intellectum vel divinum vel humanum, *ib., n.* — Obiectiones solvuntur, 611. — Quomodo sit intelligendum hoc, quod requiratur cognitio conformitatis intellectus et rei ad habendam veritatem formalem, *ib.*, ob. 3[a], *n.* — Probatio et declaratio definitionis veritatis, 612, 613. — Quomodo intellectus adaequetur rei, 613, *e) n.* — Difficultates explicantur, 614. — An insit veritas in iudicio imprudenti, 615. — In sensibus veritas formalis proprie non est, sed quadantenus tantum, 616. — Veritas et falsitas opponuntur ut contraria, 621. — Quid veritas obiectiva, veritas signi, et veracitas, 622, *N.* — *De Mediis assequendae Veritatis, ib.,* Tract. II.[us]: Cfr. **Sensus, Intellectus, Conscientia, Sensus Communis.** — *De statibus mentis respectu veritatis,* 650: Cfr. **Nescientia, Ignorantia, Error; Scepticismus, Kant, Immanentia; Opinio, Probabilitas, Certitudo.** — *De Criteriis Certitudinis,* 702 et seqq.: Cfr. **Criterium, Evidentia, Fides; Cartesius, Traditionalismus, Subiectivismus.** — *De Veritate Relativa,* Appendix B (pag. 549, 550).

Voluntas. — Quomodo sit inclinata in malum, 649, ob. 2[a]. — Omnis error originem ducit ab imperio voluntatis, 653. — Quam stulte dicatur a plurimis etiam iudicium esse actum voluntatis, 654. — Quam irrationabiliter tribuatur ei primatus super intellectum, et eius imperio directus influxus in assensum, quem intellectus dat cuicumque veritati, etiam primis principiis, 685, Thes. II[a]; 686, 687. — Debet movere intellectum ad assensum fidei, 722; — sed, ut hoc faciat, debet ei praelucere evidentia credibilitatis, 723, 725. — Etiam in daemonibus requiritur motio voluntatis ad credendum, sed in ipsis voluntas est coacta, 726, IV°, et *n.* — Refutantur argumenta quibus aliqui vellent probare quod ad fidem non est de necessitate motio voluntatis, 730, 733. — Confirmatur et explicatur quomodo in actu fidei ingrediatur semper voluntas, 738, 3°. — Actus liber voluntatis non potest esse supremum veritatis criterium, 760.

INDEX AUCTORUM

qui in utraque Logica citantur.

Nota. — Indicantur numeri marginales; *N.* significat Notam in corpore libri positam; *n.* notam in calce.

S. THOMAS AQUINAS O. P., Doctor Angelicus (1225-1274): *passim.*
ARISTOTELES Stagirites (384-322 a. Ch.), qui et Philosophus dicitur: *passim.*

Abaelardus (1079-1142): 458, *n.*; 460.

Adhelardus *de Bath* O. S. B. (XII saec.): 459.

Aenesidemus *Gnossius* (I° saec. a. Ch.): 659, II, 3°. — Eius decem τρόποι, *ib.*, *n.*

Agrippa (II.° saec. p. Ch.): 659, II, 3.°

P. Alamanni *Cosmus,* S. J. (1559-1634): 835, ob. 1ª, et 4ª, *n.*

B. Albertus Magnus, *Doctor Universalis,* O. P. (1193-1280): 139; 289, *sub. fin.*; 460; 794, *n.*; 796, 2ª p.

Alexander *Halensis, Doctor Irrefragabilis,* O. M. F. (m. 1245): 460.

Alighieri *Dantes:* Cfr. Dantes *Alighieri.*

Almaricus *de Chartres* (XII° saec.): 459.

P. Ambrosini *Joachimus,* S. J.: 613, *n.*; 666, *nn.*

Ammonius *Sacca,* (176-242): 252.

Anaxagoras (500-430 a. Ch.): 659, I°, 2°.

Antiochus *Ascalonites* (m. 69 a. Ch.): 659, II°, 2°.

Antonius *Genuensis:* 325, *n.*

S. Anselmus *Cantuariensis,* O. S. B. (1033-1109): 457.

Arcesilaus (315-241 a. Ch.): 659, II°, 2°.

Ardigò *Robertus:* 476, *n.*; 659, III°, 2°.

Aspasius: 248.

S. Augustinus *Hipponensis, Doctor Gratiae* (354-430): 35; 209; 428; 434; 447, *n.*; 459, *n.*; 484, *n.*; 595, *N.*; 600; 620; 622; 631, *n.*; 641; 642; 645; 661; 697, ob. 1ª, *n.*; 700; 737; 742, 2ª p., *n.*; 743.

Averroës (1126-1198): 498, ob. 2ª, *resp.*; 794, *n.*

Avicenna (980-1037): 459.

Baco *Franciscus de Verulamio* (1561-1626) : 659, III°, 2° ; 797 ; 799, *n.*

Bain *Alexander* (1818 - 1903) : 335, *n.*

Balfour *Arthurus Jacobus :* 751. — Eius subiectivismus reiicitur, 756.

Ballerini (scriptor in " *Scuola Cattolica* „) : 682, *n.*

Bautain *L. Eug. M.* (1795-1867) : 745.

Berkeley *Georgius* (1685-1753) : 627, IV°, *n. ;* 659, III°, 2° ; 750, 8° ; 751.

Bernard : 445, *n.*

Biel *Gabriel* (1430-1495) : 458.

P. Billot *Ludovicus,* S. J. : 465, *n.* 2ª ; 595, *n. ;* 655, *n. ;* 726, I°, *n. ;* 726, IV°, *n. ;* 733, ob. 6ª, *n. ;* 770, *n.*

Blondel : 681.

S. Boëthius *Severinus* (470-526) : 294 ; 705.

Bonald (De) *Aloisius Gabriel* (1754-1840) : 745 ; 749 ; 756.

S. Bonaventura, *Doctor Seraphicus,* O. M. F. (1221-1274) : 206 ; 475, ob. 2ª.

Bonetty *Augustinus* (1798-1879) : 745.

P. Bourdaloue *Aloisius,* S. J. (1632-1704) : 746, *n.*

Brunetière *Ferdinandus* (m. 1907) 751. — Eius subiectivismus refutatur, 757.

Buonaiuti *Ernestus :* 681, *n.*

Buridanus *Joannes :* Cfr. **Joannes** *Buridanus.*

Card. Caietanus (*Thomas* **de Vio,** 1469-1534), O. P. : 483, ob. 2ª, et *ib., n. ;* 543, *n. ;* 547, *n. ;* 550 ; 553, ob. 1ª ; 571, *n. ;* 611, *n.*

Cantoni *Carolus :* 664, *n. ;* 665, VI°, *n. ;* 740, 741, 742, *nn. ;* 751, *n.*

Carneades *Cyrenensis* (210-129 a. Ch.) : 659, II°, 2° ; *ib.,* 3°.

Cartesius *Renatus* (1596-1650) : Cf. **Cartesius** in *Indice Rerum.*

Cellini *Adolphus :* 679, *n.*

Cevolani *Josephus :* 417, *n.*

Charron *Petrus* (1541-1603) : 659, II°, 3°.

Cicero *Marcus Tullius* (106-43 a. Ch.) : 434, *n.*

" *Civiltà Cattolica* „ : 668, *n. ;* 751, *n.*

Complutenses, O. Carm. (saec. XVII.°) : 796, 2ª p., *n.*

Comte *Augustus* (1798 - 1857) : 476, *n. ;* 659, III°, 2° ; *App.* **B** (p. 550).

Conceptualistae : 469, 3° ; 472 ; 479 ; 497, 1°.

Condillac *Stephanus* (1715-1780) : 659, III°, 2°.

Conimbricenses, S. J. (saec. XVII) : 786, I°, *n.*

Copernicus *Nicolaus* (1473-1543) : 680 ; 750, 7°.

Cratylus (saec. V.° a. Ch.) : 457 ; 459 ; 483, ob. 2ª.

Cousin *Victorius* (1792-1867) : 751, *n. ;* 768.

S. Damascenus *Joannes :* Cfr. **S. Joannes** *Damascenus.*

Dantes *Alighieri* (1265 - 1321) : 661 ; 666, *n.*

Darwinistae : 473, *n.*

David *de Dinando* (saec. XII.°) : 459.

P. De Mandato *Pius,* S. J. : 643, V°, *n.*

P. De Maria *Michäel,* S. J. : 676, *n. ;* 702 ; 786, *n. ;* 793, *n.*

Democritus (n. 460 a. Ch.) : 457 ; 659, I°, 2° ; *ib.* II°, 3°.

Descartes *Renatus :* Cfr. **Cartesius** *Renatus.*

Dogmatistae seu *Dogmatici :* 658, *n. ;* 751.

P. Duhamel *Joannes Baptista,* ex Or. (1624-1706) : 769, *n.*

P. Duhem : *App.* **F** (p. 560, 561).

Ven. Duns *Scotus Joannes :* Cf. **Ven. Scotus** *Duns Joannes.*

Empedocles (490-430 a. Ch.) : 484 ; 659, I°, 2°.

Empiricus *Sextus :* Cf. **Sextus** *Empiricus.*

Empiristae : 477, *n.* ; 659, III°, 2°.

Epicuraei : 457 ; 484.

Eriugena *Scotus Joannes :* Cfr. **Scotus** *Eriugena Joannes.*

Euclides *Geometra* (III° saec. a. Ch.) : 665, III° ; 672, *n.*

Falckenberg : 665, IV°, *n.*

Ferrariensis (*Franciscus* **a Sylvestris,** 1474-1528), O. P. : 682, *n.*

Fichte *Joannes Amideus* (1763-1814) : 625 ; 669, *n.* ; 740, *n.*

Fideistae : 716, *N.* 3ª.

P. Fonseca *Petrus,* S. J. (1528-1599) : 77 ; 355 ; 473, 3° ; 786, I°, *n.* ; 829, *n.*

Fonsegrive : 681.

Franchi *Ausonius* (*Ch.* **Bonavino,** 1821-1895) : 679, *n.* ; *App.* **B** (p. 550) ; *App.* **C** (pag. 552).

Galenus (n. 131 p. Ch.), auctor IV.ae figurae Syllogismi, 358.

Galilei *Galilaeus* (1564-1642). — Eius condemnatio non fuit proprie et formaliter error, sed tantum materialiter, 655, *n.*, et *App.* **D** (pag. 553, 554). — 665, III° ; 750, 7°.

Galton *Franciscus :* 478, ob. 7ª.

Galuppi *Paschalis* (1770-1846) : 751, *sub fin.*

Gilbertus *Porretanus* (1076-1154) : 459.

P. Goudin *Antonius,* O. P. (1639-1695) : 96, *n.* ; 488, V°, *n.*

Gorgias (V° saec. a. Ch.) : 659, II°, 1°.

Gregorius *Ariminensis* (m. 1358) : 458.

Gualbertus *de Mortagne* (m. 1174) : 459.

Guillelmus *Campellensis* (1070-1121) : 459. — Eius sententia de Universalibus refutatur, 485, 486. — Obiectiones solvuntur, 487. — 497, 6°.

Guillelmus *Ockam :* Cfr. **Ockam** *Guillelmus.*

Guillelmus *Parisiensis* vel *de Auvergne* (m. 1249) : 716, *N.* 2ª.

Hamilton *Guillelmus* (1788-1856) : 477, *n.*

Hartmann *Eduardus* (n. 1842) : 480, ob. 2ª, *n.*

Hegel *Georgius Guill.* (1770-1831) : 666 ; 740, *n.*

Helmholtz *Ferdinandus* (1821-1894) : 627, IV°, *n.*

Heraclitus (n. 530 a. Ch.) : 457 ; 459 ; 483, ob. 2ª ; 659, I°, 2°.

Herder *Joannes Godefridus* (1744-1803) : 666.

Herzen *M.* : 370, *n.*

Hobbes *Thomas* (1588-1679) : 659, III°, 2°.

Horatius *Flaccus* (64-7 a. Ch.) : 687, ob. 2ª.

Huetius *P. Daniel* (1630-1721) : 745, *n.*

Hugo *a S. Victore* (m. 1141) : 835, ob. 1ª.

Hume *David* (1711-1776) : 457 ; 458 ; 625 ; 658, *n.* ; 659, III°, 2° ; 664 ; 665, V° ; 669, ob. 2ª ; 670 ; 680, 4° ; 751.

S. P. N. Ignatius *de Lojola* (1491-1556) : 695, *n.*

Immanentistae : 681 ; 682 ; 729 ; 751, *n.* ; *App.* **E**, n. 12 (pag. 559).

Ven. Innocentius Pp. XI.us (m. 1689) : 725, *n.*

Intellectualistae : 681, *n.* ; 683, ob. 4a.

Jacobi *Federicus Henricus* (1743-1819) : 751. — Eius subiectivismus reiicitur, 754.

Javellius : 85.

Joannes *Buridanus* (m. 1360) : 458.

S. Joannes *Damascenus,* O. S. B. (676-754) : 494, II, *n.*

Joannes *a S. Thoma,* O. P. (1589-1644) : 221, *n.* ; 346, *n.*

Jouffroy *Theodorus* (1796-1842) : 751. — Eius subiectivismus refutatur, 755.

Kant *Emanuel* (1724-1804) : Cfr. **Kant** *Emanuel* in *Indice Rerum.*

P. Kleutgen *Josephus,* S. J. (1811-1883) : 741,742, *nn.* ; 745, *n.*

Knutzen *Martinus* (saec. XVIII°) : 664.

P. Laberthonnière, ex Or. : 681.

Lactantius (250-325) : 661.

Laforet : 459, *n.* — Eius sententia de Universalibus (quod nempe natura sit una in rebus, sicut in intellectu) refutatur, 485 ; *ib.*, *n.* ; 486. — Obiectiones solvuntur, 487.

Lamennais (De) *Felicitas Robertus* (1782-1854) : 659, III°, 3° ; 742, 2a p., *n.* ; 745 ; 749.

La Mettrie (De) *Julianus* (1709-1751) : 659, III°, 2°.

Leibnitz *Godefridus Guillelmus* 1646-1716) : 347 *n.* ; 358, *n.* ; 475, ob. 2a ; 647 ; 664 ; 665, V° ; 670 ; 768.

Leroux *Petrus* (1797-1871) : 740, *n.*

Le Roy *Eduardus :* 726, IV°, *n.*

Leucippus (V° saec. a. Ch.) : 457.

Le Verrier *Urbanus* (1811-1877) : 797, 1a p., *c*) ; 804, II°.

P. Liberatore *Matthaeus,* S. J. (1810-1892) : 712 ; 723, *n.* ; 737 ; 740, *n.* ; 741, 742, 743, 745, 746, 747, 748, 749, 750, 751, *nn.* ; 786, *n.*

Linneus *Ch.* (1707-1778) : 687, ob. 3a.

Locke *Joannes* (1632-1704) : 457 ; 627, IV°, *n.* ; 647 ; 659, III°, 2° ; 680, 3°.

Card. Lorenzelli *Benedictus :* 482, *n.*

P. Lossada *Ludovicus,* S. J. : 251, 4°, *n.*

P. Malebranche *Nicolaus,* ex Or. (1638-1715) : 445, *n.*

Manzoni *Alexander* (1785-1873) : 682, *n.*

Marchesini *Joannes :* 331, *n.* ; 333, *n.* ; 476, *n.* ; 799, *n.*

Mastrius (Magistri) *Joannes,* O. M. F. (m. 1482) : Eius explicatio et defensio distinctionis Scotisticae formalis ex natura rei inter universale et singulare, 492.

Materialistae : 445, *n.* ; 498, ob. 1a et 2a ; 760, *n.*

P. Mattiussi *Guido,* S. J. : 480, *n.* ; 628, ob. 2a, *n.* ; 664, 665, *nn.* ; 670, *n.* ; 681, *n.* ; 682 ; 685, *n.* ; 690, *n.* ; 723, I°, *n.* ; 731, *n.* ; 786, I°, *n.* ; 793, 2a p., *n.* ; 799, 1a p., *n.* ; *App.* **C** (pag. 552).

P. Maurus *Sylvester,* S. J. : (1620-1687) : 163, *n.* ; 434, *n.* ; 786, I°, *n.*

P. Mendoza, S. J. : 251, 4°, *n.*

Menodotus : 659, II.°, 3°.

Card. Mercier *Desideratus :* 303, *n.* ; 304, *n.* ; 456, *n.* ; 458, *n.* ; 477 *n.* ; 608, *n.* ; 610, *n.* ; 611, *n.* ; 658, *n.* ; 659, III°, 2°, *n.* ; 664, 665, *nn.* ; 668, *n.* ;

669, *n.*; 672, *n.*; 681; 687, *n.*; 741, 742, *nn.*; 743, 745-747, 749-751, *nn.*; 770, *n.*; 791, *n.*; 793, *n.*; 796, 3ª p., *n.*

Mill Stuart *Joannes :* Cfr. **Stuart Mill** *Joannes.*

Modernistae : 97, *n.*; 663; 668, *n.*; 680; 681, *n.*; 716, *N.* 3ª; 736, 3ª.

P. Molina *Aloisius,* S. J. (1535-1601) : 610, 1ª p., *n.*

Montaigne *Michaël* (1533-1592) : 659, IIº, 3º.

Negri *Caietanus* : 659, IIIº, 2º.

Newton *Isaac* (1642-1727) : 664 ; 665, IIIº ; 798, 1ª p., *n.*

Nominales. — Quid doceant et quinam sint praecipui, 458. — 469, 3º ; 497, 1º ; 498, ob. 1ª.

Ockam *Guillelmus, Doctor Invincibilis* (1280-1349 ?) : 458 ; 475, ob. 2ª.

Olcot (vel **Holkot**) *Robertus* (m. 1349) : 458.

Ollé-Laprune : 681.

Ontologi : 744, 4ª p., et *n.*; 760.

Ovidius *Naso* (43 a. Ch. - 17 p. Ch.) : 687, ob. 2ª.

Oviedo : 355.

Parmenides (n. 540 a. Ch.) : 659, Iº, 1º.

Pascal *Blasius* (1623-1662) : 659, IIIº, 3º.

Pasteur *Aloisius* (1822-1895) : 797, 1ª p. *e*).

P. Pesch *Tilmannus,* S. J. : 277, *n.;* 633 ; 663 ; 664, 665, *nn.* ; 666 ; 680 ; 793, *n.* ; 797, *n.*

Card. Petrus *Alliacensis* (*De Ailly,* 1350-1425) ; 458.

Petrus *Hispanus* (**Joannes Pp. XXI,** 1226-1277) : 84.

Philo *Larissensis* (Iº saec. a. Ch.) : 659, IIº, 2º.

Picard *Edmundus* : 366, *n.*

Picavet : 458, *n.*

Plato (428-348 a. Ch.) : 459 ; 473, 3º. — Eius sententia de universalibus refutatur, 481, 482. — Solvuntur obiectiones, 483. — 497, 5º ; 508, ob. 1ª ; 520, 1º : 601, 3º ; 659, Iº, 2º, *n.* ; *ib.,* IIº, 1º, *n.* ; *ib.,* IIº, 2º ; 743 ; 762 ; 768 ; 794, *n.*

Plotinus (205-270) p. Ch.) : 459.

Pomponazzi *Petrus* (1462-1530) : 476, *n.*

Porphyrius (IIIº saec. p. Ch.) : 135 ; 154 ; 457 ; 523, 3ª p. ; 524, ob. 1ª ; 529, 4ª p. ; 530, *N.* 2ª ; 532 ; 536 ; 538, 4ª p. ; 543, 4ª p.

Positivistae : 458 ; 477, *n.* ; 497, 3º ; 498, ob. 1ª, 2ª, et 3ª ; 751 760, *n.* ; 770, *n.*

Pragmatistae : 659, IIIº, 3º.

Prantl : 364, *n.*

Protagoras (n. 480 a. Ch.) : 428, IIº ; 659, IIº, 1º ; *ib.,* IIIº, 1º.

Pyrro (m. 270 ? a. Ch.) : 659, IIº, 3º.

Pyrronii : 702.

Realistae exaggerati : Cf. *Ultrarealistae.*

Realistae moderati : 460.

Reid *Thomas* (1710-1796) : 647 ; 751. — Eius subiectivismus refutatur, 753. — 768.

P. Remer *Vincentius,* S. J. : 652 ; 702 ; 786, *n.* ; 787, 3ª p.

Renouvier *Carolus Bernardus* (n. 1815) 751. — Eius subiectivismus refutatur, 760.

Ribot : 458 ; 473, *n.*

Robertus *Olcot :* Cf. **Olcot** *Robertus.*

Roiti *Antonius :* 798, 2º, *n.* ; 799, 2ª p., *n.*

Roscellinus *de Compendio* (m. 1100?) : 458.

Rosmini-Serbati *Antonius* (1797-1855) : 475, ob. 2ª ; 498, ob. 2ª.

Rousseau *Joannes Jacobus* (1715-1778) : 439. *n.* ; 664 ; 745.

P. Ruíz de Montoya, S. J. : 606, *n.* ; 613, *e), n.*

Sanchez *Franciscus* (1562-1632) : 659, IIº, 3º.

Saturninus (IIº saec. p. Ch.) : 659, IIº, 3º.

Sceptici : 498, ob. 1ª et 4ª. — Quinam vocandi sint Sceptici, 658. — Quinam viam aperuerint scepticismo, inter Eleaticos et Ionios, 659, Iº. — Sceptici aperti : Sophistae, Secunda Academia, Sceptici propriissimi, *ib.*, IIº. — Scepticis affines : Subiectivistae, Empiristae, *ib.*, IIIº. — *App.* **B** (pag. 549).

P. Schiffini *Sanctus*, S. J. (1841-1906) : 152, *n.* ; 632, *n.* ; 786, Iº, *n.*

Schopenhauer *Arthurus* (1788-1860) : 479, *n.* 3ª.

Ven. Scotus Duns *Joannes, Doctor Subtilis*, O. M. F. (1266 vel 1274? - 1308) : Cfr. **Ven. Scotus Duns** in *Indice Rerum.*

Scotus Eriugena *Joannes* (IXº saec.) : 459.

P. Semeria *Joannes*, Barn. : Solvitur eius obiectio contra definitionem veritatis, 613, *n.*, et *Append.* **B** (pag. 549). — 681, *n.* ; 683, *n.* ; *App.* **C** (pag. 551).

Seneca *Iunior* (3-65 p. Ch.) : 687, ob. 2ª.

Sextus *Empiricus* (II saec. p. Ch.) : 658, *n.* ; 659, IIº, 3º ; 662, ob. 2ª.

Socrates (469-399 a. Ch.) : 428, *N.* 3ª.

Sophistae (Vº saec. a. Ch.) : Quinam praecipui, 659, IIº, 1º. — Cfr. etiam *Sceptici.*

P. Soto (De) *Dominicus* O. P. (1494-1560) : 571, *n.*

Spencer *Herbertus* (1820-1903) : 659, IIIº, 2º.

Stuart Mill *Joannes* (1806-1873) : 333, *n.* ; 351, *n.* ; 458 ; 476, *n.* ; 659, IIIº, 2º. — Refutantur eius sophismata contra Syllogismum prolata, 770. — 797.

P. Suarez *Franciscus, Doctor Eximius*, S. J. (1548-1617) : 458, *n.* ; 459, *n.* ; 488, IVº, *n.* ; 606, *n.* ; 610, 1ª p., *n.* ; 613, *e) ;* 632, *n.* ; 633 ; 786, Iº, *n.*

Subiectivistae : 498, ob. 1ª, 2ª et 4ª ; 659, IIIº, 1º ; a 751 ad 760. — Cfr. etiam *Sceptici*, et **Kant.**

P. Sylvester *Maurus*, S. J. : Cfr. **P. Maurus** *Sylvester*, S. J.

Taine *Hippolytus Adolphus* (1828-1893) : 459. — Refutatur eius opinio de Universalibus, 477, IIº. — *ib.*, Iº, et *n.*

Card. Toledo *Franciscus* S. J. (1532-1596) : 83 ; 413, *n.* : 786, Iº, *n.*

P. Tongiorgi *Salvator* S. J. : 796.

Traditionalistae : 659, IIº, 3º, *n.* ; 745 ; 749, *n.* ; 753 ; 756.

Trendelemburg *Federicus Adolphus* (1802-1872) : 480, ob. 2ª, *n.*

Turner *Guillelmus* : 457, 458, 459, *n.* ; 659, *n.* ; 664, *n.* ; 665, XIVº, *n.* ; 740, 741, 742, *nn.* ; 745, *n.*

Ubaghs : 459, *n.* — Eius sententia de Universalibus (Cfr. **Laforet**) refutatur, 485, 486. — Obiectiones solvuntur, 487. — 745.

Ultrarealistae : 459 ; 498, ob. 1ª et 3ª. — Cfr. **Plato.**

P. Urràburu *Joannes Josephus,*

S. J.: 251, 4°, *n.*; 625; 632, *n.*; 786, I°, *n.*; 788, ob. 4ª, *n.*; 793, *n.*

P. **Valentia**: *Gregorius,* S. J.: 613, *e), n.*

P. **Vasquez** *Gabriel,* S. J. (1551-1604): 488, IV°, *n.*

Vaticanum Concilium (a. 1870): 736, 3°.

P. **Ventura** *Joachimus,* Theat. (1792-1861): 745.

Voluntaristae: 685, Th. II.ª; 686; 687.

Willelms: 625, *n.*; 627, IV°, *n.*; 663, 664, 665, *nn.*; 699, *n.*; 731, *n.*; 786, I°, *n.*

Wolff *Christianus* (1679-1754): 475, ob. 6ª; 664; 665, V°; 796, 2ª p., III°.

Wundt *Guillelmus* (n. 1832): 333, *n.;* 627, IV°, *n.*

Xenophanes (n. 570 a. Ch.): 659, I°, 1°.

Zeno (n. 490 a. Ch.): 659, I°, 1°.

Card. Zigliara *Thomas M.* O. P. (1833-1893): 649, ob. 1ª; 749, *n.*; 751, *n.*; 760, *n.*

IN LOGICA MINORI

Pag.	*Linea*	*Errata*	*Corrige*
4	30	conatur	conantur
12	2	pendent	pendet
35	3	propriam	propria
39	15	*homo*	*animal*
47	12 notae	rationum	rationis
52	24	*apostolici*	*Apostoli*
61	1	oppositionem	appositionem
73	34	ratione	rationem
79	15	et	est
„	33	**Descriptiva, Causalis. —**	**Descriptiva. —**
108	28	adverbia	participia
112	22	praedicatur	praeceditur
128	24	rationem	ratione
133	19	determinato	indeterminato
138	1 notae	directivas	subiectivas
162	14	*Deus est aeternum et omne... aeternus*	*Deus est aeternus et omne..... aeternum*
173	18	*non aut dies est*	*non aut dies non est*
176	sub **I**	*Vel Petrus est....., vel est aliquid*	*Vel Petrus est...., vel non est quidquid*
196	27	*omnem habens*	*omne habens*
200	28	verum posset sequi ex falso,	falsum posset sequi ex vero,
208	13	de maiori	de minori
214	21	ut negatur	ut negetur
224	25	erit particulare.	erit particularis.
234	5	deserviri.	deservire.
238	ultima	praemissa	praemissae
256	10 notae	sophisma	syllogismus
„	12 notae	dupla	duplex

IN LOGICA MAIORI

Pag.	*Linea*	*Errata*	*Corrige*
19	1	oratione	ratione
54	9	per *meram*	per *non*
73	20	tamen id, quo	tamen eo, quo
„	21	acceptio	acceptione
77	29	ex proveniens	proveniens ex
78	28	confiectum	confictum
87	16	non fit nisi	non fit tantum
95	22	nequit	potest
„	23	*coloratum*	*color*
127	11	est ratio	et ratio
128	11	*c*) quae de subiecto non dicuntur	*c)* quae de subiecto dicuntur
177	24	3.º **maxima vero est contraria.**	3.º **maxima vero differentia est contraria.**
204	34	qui implicite	qui explicite
280	1	colus	locus
239	1	Angelicus	Augustinus
„	10-11	An- gelicus	Au- gustinus
„	27	(1ª p. q. 17 a. 1):	(1ª p. q. 17. a. 4.):
243	24	(Videas S. Th. 1. p. 75. a. 6....)	(Videas S. Th. 1. p. q. 85. a. 6....)
266	19	operat	operatur
323	24	speculatione	speculativae
325	22	non decipere	nos decipere
365	6	confusa	infusa
368	10	contingentians	contingentibus
373	11	exhibendum...	abstinendum...
402	12	*veritatis*	*credibilitatis*
456	26	quid insit	quod insit
488	27	me- thodum *compositam*	me- thodus *composita*
510	24	et nam-	et utrum-
„	26	triangulos	triangulus
534	19	signatus	signato
548	12	gubernatur	gubernator

J. 72

115
V 556 # 270

AUTHOR VENETA

TITLE Logica II

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Hagemann	MAY 23
	Malone	
	Connell	
	Brill	
	STORAGE - CB	
2-83	Clgt St	

270

115
V556